





Presented Mrs. Wheeler 11/9/12



ANNE CHARLES LORRY,

Docteur Régent de la Faculté de Médecine de Paris,
de la Société Royale de Médecine,
Mort à Bourbonne les Bains en 1783, agé de 56, ans.

C.N. Cochin f.s delin. 1777. — Aug.te de S.t Aubin sculp. 1784.

DE PRÆCIPUIS MORBORUM MUTATIONIBUS ET CONVERSIONIBUS,

TENTAMEN MEDICUM.

AUTHORE A. C. LORRY D. M. P.
Editionem post Authoris fata curante
J. N. HALLÉ D. M. P.



PARISIIS,

Apud MEQUIGNON, natu majorem, Bibliopolam, viâ Fratrum Franciscanorum, propè Scholas Chirurgicas.

M. DCC. LXXXIV.

Cum Approbationibus & Privilegio Regis.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO
EDITORIS.

TRISTES excellentis viri reliquias proponimus, in quibus ingeniosissima & utilissima multa reperies, Lector; & si quædam styli negligentioris offendas menda, id multò minùs, licèt ab homine maximè litterato, quàm tot lumina in ipso deficientis naturæ decessu erumpere & affulgere miraberis.

Prima mens viri fuerat typis recusum in lucem dare non ignobile opus Medici Hispani *Roderici à Castro.* Titulus erat operi *Quæ ex quibus;* sumpta materies ex Hippocratis effato, ὅια ἐξ ὅιων. Notis ornandum erat, & iis non paucis. At ubi operis conditio attentiùs perspecta non modò volumen addendum volumini, verùm etiam novum opus operi commiscendum fore ostendit; tunc & fa-

cilius, & commodius, & utilius visum fuit, si nova prorsùs libri forma prodiret, excussisque commentariorum vinculis, Author liberiùs genio indulgeret.

Igitur is primus incumbebat labor; distinguere apprimè quænam esset, quàm latè pateret operis materies, quid ab eâ excluderetur; quod forsan non ita determinatè videbatur esse factum ab Authore Hispano.

Itaque, quamvis eamdem tractanti materiem adeò arrideret, sive propter antiquioris effati reverentiam, sive propter brevitatem Roderici titulus; nihilominùs lucidioris sensûs gratiâ liber inscriptus fuit *De morborum conversionibus*. Hoc autem nomine intelligenda sunt quæcumque morbi faciem aliquatenùs mutant; ea scilicet omnia quæ superveniunt in morbis semel constitutis ab ipsorum charactere vulgarique decursu aliena; sive illa à mutatis, aut indole causæ, aut sede mali, sive demùm ab accidentibus aliundè causis pendeant.

Contrà verò quidquid ſymptomatum, aut cum morbi eſſentiâ eſſet conjunctum, aut evidenter ab ipſius præſentiâ abſque ullo complicationum concurſu penderet, id omninò extrà tractatûs hujuſce limites factum. Ea ſcilicet apparent, nec mutato, nec converſo ullatenùs morbo. Imò neque illæ mutationes quæ ex ipſo neceſſario & maximè naturali morborum progreſſu fiunt, ejus naturâ, nec mutatâ, nec aliundè auctâ, ut eſt coctionis ad ſalutem neceſſariæ & ſolutionis aut criſeos ſimplex conſideratio, neque ipſa in mortem ruentia pernicioſa ſymptomata in partem operis recepta; niſi aliqua aut morbi naturæ, aut loci in his mutatio, aut Epigeneſeon acceſſio fieret. Scilicet hæc omnia quæ ad deſcriptionem cujuſque morbi pertinent, ab aliis ſatis ſuperque tractata in medium referre ſupervacaneum viſum.

Nec tantùm operis materia exactiùs determinanda fuit, verùm & ejus curioſiùs diſtinguendæ partes.

Quæcumque igitur in morbo præter morbum fiunt, aut ab ipſo quâcumque ratione mutato, cùm ſibi demonſtranda ſumpſiſſet Author; indè prima deducta diviſionis forma. Scilicet primo loco ponenda credidit ea quæ præter morbum accidunt, novâ nempe accreſcente causâ, quæ græco vocabulo vocavit *Epigeneſes*. Deinde ſequuntur ea quæ morbo mutato apparent; quæ rurſùs ita dividenda cenſuit, ut primùm ea quæ ab ipſius morbi incrementis & veluti propaginibus pendent *Metaptoſeon* nomine tractarentur; & demùm ea quæ ab actione naturæ viribuſque corporis morbum mutantibus oriuntur, *Metaſtaſes* vocata, ultimo loco reponeret. Eadem apud Rodericum vocabula reperies, ſed non eodem prorſùs ſenſu, & illo ſanè minùs obvio, naturæque, ut ego quidem opinor, minùs accommodo.

His poſitis primariis opus inter utrumque differentiis, cætera quæ ad tractationis ſeriem pertinent facilè

legentibus occurrent; quæ ut clariùs elucerent, datâ ab Authore licentiâ, opus notis ad marginem ſcriptis diſtinximus, quibus admonitus Lector à vero Authoris ſenſu minùs aberraret. Eas quoque in indice unâ collegimus, ut univerſa tractationis forma uno intuitu faciliùs comprehenderetur. Scilicet laceſſente intùs mali crudelioris ſtimulo, ultimam admovere operi manum nequibat vir egregius, dùm intereà, urgente forſan inſtantis fati ſenſu, operis in publicum exituri fortunam ardenter exoptaret. Quod reliquum eſt, quamvis ab ipſo nobis emendandi ſcripti provincia fuiſſet demandata, paucis neceſſariò exceptis, nihil ultrà attigimus, tenuitatis noſtræ conſcii, metuenteſque jure ne ab alienâ manu ſcribendi vis & ingenii facundia infirmiores evaderent.

Huic dùm incumberemus labori, dùm jam prælis dimidium exiret opus, urgebat immedicabile malum, collectaque ex longo arthritica lues totum ſenſim occupabat corpus. Podagra in

paralyſim verſa, & poſt falſas inducias redux, membra alligabat, exhauſtiſque demùm viribus, fatiſcente machinâ, inter ipſa Thermarum Borbonenſium miracula, fugientem animam fruſtrà revocare nitentibus ereptus eſt.

O utinam hîc per anguſtias loci dignè liceret celebrare quæ vidimus, inter quæ nati, educati, enutriti fuimus! Felicibus auſpiciis inter nobiliſſima patris optimi fratrumque exempla informatum, juveniles triumphos, & alia multa futuræ gloriæ in ipſo ingenii ortu non infida præſagia referremus. Quæ Medicum ineuntis curriculum prima fortuna fuerit, quàm celerrimè vix adoleſcentis Medìci latè ſparſa fama, quanta brevi apud magnates collecta gratia, ea hîc coacti lubentiùs mittimus; hæc quippe omnia, quibus adeò tot alii ſuperbiunt, ipſe caſui fortunæque dabat, cùm tamen nemo ſibi meliùs forſan certiorique jure ea vindicaſſet.

At ægrè invitique magis ea ſilentio

premimus, in quorum partem certè fortuna non venit, facile ingenium, ſtudii immenſam cupiditatem, undè tam antiquitatum plenus, tam litteris omnibus ornatus, tam medicâ diſciplinâ, tùm veteri, tùm recentiori inſtructus evaſit. Utinam & pretioſiſſimas animi dotes, quibus & nobis adeò & aliis frui licuit, hîc daretur exponere! Quanta rebus in publicis dignitas, in domeſticis amœnitas! Quantùm & collegis amandus, & colendus ſuis! Ut ſedulus apud ægros, ut liberalis apud indigos, ut humanus apud omnes; quàm à cupiditate alienus, quàm ſucceſſibus non elatus; quàm virtutis cultor!

Iſta quidem jucundiùs; at alia nec gloriosè minùs, & utiliùs forſan enarraremus, ſi liceret ipſum hîc loci repræſentare ægris aſſidentem, nullis non intentum morborum phænomenis, ita tamen diſſimulatâ obſervationis ſollicitudine, ut miſeros in mediâ dolorum anxietate ſpe ſimul erigeret, amicitiâ conſolaretur, amœnitate re-

crearet. Indè si urbanis negotiis adhuc fervidum intrà secretos musæi parietes daretur sequi, quàm lubenter, quàm utiliter ipsum intueremur ea quæ modò in privatam cujusque utilitatem congesserat, non infœcundâ observatione in majora artis incrementa colligentem, undè rursùs in plurium commoda veluti luxuriantia semina pullularent.

Sic igitur dùm nihil expertum semel inutiliter torpere pateretur, mirabimur minùs quomodo tot ingenii monumenta reliquerit, quamvis plurimis tumultuosæ urbis distractus negotiis, vix haberet id temporis, quod, non dico amicis, parentibus, necessariæ relaxationi, sed & vitæ concederet.

Hisce debentur brevibus otiis quæcumque (1) de opii actione, de irritamentorum variorum vi in animalia corpora, de (2) durâ matre, de cere-

(1) Diurn. Medic. T. IV, V, VI.

(2) Acad. Scienc. Mém. des Sav. Etr. T. III. p. 277 & 344.

bro protulit olim experimenta. Nuper etiam vidimus quàm plurima observata in Societatis Regiæ Medicæ gremium veluti effuderit, assiduus, inexhaustus. Verùm (1) hæc de actione quorumdam medicamentorum, de odoramentorum naturâ, de adipis affectionibus, de somno in morbis nocivo, de frigore præternaturali, de aphthis nostratibus, de nonnullis annorum constitutionibus cumulata quid memorabimus? Manet æternum Hippocratis Aëtiique ab ipso plurimis observatis asseverata de alimentis doctrina; manent lucidiùs explicata Sanctorii Gorterique de perspiratione effata; nec utiliter minùs legentur quæ de melancholicis morbis & quæ de cutaneis scripsit, de quibus copiosiùs quin dicamus obstat locus. Dicent alii quibus & dabitur clarior occasio, & favebit sublimioris ingenii facundia; forsan & hæc olim nobis quoque pro nostris viribus licebit enarrare. Ea nos hîc tantùm tristis manet

(1) Partim adhucdùm inedita.

cura pretiosas colligere reliquias viri nimiùm, heu! desiderabilis. Servamus etiamnum, in lucem brevi ut speramus proditura, quæ ex veterum, tùm historicorum, tùm Poëtarum scriptis excerpta passim, in unum collegit Medicinæque reddidit utiliora observata. Quàm vellemus & nos, incœpto labori non impares, si vires & ingenium sinerent, iisdem quondam insistere vestigiis! Annuite cœptis, si quid adhuc curatis mortalia, o manes carissimi! Vestroque orbatos numine hoc saltem maneat solatium, nos hodie vobis necdùm ultimùm esse parentatos.





DE PRÆCIPUIS MORBORUM MUTATIONIBUS ET CONVERSIONIBUS TENTAMEN MEDICUM.

Quid sint in morbis mutationes ?

SÆPIUS, ſummâ ægrotantium & medicantium infelicitate, cùm jam ſanitatis limina ægri videntur attigiſſe, mutatâ ſpectaculi facie, morbos novam induere formam, alias obtrudere obſervatoribus agendi occaſiones, imò, ſpe quæ illuxerat depoſitâ, feralem ab hâc mutatione exitum morbos portendere, inter artis infortunia non novum nec inauditum eſt. Imò aliquandò, ipſos inter decertantis naturæ nixus & in morbi vigore, cùm ſpes ambiguæ, omnia, ſubito impetu retrò relapſa, ad alia converti phænomena, nec expectanda nec prævidenda, viſum eſt. Id

cùm obſervaſſent non ſine ſtupore antiqui artis Profeſſores, triplicem quo res fieret modum ſtatuerunt. Dùm ſcilicet non ex actione, aut cauſæ morbum efficientis, aut naturæ contrà nitentis, morbus alter alteri ſupervenit, ſed ex qualicumque eventu nova labes alteram excipit aut illam comitatur, ita ut novus hoſtis jungatur veteri, & oſcitantes opprimat; hanc labem improviſò ingruentem *Epigeneſim* adeſſe incuſarunt & hoc nomine deſignavere.

Diviſio mutationum in morbis admittenda.

Quid ſit Epigeneſis?

Metaptoſis adeſſe dicitur cùm inter medios morbi tumultus, vigenteque ſymptomatum atrocitate, prædominans aliquod exurgit phænomenon, & non extinctâ, non deſtructâ morbi causâ, ſed illâ contra partem aliquam invadente, inopinata reviviſcit ſcena mali, mutatur ſymptomatum ordo jam anteà conſtitutus, &, vel novæ ſpes, vel timores novi exſuſcitantur. Eſt ergò metaptoſis morbi mutatio ab ipsâ cauſæ mutatione pendens, quæ, ſi fuerit à vi morbi graſſantis & prædominium in corporis vires obtinentis accita & procreatà, metaptoſis jure dicitur, & nomen illud ſervat: ſi verò contrà mutatio illa à naturæ viribus fiat cauſam morbi materialem vincentibus, eamque in meliorem conditionem jamque magis obſequioſam mutantibus, aderit ſic propriè dicenda *Metaſtaſis*, in quâ mobilior facta morbi materies, partem cui inſederat relinquit, & in aliam defertur, cum totiûs corporis levamine, ſaltem per aliquod

Quid ſit Metaptoſis latiori ſenſu?

Quid Metaptoſis ſtrictè dicta?

Quid ſit Metaſtaſis?

temporis ſpatium emicante. Nam, ut poſteà videbitur, Metaſtaſis, licèt à naturâ victrice inſtituta ſit, poteſt aliquandò ad perniciem corpus deferre. A pluribus tamen Authoribus alio ſenſu fuerunt accepta hæc vocabula, *Diadochenque* vocaverunt Metaſtaſim ſalutarem, & cauſam morbi in nobiliorem partem delatam Metaſtaſeos nomine deſignaverunt. Simpliciori nos & magis univerſali ſenſu Metaſtaſim cum Galeno vocabimus, eam quæ fit in morbo à viribus naturæ mutationem. Hæc ab Antiquis à μεταῤῥύσει, ſive defluxione humorum pendere dicebatur; quod cùm ad Metaptoſim ipſam aliquandò pertineat, licebit Metaptoſim pro genere haberi, cujus ſpecies duæ numerabuntur: alia humoris efferati & ferociam novam nacti ideam exhibet; alia contrà, vincentibus naturæ viribus, oppreſſam nobis morbi materiem deſignat ſub ſpecie humoris mitiùs ſub legibus naturæ fluentis, & vel in corporis indolem mutandi, vel quantocyùs expellendi. Prior ſemper mala nuncupabitur; poſterior, per ſe ſalutaris, poteſt tamen, caſu qualicumque, aut accidentium concurſu, feralem habere exitum.

Quid diadoche?

Diviſio quidem hæc, ſimplicior, accuratè ſervanda ideò eſt, quòd omnia mutationum in morbis obſervandarum genera complectatur. Vel enim mutatio in morbo à novo inſultu cauſæ qualiſcumque pendet, eſtque Epigeneſis, de quâ ante omnia agendum erit

Diviſionis hujus commoda.

vel à causæ ipsius conversione repetenda est, tuncque vel Metaptosis est à morbi viribus concitata, vel Metastasis à naturæ efficacis robore & nixibus facta & perfecta: de quibus unaquæque, partem in labore nostro sibi propriam vindicabit, & peculiari lance suo ordine perpendetur.


PARS PRIMA.

De Epigenesi.

Epigenese-
seon divisio.

EPIGENESIS, à quâ sumemus exordium; ut pote quæ simplicior est, licèt causam non attingat, nec immutet, vel ab ipsius morbi effectibus nascitur, ita ut causa quæ prior læserat, corpus immutando ipsam inducat; vel casu tantùm, nec prævisо, nec vitando, in corpus jam anteà ægrum incidit. Hinc in eâ duplex inquisitionum & observationum fons oritur. Prior, à morbo nascens, sectionem primam constituet: alteram Epigeneseon classem secundâ tractabimus, quæ scilicet prorsùs ægro extranea & ejus infortunio debita dici potest.





SECTIO PRIMA.

De Epigenesi quæ ab ipso morbo pendet.

EPIGENESIS quæ à morbo pendet nullam cum ipsius causâ connexionem obtinet, alioquin Metaptosis foret; sed ab ipsius effectibus repetenda est, quibus perpensis & accuratè pensitatis, Medicus hanc Epigeneseos speciem prænuntiare & præcavere possit. Sic œdema quod hæmorrhagiis immodicis supervenit, furore morbi composito, & pacatis omnibus, Epigeneseos exemplum nobis præbet à morbo pendentis, sed nullam cum morbi causâ connexionem obtinentis. Morbus vehemens primùm atque per se inflammatorius, in juvenili ardore, symptoma hoc intulit, debilitato scilicet vasorum tono, exhaustisque partibus humorum actuosis, cui ipsa prioris morbi causa omninò repugnabat. Hinc ad scrutandam Epigeneseon illarum originem, ad morborum effectus physicos perpendendos, proventusque mutationis physicæ in corpus ægrum inductæ necessarios æstimandos nostra se vertat meditatio oportet. Causarum autem ex quibus eliciuntur effectus à priori morbo diversi, quatuor capita possumus in-

Epigenesis à morbo pendens; quæ?

Divisio causarum Epigeneses quæ à morbo sunt inducentium.

tueri. Quid conferat, ad efformandas illas Epigeneses, virium defectus? quas iis commovendis occasiones offerat harum immoderata actuositas? Quid ad eas importandas possit efficere humorum pejorata & iners conditio? Quâ ratione demùm Epigeneseon ferax sit absurda illa & abnormis nervorum ad sensus & motus regendos constitutorum irregularitas, dùm, legum à Creatore impositarum impatientes illi, motus concipiunt ordini naturali immorigeros, & nunc œconomiæ animalis effectus tardant, nunc contrà illam, inconditis abreptam convulsionibus, hùc & illùc procellæ ritu impellunt. Hisce essentialibus, physicis & intùs natis causis diverso quidem ordine, sed necessario, addendi sunt causarum extra positarum impulsus, quibus percelluntur corpora morbo jam affecta sævienti. Immanes certè procellosasque mutationes in morbis valent invehere, nunc animi affectuum impetus, nunc variabilis athmosphæræ inconstantia, nunc cibi potûsque absurda & abnormis usura, omnium tandem illorum malè morata conditio quæ Hippocrates sub nomine Τὰ ἔξωθεν, voluit designari.



CAPUT PRIMUM.

De virium vitio Epigenesеon causâ.

Virium naturalium ratio ad concoctionem.

AFFECTUS morbosi à virium defectu nascentis naturam & species hîc definire prorsùs inutile foret, res aliunde satis cognitas. At quoties causa functiones lædens sine violento artis aut secantis aut urentis exercitio tolli potest, auxiliatrix ars nostra sine naturæ efficacis actione nihil peragere potest. Summo Conditoris beneficio ita comparatus est corporis organismus, ut quas infirmitatis nostræ conditio causas invexit, ipse mechanismo naturæ semper actuoso debeat aut in melius mutare, id est, ad proximam naturæ conditionem revocare, aut extra corporis actuosi limites eliminare. Hoc quidem summi momenti opus, ab antiquis, sed præsertim ab Hippocrate, coctio dicebatur. Coctionis igitur cujuslibet effectus in hunc scopum omnis intenditur, ut materia lædens mitior evadat, sive per adscitas ex ipso corporis fundo partes, simulque in motum actas, immutetur fiatque naturæ similis; sive in varia incernicula, extranea

prorſùs, mitificata tamen, ab actionis centro abjungatur & diſtrahatur; ſicque, vel utilis, vel excrementitia facta, ad naturalium humorum indolem propiùs adducatur moles illa, quæ proximam videbatur intentare perniciem.

Coctio & naturalis, & morboſa eodem fiunt mechaniſmo.

Porrò, ut ad alimentorum coctionem perficiendam, ſic & ad peragendam hanc mutationem morboſæ materiæ, non ſolùm inſtrumenta n aturæ eadem ſunt, eandemque prorſùs actionem exerunt; ſed mechaniſmo unico atque ſimplici res peragitur. Differentia inter alimentorum in vaſa ſemel acceptorum concoctionem & eam quæ ad materiem morbificam pertinet, in eo tantùm conſiſtit, quòd materies morbi venenata, multùmque à noſtris diſſita elementis, ſummo gradu diſtet à chyli naturalis indole legitimâ & naturæ conſonâ, majoreſque organorum eorumdem ſibi poſtulet & longiores nixus, ut concoquatur & ſubigatur in meliorem formam. Si verò ejus ſit naturæ ut mutari, adunarique cum inquilinis principiis non poſſit, certè aut vincetur atque ſuperabitur natura, aut venenata illa maſſa expelletur. Si enim illa mutari non poſſit, principia ſibi appoſita mutabit, ex ipsâ rei neceſſitate, adeòque deficiet brevi vitalis humor, & functiones interturbabuntur. Quantùm verò tumultûs expectandum erit, ſi hujus ſit indolis, quâ poſſit ipſa multiplicari parteſque inquilinas in ſeſe convertere atque corrumpere?

Ut ergò alimentorum moles aut nimia, aut donata ſupereminenti acredine, novos nixus, jàmque ſenſibus deprehendendos, cogitur à naturâ poſtulare, temporiſque ſpatium majus ſimul expoſcit, ita, alienis metuenda qualitatibus, immiſſa vaſis materies ſimul & conatus majores, & temporis ſpatia longiora ſibi vindicat: quo tempore mille illabentes eventus, nunc epigeneſim, nunc metaptoſim accerſunt, & ſæpè conatus naturæ, ſuperante venenatâ materiâ, prorſùs evadunt inutiles, imò noxiæ, exhauſtis & conſumptis brevi viribus, tuncque fato cédendum eſt.

Coctio morboſa, naturali tantùm operoſior.

Nec certè qui ſemel agentem ſpectaverit naturam repoſitas & quaſi reconditas in ejus ſinu vires negare potuerit, à quâcumque causâ pendeant illæ. Neceſſaria eſt naturæ actio, ſcopus certus, conatus evidens, gradus actionis obſervari ſe ſinit, atque morboſæ cauſæ conferri; victoria demùm, aut etiam ruina ex his obſervatis prævidentur.

Verùm in quâcumque illâ mutatione, ſive, ut medicè loquamur, concoctione, notante poſt Hippocratem Galeno, non ſolùm homógeneæ partes arctiorem inter ſe connexionem contrahunt, ſed etiam ſejungi atque ſemoveri partes heterogeneas ab eodem mechaniſmo, neceſſariò ſequitur. Unde nulla aut fieri, aut concipi poteſt coctio, ſine novo excrementorum proventu; quæ, ſi legitima exierint, & ad naturam, quantùm ſinit cauſæ no-

Coctionis effectus, eliminatio nocentium.

centis indoles, accommodata, cocta etiam, seu rectè præparata dicenda erunt.

Ex his oritur prognosis.

Patet certè, ex hoc simplicissimo agentis naturæ intuitu, adesse debere in ipsâ nixus adversos, causæ lædenti proportionales atque posse ex læsionis gradu, ex functionum laborantium numero, ex naturæ viribus, quarum judicium fit penes superstites actiones præcipuè vitales, de rerum eventu pronuntiari: si non accederent aliundè tot desumpta, nunc ex ipso corporis fundo, nunc à circumstantibus insidiis impedimenta, quæ constitutum à naturâ ordinem interturbant, arti diffidentiam incutiunt, observationi offundunt caliginem, & dum ipsius naturæ tardant operam, viam ancipitem temporibus dubiis, vix sinunt aspici.

De certaminis illius, quòd necessariò, inter lædentem causam & naturæ vires, in omni morbo actuoso exoritur, fortunâ, duratione, & formarum varietatibus, hîc agendi locus non est. Satis erit si rem accuratè perpendenti patuerit quanti sit momenti naturæ vires expendisse, ponderasse, & quàm certò, quàm evidenter, sanatio quævis ab iis solis, famulante intereà arte, pendeat. Hæ porrò non aliter expendi atque æstimari possunt, quàm spectato atque expenso functionum, præcipuè verò illarum quæ ad vitam conferunt, exercitio, ita ut rectè Galenus edocuerit, nullum posse timorem legitimum animos percellere circa ægrorum illorum morbos, quibus pulsus

vehemens atque liberè decurrens eſt, & quibus reſpiratio integra & ſarta permanet. Tum poſteà perpendenda ſupereſt accuratè excrementorum indoles, quæ, in ſalute illuceſcente, jam ſine irritatione, imò cum juvamento prodeunt, ſcilicet à vincente naturâ ſubacta: hæc ſub actione organorum conſtanti denſiora atque æqualia magis efficiuntur, ita ut promptiùs, faciliùs, copioſiùs & magis ſecundùm naturæ ordinem, expellantur. Signa hæc omnia inter ſe collata, de naturæ & morbi certantium viribus judicium conſtituunt. Prognoſim Medici vocant, de quâ id universìm pronuntiari poteſt; ſcilicet, quò æger minùs ab ordine naturæ recedet, eò etiam ægrotabit ſecuriùs.

Spes omnis in actionum conſtantiâ ſita eſt.

Verùm etiam hîc, ſolâ adhibitâ obſervatione, annotare liceat quòd, ut in pacatâ atque tranquillâ functionum exercitatione, ſic & in ipſo morborum tumultu omnia eâdem lege reguntur, eamdemque in actione naturæ conſtantiam demonſtrant, eò in morbis admirandam magis, quò evidentioribus ſignis obſervandam ſe præbet. Undè etiam, inter ſigna periculum ſecum afferentis morbi, jure irregularitas phænomenorum malè & nullo ſervato ordine recurrentium, recenſetur. Si quidem id proprium eſt virium ut conſtanti uniformique lege agant & agantur; multòque magis fiduciæ ſibi vindicet operationis conſtantia, quàm abnormes, inconſtanteſque

nixus, qui opere in medio cessent, aut interrumpantur imperfectasque machinationes deserant : unde & mutatur & multiplicatur hostilis materies, vixque redimi longiori potest intervallo tempus miserè deperditum.

Ortus & divisio Epigeneseon à viribus pendentium.

Nec difficile est ex hâc rerum contemplatione suspicari, quantæ Epigeneses possint medio in certamine morboso nasci à virium illarum vitio, quæ per se ita constitutæ sunt, ut ratione certâ, æquoque conatuum dispendio, ac determinato tempore rem unicam fixam atque certam agant. Virium illarum actione inconstanti, nixibusque incertis & abnormibus, semel positis, jam non idem effectus producetur. Ac primùm à nimio impetu tumultuosè agente confusio orietur tum in miscelâ partium, tùm in excrementorum generatione, novaque suberunt producta ab ordine naturali plus minusve dissita, Epigenesibus generandis apta. Si contrà, fons alter Epigeneseon, vires elanguerint, consumetur inanibus conatibus natura, nec tantùm tempori prorogando conferet illa inertia, sed etiam grassabuntur, ab ipsâ laboris inutilitate, lædentis materiæ nec æquis debellatæ viribus nocivi effectus; & quod illi materiæ additur, detrahitur etiam naturæ, quam ideò superandam jure augurabimur. Quod si demùm nerveâ & sentiente parte per inconditos motus raptâ & efferatâ, loco regularis certaminis, convulsivè vires certamen ineant, nec jam certis & statis effectibus

producendis aptæ ſint, quantas inde Epigeneſes poſſumus pertimeſcere? Has ſuo quoque articulo liceat proſequi.

ARTICULUS PRIMUS.

De Epigeneſi à viribus corporis nimis validè agentibus pendente.

VIRES quidem corporis, ſi in ſtatu naturæ conſono ſpectentur atque ad ſanitatis normam compoſito, nixus cauſæ lædenti proportionales exerere debent; ita ut nec plus, nec minus quàm par eſt exardeſcant. At ſæpe evenit ut plus æquò ſentiant nervi viribus ultrà modum concitandis pares, & ad minimum motum concipiendum habiles, levi de causâ in efferam violentiam commoveantur. Evidens eſt illa conditio fibrarum ſentientium & mobilium in iis homuncionibus, qui vel leviſſima delicta ſentiunt, quibus ſenſus acutiſſimus eſt, quos vel fragor levis in motus abnormes abripit, quos terrent auræ, quos vinum, etiam parcè ſumptum, febriculâ commovet; nec epulis lautioribus, nec cibo craſſiori apud illos locus ullus patet, quin pulſent vaſa undique. Calor in toto corpore, ſed ad manuum volas & genas præcipuè, concoctionis naturalis tempus deſignat, prævio quodam horrore levi, fugaci ſed ſæpe repetito. Si ergò in homines, & præcipuè fœminas, quibus illa

Quâ ratione vis naturæ nimia poſſit intelligi.

constitutio propria est, causa lædens incidat, tunc non jam proportionales agenti causæ conatus exeret afflicta natura, sed pro ratione sensûs acutissimi in corpore infirmo enascendi ferociet : ita ut vires nimiâ vi concitatæ agant in ratione compositâ tum causæ lædentis, tum corporis nimiâ vellicatione occupati. Duplex est porrò corporis status in quo virium nimis violenter agentium nixus metuendus est : prior est fibrarum, ut delicatarum atque tensarum mobilitas; posterior earumdem densitas & robur. In priori casu fibræ tumultuosè oscillant, & impetu ingenti; unde omnia in his vividè aguntur, & abnormi effervescentiâ corripiuntur. Posterior ubi contingit casus, ut in duro fractis labore militibus, vis resistentiæ ad causas impellentes maxima vix externis concutitur aut commovetur. Verùm ubi semel exarserit causa lædens, excandescit natura, conceptum semel ardorem diu servat, & quæ fibrarum densitate diu restiterat, à concepto demum vitio tota occupatur atque superatur. Singularum igitur quibus in excessum rapiuntur vires causarum effectus experientiâ duce persequamur.

Hujus in viribus excessûs causa duplex, mobilitas, robur.

1°. Epigeneses à nimiâ mobilitate.

Ac primùm levi de causâ concitatâ mobilitate, exardescente citò citiùs naturâ, febris oritur vehemens; ingens cumulatur excrementorum proventus, unde & coctio imperfecta; & tristes ab illo abrupto motu reliquiæ supersunt : imò & sæpe labes infertur rum-

pendis apta viſceribus, morboque nec mutato, nec miteſcente, hæmorrhagiæ per nares, pulmonum rupturæ, fiſſuræque in horum vaſis, quæ, morbo alioquin ad ſanitatem aut ad perniciem decurrente, Epigeneſeon titulo ſuperveniunt; quibus pro re natâ adjungi placuerit hæmorrhoïdes mirè fluentes, ſi hepar aut venæ portarum confinia malum attigerit; uteri etiam fœminei tum hæmorrhagiæ, tum ſtillicidia. Apud alios, febre alioquì ſimplici detentos, ſuperveniunt ſæpiſſimè, ſub Metaptoſeon vero nomine, inflammationes in partibus maxime debilibus, quæ etiam non rarò pro Epigeneſibus habendæ ſunt, ſi Epigeneſes illæ à causâ morbi productæ, per ſe & ſeorſim à reliquis ſymptomatibus ſæviant & nihil in prioris morbi eſſentiâ immutent, ſed illum ſinant ſtatâ periodo curſum ſuum abſolvere. Id quotidianâ obſervatione in laryngis atque pharyngis inflammatione videmus, quæ, dum ſeſe in juvenibus febri comitem adjungit, ejus quidem fata ſequitur; ſed ariditate inflammatoriâ ſemel inductâ, nec per actionem vitæ adauctam tollendâ, febri ſæpe ſuperſtes malum ultra ejus terminos protenditur, & longiori ſupplicio vexat ægrotantes. Imò nulla pars datur in corpore, quæ, per debilitatem morbo præviam infirmior facta, ſimilia mala non experta fuerit. Ut enim in ſingulis partibus ab illâ actione nimiâ naſcentes ſequamur Epigeneſes, quoties, à phrenitide

Epigeneſes in morbis cerebri.

& morbis cerebri nimiam inflammationem passi, supervenire videmus, à præfracto vasorum tono per distensiones prævias, fatuitatem, animi imbecillitatem, & ratiocinii destructionem; quibus contrà si aliquâ de causâ febris novo succensa igne pro Epigenesi fiat, redeunt facultates omnes illæ quæ pro deperditis habebantur? Mulierem vidi, quæ fatuitate & imbecillitate post phrenitides afflicta remanserat, hebetibus omnibus sensuum organis. Hæc imprudente consilio gravida fit, rediere sub hac actione naturæ mentis vigor & functionum hilaris libertas; defuncta partu in eamdem recidit morosæ mentis imbecillitatem. Bis res eadem recidit, licet meliora sperare licuerit. Visum est sæpe phrenitidi illi jam sedatæ & compositæ supervenisse amaurosin, remansisse diuturnam auris duritiem; imò & post similia mala bombus aurium chronicus perstitit. Mala hæc omnia Epigeneseon titulo metuenda, nonne propiùs ad illos pertinent qui levi de causâ à rationis exercitio dejiciuntur, ut plures sunt qui, vel in leviori febriculâ, delirant aut loquacitate fatigantur pro levi causâ, aut veterno sopiuntur, sine ullo alio gravi symptomate quod terrorem incutiat. Imò tonus ille, præter naturæ modum acer & sensilis, ægros iisdem aut paribus reliquit morbis obnoxios. Quid, quòd à morbo phrenitico semel experto, infantum ætas præcipuè insultibus epilepticis per longa vitæ spatia

indomabilibus obnoxia fieri obſervata eſt, qui datâ novâ occaſione, etiam ætate jam magis ſecurâ, eruperunt? Imò nullum ferè delirium, quod & conſtans & grave fuerit, in febribus emicuit, quod non aliqua ſui veſtigia per longum tempus imprimat. Vires redeunt, ſanitas auſpicatò invaleſcit; at ubi major impetus fuit, ibi etiam debilitas pro Epigeneſi major enituit. Qui ſemel apoplexiâ violentâ concidit, hic per totam vitam vix eâdem loquitur facilitate, vix recentia & poſt morbum memoriæ tradita & commiſſa retinet altè impreſſa. Ad Metaptoſin enim referantur quæ apoplexiæ ſuperveniunt, paralyſis, torpores, actionum impedimenta.

Epigeneſes in morbis thoracis.

Nec verò, qui thoracem & partes in eo contentas nimiâ ferociâ morbi adorti ſunt, ab Epigeneſibus corpus relinquunt liberius. Vocis ſæpe ſæpius periit, vix unquam redivivus, nitor. Reſpirationi nectuntur impedimenta, pro leviſſimâ causâ renovata: fit, ut aiunt, aſthma, ſputorumque catarrhalium proventus vix extinguendus & ſenili ſimilis. Adhæret ad perioſteum internum pleura, huic pulmones: hinc dolores punctorii; hinc ad motus violentos nova difficultas, atque ad clamores impotentia: imò cor ipſum, triſtis viciniæ jure, in palpitationes & motus inconditos rapitur; indèque in propriâ ſuâ conſtitutione læditur, polypoſque patitur & con-

cretiones in ipſo ſanguine ibi refluo, quo malo nullum aliud frequentiùs morbis pulmonum inflammatoriis ſuccedit, adeòque ſanitatem perpetuò interturbat, imò & vitam proterit. Neque hîc de ſuppuratione agendum eſt, quæ ſæpiùs Metaptoſis dici debet, dùm morbo non ſupervenit, ſed eum prorſùs immutat.

Epigeneſes in morbis ventriculi.

Si verò à thorace & partibus ad reſpirationem inſervientibus ad ventriculum deferamur, quot enarrandi ſunt dolores qui vel in ipſum caput deferuntur, vapores dicebant antiqui, inde ad ſuperiora elatos? Abſurdam hanc emanationem eſſe demonſtrat Anatome; at ſympatheiam eſſe veriſſimam comprobat obſervatio: unde alter alteri affectus ſupervenit, à remanente intrà ventriculum infirmitate, quæ aut à conſtitutione orta ſit, aut caſu quocumque efformata. Indè ſæpe oriuntur diuturnæ & vel ad leves epulas concitandæ oculorum caligines, vertigines, ad labores animi capeſcendos mera impotentia, imò ſæpe hemi-craniæ illæ adeò in habitum facilè trahendæ, adeò operoſè debellandæ. Similes capitis affectus omni medicinali methodo rebelles, quæ per longa annorum ſtadia virum alioquin fortem divexaverint, dyſenteriæ epidemicæ per ſe ſymptomatibus ſuis metuendæ beneficio, omninò perſanatos vidi. At multoties, vomitu virideſcente porraceo ſemel per ipſam morbi ferociam & ventriculi

efferati ſpaſmum advocato, illicò ceſſant omnia ſymptomata, licet vix ipſe ventriculus, cauſa & ſedes mali, aliquid per ſe pati videatur: latet enim ibi ſenſationum centrum, maximè annotandum Medicis, ad quod tamen malè omnia referas, licet ipſi nimiùm adſcripſerint multi, tum inter veteres Philoſophi, tum inter recentiores Medici. Nec minora mala creat ventriculus, ubi membranæ ipſius organicæ ſenſu donatæ exquiſito phlogoſim videntur concipere, increvitque præter modum *irritabilitas* illa (ut parum latino nomine utar) quæ ſibi ſua propria vindicat ſymptomata, dolores, ſingultus, nauſeas, & tractiones illas ponderoſas, quas ſpaſmum vocavere antiquiores Medici. Sed ut progrediamur ultra, ventriculus non caput ſolum, ſed & organum cutis ipſum ad Epigeneſes ſuſcipiendas habile facit. Imò ſæpe tuſſes occaſione datâ concitat, non ſemper repurgato ventriculo ſanabiles, ut aliquandò triſtes reliquiæ in ipſo thorace ab hâc cauſâ etiam expugnatâ relinquantur. Quàm ſæpe puſtulas inde natas vidimus, quàm ſæpe vultûs deletum nitorem obſervavimus, poſteà nunquam redivivum?

Sed nulla alia ferax magis Epigeneſeon datur cauſa ab auctâ virium intenſitate pendens, quàm quæ repetitur ex ipſo hepate. Illud ſcilicet viſcus, volumine immenſum, per uſum cui dicatur, per eas quibus vici-

Epigeneſes in morbis hepatis.

niæ & organiſmi jure jungitur partes, reliquias omnes, & crudas, & putridas, quaſi imbibit & intra ſe retinet, vaſa hùc ingentia advecta comprimit, opplet : hinc Epigeneſes variæ, quæ venam portarum & abdominales venæ cavæ ramos gravant, atque hæmorrhoïdes accerſunt. Hæ, ut metaſtaticæ eſſe poſſunt & metaptoſin facere, ita etiam ſimpliciter aliquando Epigeneſes vocari debent. At quantus inde obſtructionum in vaſis & glandulis fomes enaſcitur! Jam nulli functioni abdominali, concoctioni, expulſionique ſua relinquitur integritas, nulli ſecretioni ſuus ordo, ſuæ partes competunt. Quæ vitia ſemel nata, & ſaburræ elementum immane relinquentia, non facilè tolluntur, cùm malum violentiùs actum ariditatem intulerit, & partes lymphâ molliori alluendas nimio ardore exſiccaverit, ſicque aruerint omnia. Hinc ſupervenire fas eſt illi hepatis phlogoſi, quam antiqui ardorem hepatis vocabant, tot colicos dolores, tot tormina, dyſenterias, fluxus cœliacos, diarrhœas, aliaque hujuſmodi mala, perverſo confirmanda atque pejoranda regimine. Nec non verò calor ipſe & ardor exſiccans, effectu prorſùs contrario, glandulas meſaraïcas lymphaticas in duritiem lapideam convertere viſus eſt; unde etiam, novo & oppoſito proventu, natus eſt hydrops, ortum deduxere cachexiæ vix prævidendæ, & ſub arenti phlogoſi diſſimulatæ. Nec certè

de casu adeò raro loquimur, si præsertim, causas inter remotiores, virus aliquod ibi antiquitùs delatum recensuerimus. Calidam hepatis intemperiem veteres accuratè descripsere, inter quos eminet Alexander ille Trallianus.

Epigeneses ad bilis secretionem turbatam pertinentes.

Verùm si jam bilis organum illud maximi momenti, in hepate vitiari attendamus, nova sese nobis prodent Epigeneseon genera, formæque prorsùs diversæ: scilicet quòcumque defertur illa, etiamsi eam non vitiatam supposueris, fit colore mutato, sive per icterum, sive per maculas livescentes atque flavescentes epigenesis. Hinc sordent oculi, lingua oppletur muco, gingivæ salivâ vitiantur, urinæ nigrescunt, vires, appetitus, omnia elanguescunt, ipsa sensuum arx, saltem ut plurimùm, laborat melancholiâ, & libertatem alvus amittit, scybala tantùm dura, argillacea, identidem multis nixibus, parturiens. Verùm, licet aliquando icterus possit acutioribus naturæ nixibus supervenire, iisque sese comitem addere, raro simplex est ille, & vulgò, post efferos naturæ labores, putridam indolem, sive commixtione morbificorum atomorum, sive actione ipsâ præcipiti & violentâ naturæ, nanciscitur. Unde novæ & in ipso morbo & post morbum Epigeneses. Natos abscessus ab hâc solâ causâ, absoluto alioquin morbo, quis non vidit, ut & maculas sæpe per totam vitam residuas, quasi amissâ bilis fluiditate enascentes? Imò inflammatoriâ

densitate dum constringuntur omnia atque igne inde nato arescunt, intrà vesiculam felleam concrescunt calculi resinosi, efficiendis cruciatibus apti, renovabilibus illis, imò vix, nec nisi summo artis labore, extinguendis. At interea proprietatibus suis actuosis & mordaci atque solutivâ acredine defraudatur bilis; unde brevi elanguent coctiones; qui languor effœti & vieti chyli, brevi cachexiam inferet. Lien ipse, hepati vicarius à naturâ additus, obstruitur. At maxima sæpe mala, imò & aliquandò feracem minantia exitum ab hæmorrhoïdibus nascuntur, de quibus sub metaptoseos & metastaseos titulo cum STAHLIO amplior injicienda erit mentio.

At nulla secretionis illius per inflammatoriam diathesim vitiatæ mutatio, potentior est ad accersenda mala, quàm quæ à veteribus atrabilis dicebatur, nunquam nisi maximè diram metaptosin efficiens, sed infelix Epigeneseon variarum origo, cùm à rodente & urente ejus efficaciâ nulla pars libera esse potuerit. Hujus autem nunc tardos effectus, nunc peracutos, hîc expendere foret supervacaneum, aliunde satis cognitos. Sed dudum in arte deprehensum est, hanc à primâ origine, hepatis scilicet ardore, ortam & efferatam, in quascumque partes impetum facere posse; diraque ibi concitare symptomata, quorum quæ lenissima sunt cum affectibus nerveis sæpenumerò confunduntur, nec immeritò, cùm hujus actio præcipua nervos invadat.

At novam & multiplicem Epigeneſeon originem, deteſtandam hercle nunc ſymptomatibus efferis, nunc diſſimulatis effectibus, præbet intenſior uteri muliebris ſenſus, per varias auctus prætermodùm cauſarum ingruentium formas. Hoc per ſe motibus inconditis & abnormibus infame, ſenſus titillans & ſtringens adeò ſæpe commovet, concutit, abripit. Hic nulla patitur mala quin aliquam ſibi adſciſcat Epigeneſin; primam quidem à mammis, quas indurat & ſcirrho afficit, nunc vero & durabili, nunc falſo & ſæpe protinùs evaneſcente: alteram verò à thorace & larynge, quas partes ita ſub nomine ſtrangulationis aut ſuffocationis hyſtericæ convellit, ut poſteà tonum nunquam recuperare valeant, quaſi contuſis per convulſionem fibris. Non quidem ipſa convulſio pro Epigeneſi haberi poteſt, cùm ſit ſimplex morbi ſymptoma ferè neceſſarium; ſed quæ convulſivos nixus ſequuntur partium diſtractiones, malis mechanicis in organa inferendis aptæ ſunt, ita ut à convulſionibus ſopor apoplecticus aliquandò fuerit invectus, phtiſis pulmonaris inducta, imò ipſorum humorum craſis immutata; ne loquamur hîc de uterinis aut hæmorrhoïdalibus hæmorrhagiis, veſicæ calculo per ſpaſmodicam ſtranguriam inferendo; quæ mala inter metaptoſes potiùs locum obtinent, quàm Epigeneſeon nomen ſibi vindicant; ne loquamur de aliis multis

Epigeneſes ab uteri morbis.

malis quæ utrique ſexui communes ſunt. Nam convulſivis affectibus, & imaginationis læſæ deliramentis, aut capitis doloribus convulſivis, non carent omninò mares; cùm tot infortunia, venereæ tentigines, etiam malâ arte concitatæ, importare valeant. At in ſexu fœmineo hæc omnia ad uterum jure referuntur.

Epigeneſes ab aliis morbis.

Pauca admodùm hîc addenda ſupererunt de aliarum partium morbis Epigeneſes inducentibus. Quippe ſæpe articulorum dolor arthriticus ad ſummum vehementiæ gradum evectus, etiam ſine metaptoſi, omnes prorſùs ſubvertere viſus eſt functiones, ſpaſmoſque in quâlibet parte vel ſummis cum cruciatibus concitare. Hæc quidem pro ſpaſmis habeantur licet ſymptomaticis, ſed quæ remanent à ſpaſmis illis violentis diſtractiones, fibras contundunt atque debilitant, imò & poſſunt non debilitatem tantùm inducere diuturnam, ſed & abſceſſibus locum dare, metaptoſibuſque ſedem parare, ſublato partium tono.

Ab arthritide.

Infantum dentitio, ſolo partis erumpentis & pertundentis membranas mechaniſmo, certè nullius metaptoſeos non capax eſt. Verùm ubi molles gingivas ſubiit inflammatio, quot & quàm varias induxit Epigeneſes? Diarrhœa, propter ſtomachum ſpaſmo affectum & concoctioni imparem, ſæpe affligit. Motu inteſtinorum periſtaltico abnormi ſubintraſſe inter ſe inteſtina ſæpe viſum eſt, viamque alimentis excluſiſſe. Partes vel à dentibus maximè diſſitas tentari eryſipelate,

A dentitione.

eryſipelate, imò turgere œdemate non rarum eſt; quæ omnia vulgò excluſis dentibus ceſſant. At glandulis immiſſa labes, dùm ſtringuntur illæ, & in harum anfractibus induratur atque concreſcit mucus quo turget infantia, ſæpe morbos maximè metuendos efficit, qui totam prorſùs immutant machinam, ipſumque meſenterium obſtruunt & opplent, miſeroſque, antè ora parentum, ocyùs aut ſeriùs feretro deſtinant. Id pueris præſertim fortibus atque lacertoſis competere ante alios obſervatione compertum eſt: uſque adeò virium ipſe exceſſus, convulſiones accerſens, aut motum nimium concipiens, nocere natus eſt.

A glandularum infarctibus.

Hinc etiam ſua vis nocet robuſtioribus illis hominibus, qui fibras per vitæ exercitium ita induravere & per multiplices ſenſationum habitus ita callo obduxere, ut dùm ab externis vix commoventur, cauſas morborum pariter vix imbibant. Poſterior hæc eſt Epigeneſeon à virium nimiarum uſu origo. De his Hippocrates edixit olim eos rariùs ægrotare, difficiliùs verò convaleſcere. His ſi quidem, ubi morbus aliquis exarſit, vireſque illas reſiſtentiæ vicit, calor in atro & denſo ſanguine & fibris validioribus, ad uſque incendium, evehitur. Inde omnia brevi immeabilia evadunt, lemæ concretæ, aridæ, os, linguam occupant. Ardent oculi, reſpiratio difficilis fit, alvus aret, urina erumpit pauca, acris, flammea. Flammas & incendia exhalat aër à

Epigeneſes à nimio robore fibrarum.

pulmonibus erumpens, unde respiratio iis cita, brevis, intercisa, sitis, anhelitus. His icterus aliquandò pro Epigenesi est. Duplex ille observatur; alter à concretâ resinosâque bile vesiculari ortus, alvum obstipat, in cachexiam abire natus post ardores intolerabiles, nisi arte auxiliante solubilitatem tandem in aquâ novam nacta sit bilis; alter contrà bili ardenti & efferatæ quæ acrior exundat undequaque originem debet, dysenteriæque sæviori sese comitem tradit, choleram-morbum mentitus, & aliquandò funestum ab inflammatione sortitur exitum. Quin etiam, sublato morbo, longi sæpe & cruciantes articulorum dolores divexant. Insidet fortibus, tensis, & validis fibris, inducta à morbo debilitas. Hinc oriri videntur nausea, pondus in ventriculo, incoctæ screatus materiæ, glutine mero conflata sputa, pedum inflationes, ad omnes actus impotentia, diarrhæa brevi in fluxum cœliacum desinens; uno verbo debilitas ipsa pro Epigenesi haberi debet, cui succedit, ex densitatis in humoribus inflammatoriæ reliquiis, & fibrarum conquisitâ inertiâ, cachectica illa melancholia, ad scirrhos & hydropem tandem inferendos comparata. Nec dissimulandum est quòd, cùm actionis illius vividæ atque præter modum intensæ effectus ejus sint naturæ, ut nihil ab iis adeò metuendum sit quàm virium exhaustarum prorsùs defectus atque prostratio, sæpe ipsæ, quæ vehementem istam actionem

ſequuntur Epigeneſes, ſummæ debilitatis ideam exprimunt. Convulſus enim atque omninò deſtructus tonus in ſummam atoniam abit. Unde, in ruſticis & operoſo labore victitantibus militibus, reconvaleſcentiæ adeò difficiles ſunt. Eos enim ut inſueta, ſic ſumma debilitas affligit, omniaque viſcera facilè congeſtionibus implentur. Imò ſi jam ſenectutis limina attigerint, nunquam priſtinas vires acquirendi ſpes eſt, ſed præmatura decrepitudo, ſenectuſque anticipata ab hiſce morbis affertur, debilitatâ nutritione, functionum ordine imminuto, & fibris per morbum nimiopere laxatis. Nec Epigeneſes è longinquo videbuntur accerſitæ, ſi hic omnia nocumenta recenſeamus conquiſitæ putredinis, quæ vix emicat, niſi ubi jam indomabilis omnia vitæ inſtrumenta corrupit atque peſſumdedit. Unde multò ſævius dominium exercent febres putridæ peſtilentiales apud ruſticos, ibique ferali ſorte multò plus plectunt miſeros, quàm urbanos & otioſos, ſi quandò epidemicæ inciderint ut quotidianâ notum eſt experientiâ.

Metaptoſin jure illos vocaveris abceſſus qui variolis non ſatis ſolutis ſuperveniunt; epigeneſeon verò titulum merentur anchyloſes quæ in articulos veneno illo contuſos incidunt. Idem nomen ſibi vindicant lippitudines, ophtalmiæ, concreſcentiæ, quæ ſæpe morbo ritè peracto, longa per temporis faſtidia excruciant, ſæpe aut nimiæ, aut protractioris inflammationis proventus.

Articulus Secundus.

De Epigenesibus à virium defectu.

Viribus naturæ perpetuo motu agentis, in corpore omnia perfici evidens est. In his regendis, suscitandis, imò & moderandis ars universa posita est. Hæ si defecerint, aut feralem omninò exitum, aut ancipitem saltem successum hariolari fas est, aut longa & incerta certamina, solutionesque vix unquam absolutè perfectas. Oneris insueti ferendi, nec tamen adhuc naturæ vires vellicantis, lassitudines prænunciæ sunt, deest alacritas, ut cum Hippocrate loquar; & ut Sanctorii verbis utar, pondus augetur, sive verum atque ad stateram reverâ deprehendendum fuerit illud, sive tantùm ab infirmitate virium plus sensui debeatur quàm ponderi reâpse aucto. Rem statera demonstrat, sensui fidem detrahens. At triplici sub aspectu vires aut accisæ videntur, aut saltem pro ratione morbi minores quàm ut certos edant effectus.

Virium defectus triplex. Primus, à morbi magnitudine prægravante.

Primò enim vires oneri illi novo sustinendo sunt impares, ab ipsius oneris, sive, ut dilucidiùs loquamur, causæ lædentis magnitudine; fatiscit natura, morboque impar succumbit. Sed quæ in talibus morbis accidunt Epigene-

ſes, vi morbi ipſius obſcuratæ, jure pro ſymptomatibus habentur : quippe, docente ſic Hippocrate, in validis morborum inſultibus, (Aph. S. 2. 46.) duorum dolorum, qui vehementiùs emicat, alter alterum obſcurat. At ſæpe natura, ſaltem fortiter decertans, vinci vix ſe patitur. An tunc inter Epigeneſes numerabimus ſymptomata quæ his accedunt, quæ propter varietatem vix numeranda, univerſali apud Gallos malignitatis nomine deſignata ſunt ? Illa olim diverſa, pro ipſorum varietate, nomina febribus imponebant. Sic febris *helodes* olim dicebatur illa in quâ ſudoribus, morbi formam non mutantibus, ægri diffluebant : φρικώδης illa in quâ rigores ſine normâ frequenter ægrum divexabant : *aſodeos* nomen ſibi vindicabat illa in quâ ægri, præ nimiâ anxietate, ſtare lecto neſciunt, & variis motitationibus dùm ſibi requiem quærunt, negatâ ingemiſcunt. Hæc & alia pariter ſymptomata, incertum naturæ diſcrimen & conatus inanes deſignantia, morbo, ob prædominium hujus phœnomeni, nomen dedere : ſed ita cum morbo cujus violentam efferamque vim declarant junguntur, ut eo ceſſante pariter ceſſent & deſinant, adeòque Epigeneſeos nomen non merentur ; niſi, quod aliquandò extitit, ipſo fuerint longæviora, tuncque ſæpius ſuperſtites morbi reliquias intùs vivere arguant, aut ſaltem factam deſignent ab ipsâ morbi ferociâ aliquam in par-

tium organiſmo mutationem, unde vera atque legitima naſcatur Epigeneſis, aut à debilitate naturæ, aut à viribus morbi nata atque efformata. Ita ſæpe vaſa, poſt febres ſudatorias, eam ſibi comparavere laxitatem, ut habiles ad ſudorem concipiendum levi de causâ evadant, ſymptomaque illud durabile Epigeneſeos nomen ſibi jure vindicet.

Altera virium infirmitas à principio vitali & oppreſſis viribus.

Secundò verò vires ipſæ fatiſcunt oppreſſo principio vitali & functionibus quæ ad vires exercendas neceſſariæ ſunt proſtratis atque quaſi extinctis. Duplici modo id contingere videmus.

1°. Mole materiei vitale principium opprimentis.

Primò ſcilicet quoties nervorum principium plenitudine oppreſſum ſopitur, ut in comatoſis affectibus. Ipſe morbus tunc Epigeneſes vix efficit: quippe languentibus omnibus nihil operatur natura. At ſi quid Eryſipelatoſi aut artis adminiculo, aut efficaciâ naturæ ſuperveniat felici eventu, metaſtaſis fit, non Epigeneſis.

2°. A viribus vitio materiæ lædentis & corruptæ proſtratis.

Alterum caſum efficit putrida materiæ lædentis indoles, vires nata proſternere, docente ſic obſervatione. Nam à quocumque fomite prodeat putridus ille afflatus, ubicumque niduletur, illicò proſternuntur vires & ad motum impares fiunt. Epigeneſes in hoc caſu icteritias, biliosâ compage ſolutâ, jure expectes; nec minus hæmorrhagias, hæmorrhoïdumque phænomena, ſæpe ob ſolutam ſanguinis maſſam aut ad ſalutem, aut ad tardiorem mali exitum obſerves; tum & videbis metaptoſes aliquandò per diarrhæam

ſalutares, vix ſimplicioris Epigeneſeos nomine deſignandas. An ſubtiliori putredinis afflatu, aut vi nondùm intellectâ agunt venena illa, quæ ſoporiferam inferunt diatheſim in corpore ægrotante, & viribus præcipuè infenſa ſunt, quo venenorum genere non immunes ſunt epidemici morbi complures? In his pariter quæcumque Epigeneſis accidit felix eſt; morbus enim per ſe peſſimus ab ipsâ mutari valet, neque, niſi per accidens, ab eâ mutatione ferale quid & lethiferum expectari poteſt. Qui enim fomes volatilis eſt, & ab unâ parte in aliam transferri valet, vitalem non corrupit auram, nec occupatas antea ſedes deſtruxit. Actuoſum aliunde naturæ ſtimulum imprimit, quælibet Epigeneſis; dolor ipſe pro remedio eſt; arthritis, herpes, rhumatiſmus, talia nobis exempla ſæpiùs protulere.

Tertius virium deficiendi modus; quod ipſæ antea exhauſtæ fuerint.

Tertiò demùm legitima non exeretur virium actio, quia illæ exhauſtæ ſunt, ut poſt labores nimios, vigilias intempeſtivas, venerei œſtri ferociores impetus, propter anticipatam & conſtitutam à naturæ vitio debilitatem, aut demum neceſſariam, nec ullo ſuperandam auxilio ſenilem duritiem.

Effectus à virium in morbis defectu quocumque pendentes.

Porrò quantùmvis, ut causâ, ſic & effectibus differant inter ſe debilitatum harumce variæ ſpecies, in eo tamen conveniunt atque conſentiunt, quòd ſimul in toto morbi decurſu anomala concitent ſymptomata, abſurdaſque ſequantur phaſes, tùm

verò inde dubias imperfectasque crises inducant, & decubitu periculoso epigeneseon plenam efficiant reconvalescentiam. Nam sine normâ stabili atque certâ constantiâ, nihil boni à naturâ sperandum. Hinc vires nixibus vanis consumuntur, additur infirmitas infirmitati.

Effectus in coctione materiæ morbificæ deprehendendi.

Verùm ut in hâc debilitate coctio naturalis nulla est, ita coctio morbosa elanguescit & flaccescit, nec sibi proprios nancisci effectus aut medicamenta aut alimenta possunt. Utrimque novæ patent insidiæ : nam sæpe inde diarrhœæ oriuntur & perstant ; sæpè à malè directâ coctionis materiâ glandularum nascuntur infarctus, imminet impendens præsentis cachexiæ periculum. Prætereàque in hisce morbis inertia ex ipsâ rei naturâ inducitur, & longæva efficit, etiam causâ morbi sublatâ, symptomata. Sic à delirio aut comate fatuitas & imbecillitas longævæ sequuntur, fatiscit ipsum judicii acumen, & perit idearum inter se conjungendarum nexus. Hinc lacrymæ ad minimum sensum, aut absurdi adhuc magis, sed rariùs observandi risus. Hinc post peripneumonias screatus longi, catarrhosa sputamina cruda, nec coctione vincenda, & à quâcumque thoracis phlogosi periculum œdematis in ipsâ pulmonum substantiâ, aut minæ præsentes hydropis in thorace, aut saltem dispositio catarrhodes ad minimam occasionem reviviscens, & semper imminens præsens congestionis periculum. Hinc, dùm

concoctiones omnes, ſive ex naturæ ordine ſint, ſive ad morbum tollendum fuerint comparatæ, elangueſcunt, & certos nunquam edunt effectus, jam ſecretionibus inſtaurandis nullus unquam locus datur. Vel illarum torpent organa, vel contrà, vellicata illa, crudos & incoctos humores ejiciunt. Fruſtrà hîc concoctas urinas & ſedimentum album læve & æquale certo tempore expectaveris, aut ſi hinc inde nubecula apparuerit, nunquam invaleſcit illa aut fixa evadit, ſed brevi confuſæ urinæ rurſùs apparent jumentorum inſtar, & tunc tales illæ perſtant, turbidæque magis ac magis apparent, aut ſi principia illarum ſejunguntur, pars maxima ſupernatat, aut ad latera vaſis excipientis concreſcit aſperrima & inæqualis conſiſtentiæ. Tales urinæ in debilitate magis communes ſunt & vulgatæ; aut etiam limpidæ atque aqueæ apparent, ſignum, vel in ipsâ debilitate, erethiſmi præſentiam ſatis deſignans. Diarrhœa pariter à debilitate inducta, varia quidem intùs latentia vitia ſenſibus deſignare poteſt, ſed emiſſa ſcybala nec æqualitatem obtinent, nec adipiſcuntur denſitatem principiorum quæ coctionem admiſerunt. Recedunt ab ipsâ ſub formâ variâ & gradu diverſo, at quantùm à naturâ abludunt, tantùm intentant periculi. Quid de ipsâ addemus perſpiratione, quæ quaſi perfectæ coctionis opus eſt, quam nullâ ratione nobis arrogare poſſumus quoties coctio deficit, & quæ,

In excretionibus cruditas.

In urinis.

In alvi excrementis.

In perſpiratione.

notante SANCTORIO, nunquam ſuppletur à ſudoribus illis qui, etſi ſalutares non ſint, nec ſanando morbo idonei, tamen imprudenter repercuſſi ingentes noxas poſſunt inferre & epigeneſes efficere non expectandas, dùm veteri fomiti novus fomes additur, dùm actioni naturæ nova innectuntur vincula, ab ipsâ ſolâ debilitate ſæpe ſecundariò repetenda.

Crudorum excrementorum in debilibus proventus maximus.

Prætereà verò debilitati naturæ infirmioris id proprium eſt, ut excrementa ingeneret multò plura, eaque minus cocta: nam vis concoctrix minor minus ſibi *aſſimilare* aut applicare poteſt partium alienigenarum. Redundant ergò illæ, corpore alioquin marceſſente: unde in ſenili decrepitâque imbecillitate tot epigeneſes ſequuntur morbos, deliramenta, urinæ ſtillicidia, catarrhales ſcreatus: quo obſervato Hippocrates illud pro axiomate reliquit, catarrhos in ſenibus non concoqui. Quod autem ſenili infirmitati accidit nonne etiam in infantibus obſervatur, qui vix ullos patiuntur morbos ſine epigeneſibus, affectum præſentem nec curantibus nec pejorantibus, ad aures, buccas, articulos. Nonne etiam in muliebri infirmitate idem obſervandum, in quâ epigeneſes multiformes tollit epigeneſis illa adeò communis fluoris albi muliebris, qui dùm à coctione debilitatâ inducitur, ipſam etiam viciſſim debilitat, inſtaurandiſque viribus adeò nocet. Nec minus timendum eſt ab aliis etiam cauſis ſexui illi à morbis periculo-

Exemplum à ſenibus, infantibus, mulieribus.

ſis reconvaleſcenti. Quò infirmior eſt fœmina eò majus impendet epigeneſeon periculum. Lumbi in imbecillitate muliebri acriter quâcumque de causâ dolent, & vix ad incedendum habiles ſunt illæ. Menſtruorum ceſſatio, à ſolo virium defectu pendens, tot epigeneſes infert, quot in ipſis morbis concitat ſymptomata, quæ ut ad morbos non eſſentialiter pertinent, ita etiam Epigeneſeon titulo digna ſunt: talia ſunt deliria, hæmorrhagiæ, ſtrangulationes uterinæ, ſuffocationes aut nerveæ aut plethoricæ, clavi hyſterici, ſanguinis ſcreatus; tùm, à parte ventriculi, picæ, malaciæ, apepſiæ; ab inteſtinis, tormina, hæmorrhoïdales, teneſmi, quæ omnia poſſunt immanem tumultum functionibus incutere.

Patet ſatis ex hoc univerſali intuitu, à debilitate virium ingentem poſſe naſci in morbis Epigeneſeon turbam; imò in hâc corporis conſtitutione quam omnibus malis obnoxiam Celſus pronuntiavit, ut lenta eſt nec integra victoria naturæ, ita etiam reconvaleſcentiam ſummè difficilem & labore plenam eſſe neceſſe eſt. Sed ut in priore virium nimioperè intenſarum & agentium immodicè conditione plus à ſuppuratione metuendum erat, multò plus in virium defectu cavendum eſt à cachexiâ: nam hîc tarda fit ſtaſis & obſtructio. Viſcera vulgò, vix ſenſu donata, ſenſim opplentur; unde nova morbi degeneris forma

Differentia effectuum à viribus auctis imminutiſque oriundorum.

pro Epigenesi aliquandò habenda est : imò qui primùm & ex suâ naturâ morbus videbatur inflammatorius , sæpe in œdema desinit. Id in oculorum præviâ inflammatione, præsertim in senioribus vulgare est. Tùm etiam, ut in priore morborum genere caput & thorax ante alia viscera impetum morbi metuendum habebant, in hoc secundo ordine contrà hepar, lien & intestina quasi morbi sentina fiunt, cujus partem accipiunt pedes & lento correpti œdemate articuli. Inest & ipsa, aucta ab infirmitate, sentiendi ut & patiendi facultas, erethismo partiali sed nunquam universali notabilis, eâdem proportione crescens, quâ deteritur agendi fortiter & nixibus obsistendi potentia : periit enim æquilibrium illud quod ad functiones omnes legitimè exercendas requiritur.

Articulus Tertius.

De actione virium inæquali Epigeneseon causâ.

Alia est virium corporis humani ad morbos debellandos comparatarum, conditio, in quâ ipsæ inæqualiter agunt : cùm scilicet, quasi concepto subito incendio, nunc ferocius exardescunt, nunc contrà intrà minima temporis intervalla stimulo videntur indigere,

& veluti medio in furore protinùs conticescunt & ad opus peragendum impares videntur. Illud quidem sæpe in febribus quæ jure malignæ appellantur observatum fuit, ut in lentis omnibus nerveis, imò in ipsis etiam inflammatoriis affectibus, aliquandò stupentibus Medicis, contingit; at si ab ipsius causæ actione eveniat hæc ingens erethismi inæqualitas, nihil nobis affert quòd ad præsentem tractationem attineat, si quidem à morbi causâ repetenda est, & ejus essentiam constituit. Verùm res ab ipsâ corporis conditione sæpe pendet, nec ad causam morbi est referenda, quoties sensu donatæ & agendi facultate corporis animalis partes, aut à naturâ ita malè ordinatæ sunt, aut à casu quocumque ita pessumdatæ, ut functionum quidem aliæ legitimo & proportionali gaudeant robore, aliæ verò præ aliis sint infirmatæ. Tunc enim sentit acutiùs functionis debilioris organum, agit promptiùs, nec aliæ ei responsant minùs sentientes & ad actionem minùs promptæ actiones. Hinc ab illâ infirmitate partes nocivas & altiùs imbibit & diutiùs servat organum infirmius. Imò & consensum illum actionis qui inter partes iniri ac servari debet, confringit & conturbat, in totiùs corporis detrimentum, illa vitiati aut debilitati organi perversa ordinatio.

Prima species inæqualitatis & inconstantiæ actionis, à debilitate speciali alicujus organi.

Verùm illa, quæcumque sit, virium inæqualitas in parte quâcumque, sive ad hepar

pertineat, five pulmonibus inhæferit, figna fua habet conftantia uni parti læfionem accipienti affixa, metaftafibufque plus præbet occafionis quàm Epigenefibus quibufcumque; nifi tamen debilitas & inæqualitas confenfûs ad partes exquifito fenfu donatas & fympatheiâ notandas fingulari pertineat, ut eft uterus ille muliebris, à quo nulla datur pars quæ Epigenefim non accipiat. Pars fcilicet illa femel læfa dividit morbum in affectus abfolutè difpares, quos nec ars in claffes dividere queat, nec obfervatio numerare, fucum oculis vel feverioribus offundens. Id etiam in morbis illis qui cutem, maximè nerveam partem, occupant, quotidianâ obfervatione deprehenditur, cùm mufculi fub ipforum actione quafi convellantur & vibrent; imò & titillatione perpetuâ tentiginem etiam veneream videntur commovere, vel in fenioribus ægris, & eam quoque in pueris adhuc veneri crudis concitare. Sed, fi uterum exceperis & fejunxeris, nulla pars æquè infirmitate fuâ & aucto fentiendi acumine in adeò diverfas ufu & ftructurâ partes agit ac ventriculus, qui nunc capiti durabilia poft fublatam caufam mala afflat & ipfius functionibus debilitatem infert & infirmitatem, nunc hepatis vafa ftringit & inducit auriginem ipfo morbo diuturniorem. Sæpiùs crura, furas, imò & digitos pedum in convulfiones adigit quafi fubitas, *Cramben* dicunt; unde etiam inducitur artubus illis inferioribus

Exempla ex utero fumpta.

Ex cute.

Ex ventriculo.

debilitas & iners impotentia à diſtractione nata, & inde ſæpe œdemata vix poſteà ſuperanda, vel artis, vel naturæ viribus.

Verùm actionis illius inæqualis leges ſancire poteſt, ſaltem ad aliquem uſque gradum, obſervatio. At alia datur nerveæ illius partis in concitandis organicis functionibus abſurda atque irregularis actuoſitas, quæ nullum non poſſit aut imitari aut inducere phœnomenon, à cauſis prorſùs diſſitis aliundè æquè proditurum. Scilicet nullus, hâc ſemel inæqualitate conſtitutâ, in functionum exercitio ordo ſperandus eſt; & ſi illam in ſtatu necdùm morboſo ſpectaveris, morbos omnes inſperato & inexpectato ordine in ſcenam traduci credes; ſcilicet, levi de occaſione & ejulatibus & cruciatibus vexari videbis miſeros, imò de ſtatu rationi proprio dejici, atque in inconditas deduci ſive mentis ſive corporis actiones, quæ rerum gnaris plus horroris quàm formidinis offerent, & plus formidinis quàm periculi.

Secunda inæqualitatis & inconſtantiæ in viribus ſpecies, à ſyſtematis nervei mobilitate inconditâ.

Illa quidem convulſiva, ut vero nomine rem vocemus, proprietas, ſpaſmos inducens, non ſine ratione cum debilitate ſtructuræ confunditur, aut ſaltem à tenuitate fibrarum dicitur pendere: quippe quæ plus fœmineæ texturæ quàm robuſtæ & militari competat. At ſæpe, acquiſita per morbum, poſt ipſum etiam remanſit ſub Epigeneſeos formâ & ſpecie. Illa quidem malorum origo à morbo

Cum debilitate jure confunditur.

Aliquandò per morbum acquiſita.

enata atque inducta tribus præsertim in casibus annotatur. Prior quidem, post magnas & supervacuas vacuationes emicat, si illæ subito impetu corpus vacuaverint, atque tono suo viribusque istud defraudaverint. Hanc convulsionem ab inanitione nuncupavit Hippocrates, & verè debilitas est, at debilitatis inæqualiter distributæ ideam meditanti objicit, quæ, cùm inæqualiter reparetur, sæpe debilitati addit inæquales partium concussus aut saltem tremorem. Hanc omnia post vulnera & post prostrationem virium quotidie annotamus, etiam in rusticis & torosis hominibus, qui sæpe, ab hisce infelicibus casibus, pristinum robur amissum lugent, & ingentes conatus validis inter nitendum tremoribus rependunt. Sed quàm sæpe inde mulieres totâ vitâ convulsionibus obnoxias videmus?

Post vacuationes nimias.

Sævam porrò illam Epigeneseon classem 2°. videmus in omnibus ferè notabilibus suppurationibus: quæ quidem convulsiva diathesis id habet sibi proprii, quòd suppuratione laborantes homines reddat & meticulosos, & superstitionibus deditos, & ad illacrymationem suique diffidentiam pronos; quæ quidem debilitas vulgò atque infirmitas, cessante malo, atque reparatis viribus, cessat; attamen aliquandò diutiùs perdurare visa est, & hominem prorsùs mutare.

In suppurationibus magnis.

At tertia diatheseos hujus convulsivæ causa ea est, quæ à veneno intùs admisso pendet,

Post venena admissa.

ſive triſtibus intùs ſuperſtitibus reliquiis adhuc graſſetur, ſive notam inuſſerit humoribus, ſive demùm, quod aliquandò maximè probabile eſt, nervis habitum convulſionis & inæqualitatem motûs impreſſerit.

Communis eſt omnibus indiſcriminatim hominibus poſterior hæc convulſionum Epigeneſeon perſonam agentium claſſis: nullum eſt enim venenum quod non poſſit labem hanc corpori inurere, ſive ſpaſmus naſcatur inde durabilis, ſive etiam tremor convulſivus, ſive demùm ſpaſmodica & hypochondriaca affectio, plexubus læſis ſtomachicis, fiat, mente partem criminis in ſe aſſumente. In his certè plexubus ſpaſmorum Epigeneſes efficientium centrum ſitum eſt, famoſum & omnibus obſervatum poſt ſublatam morborum acutorum ferociam: at fruſtra per leges phyſices cognitas phænomena ſævientis hujus ſpaſmi volueris expendere. Multiformis hypochondriaſmi quis non obſtupuit phænomena, cùm aliquandò occurrerit ſpectantibus aëris convulſiva excluſio, totâ die perdurans, per ſomnum ſopita, à ſopore reviviſcens? Imò ab eodem fonte diaphragma ſingultum ſimilem efficit, & cum glottide conſentiens, ſternutationem plures per dies concitavit, nunc acriùs exercentem, nunc mitiùs ſævientem, ſed ſemper redivivam, ſi præſertim addant ſe cauſæ morbificæ comites, aut animi affectus, qui quaſi flammas igni ſufficiant. Vidi à ſpiritu

Venenorum effectus obſervati.

ſalis incautè intùs hauſto oriri ſymptoma hoc per longa temporis ſpatia perdurans : vidi à nimio & malè inſtituto ſublimati mercurii corroſivi uſu naſci ſimiles eventus : vidi etiam rem ad inſaniam convulſivam uſque deduci, ſumptis incautè pilulis aloeticis. Alii rem obſervarunt à nimiâ tartari ſtibiati doſi voratâ. At quantos & quàm durabiles tremores induxerit mercurius, etiam ſapienter adminiſtratus, quotidiana docet experientia.

Variæ convulſivæ Epigeneſes à plurimis morbis.

Phrenitidi tremores illos ſuccedere aliquandò notatum. Idem etiam, partûs doloribus abſolutis, non inaſſuetum. Strabiſmus convulſivus quàm ſæpe dolores capitis excepit, ut & variæ oris diſtortiones, muſculorum cutaneorum involuntariæ vibrationes, aut ſtricturæ; quæ, etiam catarrhoſis affectibus ſuperatis, ſuperfuere? Nec verò minùs, pulmonis affectibus fugatis, obſervandæ dantur tuſſes convulſivæ, ſuffocationes ſpaſmodicæ; cordiſque palpitationes. Ab uteri ſive inflammatione, ſive etiam phlogoſi natam fuiſſe & ſuperfuiſſe affectionem hyſtericam nemo eſt qui non viderit. At ſæpe in maribus negata Venus, titillante intereà merè convulſivo priapiſmo, convulſiones invexit, & ipsâ in cute titillatio artus convulſivè egit; ita ut & ipſe viderim naſci inde priapiſmum & ſemen exilire. Seminis productio atque glandularum ad pubertatem evolutio eadem prorſùs excitaverunt ſymptomata quæ infantum induxit dentitio, à quâ

ſæpe ſpaſmus exortus eſt durabilis, ſed ſæpiſſime poſt convulſiones, habitus remanſit convulſivus. Quid hîc addam Epigeneſes merè mechanicas quæ in infantibus ſæpe convulſiones à dentitione ortas eventu inſanabili excepere, femoris ſcilicet extra cavitatem excluſi ſemi-luxationes, aut epiphyſion diſtortiones, quas nullus eſt obſervator qui non viderit? Ventriculo verò ſemel læſo, mirum eſt quàm facilè habitus ille inducatur: ita ut, minimâ de causâ, in nauſeas abeat & vomitus repetitos. Viſcus illud adeò tenerum atque delicatum eſt, ut vis ipſa imaginatrix in ſtructurâ ejus organicâ poſſit accerſere convulſiones, vixque facilitate ad convulſiones concipiendas ipſi utero cedat. Sed circa res cognitas inſudare inutile eſt: quippe quis, rem nauſeoſam ſemel expertus, ad ejus præſentiam non nauſeat, imò ad ejus memoriam? Unde ipſi concredita, vel inſciis ægris, materies quæ ſemel nocuit, rigorem, horrorem, convulſivos vomitus concitat. Præterea id ventriculo proprium eſt ut, quaſi animâ donatus propriâ, odia concipiat & amorem rerum per ſe prorſùs indifferentium. Hinc ſæpe remanſit poſt morbos odium illud abſurdum, circa res in morbi vigore oblatas, primò quidem in convaleſcentibus neglectum, cùm ſit per ſe parvi momenti, poſtea vix auxiliis tollendum quæ nullam hîc actionem exercent. At ſæpe morbus alter alterum ſuſ-

Speciatim in ventriculo.

tulit, novaque ventriculi appetitui fata indidit.

Hepatis ductus pariter ſpaſmo tentantur, & pluries bilioſæ convulſiones colici doloris nomine donatæ ſunt. At coli illius inteſtini quàm horrenda ſæpe convulſio falſam tympanitidem invexit, & in partes maximè diſſitas mala vix toleranda.

Spaſmus ille duplex, perpetuus & remittens.

Verùm quamcumque in partem delabatur ſpaſmus ille, duplex ejus effectus primarius diſtinguendus eſt. Aliquandò enim ſpaſmus perpetuus eſt & in conſtitutione ſolâ partis affectæ conſiſtit, quam ſtringit & arctat compede quodam nulli ſe ſenſui videndum offerente, imò & ipſam partem vix immutante, quamvis ſæpe effectui adeò rebelli atque refractario nulla poſſit alia cauſa aſſignari præter animi affectum quemcumque. Tales ſpaſmorum effectus in ventriculo & inteſtinis vidi, ad uſque mortem quam intulere durabiles, imò & in ipſo deprehendendos cadavere. Vel ſpaſmus alternè fibras convellit, qui quidem ſpaſmus, verè mobilis, raro perpetuò ægrum divexat, ſed per paroxyſmos redux, nunc ſpe allicit, nunc metu percellit.

Spaſmorum in morbis effectus & prognoſis varia.

Duplex illud ſpaſmorum genus diverſos omninò effectus edit: nam ſpaſmus ille motum intendens atque per paroxyſmos exaſperatus, Hippocrati rectè cognitus & ab illo deſcriptus, parvi ut plurimùm momenti eſt in

morbis qui febre regulari reguntur, notante sic eodem HIPPOCRATE : quippe nihil adeò spasmo oppositum est atque repugnat quàm febris regularis atque constans, inæqualitati & abnormi spasmorum inconstantiæ per se adversa, & quæ mulieres summè nervosæ sunt, febre emicante, nullas jam sæpiùs experiuntur convulsiones. Excipiendi tamen sunt ab hâc observatione ægrotantes illi qui, jam anteà debilitati, incendium febrile constans & regulatum concipere vix possunt. Excipiendi etiam sunt illi, quibus rigor merè convulsivus aut benè aut malè criticus morbo supervenit, mutationem sive in sede, sive in naturâ fomitis morbosi denuncians; teste non semel, sed pluries, eximio observatorum duce, Hippocrate. Hæc autem potiùs ad metaptoses quàm ad epigeneses referuntur. Nec minùs convulsiones sæpe, & quidem horrendæ, in febrium intermittentium ingruente paroxysmo emicant, quamvis, ubi semel calor eruperit, nulla supersit annotanda malignitatis convulsivæ nota. At si morbus mali ferax fuerit, si causa morbi victrix fieri possit, imminuitur sensim caloris periodus, jamque, in imminente fato, vertitur febrilis morbus in convulsivum. Nec minùs verò in salutari morbo, ubi jam adest & spem auget coctio, convulsiones illicò sese spectandas dedere. Has vacuatio quævis naturâ imperante excipit. Et quidem jampridem notaverat Hippocrates, convulsionem quam se-

quitur vacuatio non adeò terrificam esse, sed gravem & quidem lethalem eam esse, quam nulla excipit humorum excretio.

Debilitati in universum debentur.

Enim verò phænomena hæc omnia convulsiva iis præcipuè accidunt, quos jam anteà debiles effecerat malè disposita nervea compages & ruptum hujus æquilibrium. At licet aliquandò febris fixa, & in suâ vehementiâ constantiam actionum statuens, fibris convulsis medelam inexpectatam attulerit, id plenariè salutiferum evasisse non adeò vulgare est. Tot scilicet obstant circumstantes insidiæ. Imò sæpiùs pristinæ debilitati nova debilitas additur, phænomenaque post transactum morbum rediviva recrudescunt, Epigenesesque efficiunt & terrore respersas & curatu difficiles : quod iis præsertim accidit, qui magnas evacuationes passi sunt, ut in puerperis, vulneratis, & post profusas hæmorrhagias observare datur. Nam in iis omnibus norma recuperandis viribus apta difficilè occurrit, & vix ex arte sancienda. Nec prætereà negabimus imaginationem, hîc ab ipsâ debilitate nova sibi jura statuentem, posse admodùm hisce suscitandis favere. Nam sæpe terror ipse solus, & figmenta oculis læsis objecta convulsiones concitavere. Id etiam sæpe in paralyticis observamus aliquandò ; dùm inertes eorum musculi, ab animi subitò percellente impetu concussi, concipiunt motus inconditos, tremores, retractiones, convulsiones, nec spem,

nec perniciem portendere rerum gnaris idoneas.

Nec tamen negandum eſt aliquandò, etiam in febribus conſtanti vehementiâ corpus agitantibus, inter Epigeneſes motum convulſivum debere recenſeri; & id quidem duobus in caſibus accidit. Prima & peſſima Epigeneſeos illius convulſivæ cauſa à morbifici fomitis vi nocivâ, altera à naturæ contranitentis vi aut partis irritatæ ſenſu & actuoſitate repetenda eſt. Ac primùm in malignis veterum febribus motus convulſivi ſuperveniunt eò atrociores, quò vehementiores ſunt: id verò omnibus ferè morientibus accidit; ſiquidem devictæ ſunt atque ſuperatæ omnes functiones, licet immani molimine natura decertaverit. Jam non ulla ſpes affulget: ſed, omnia proſtrata atque conturbata ſunt, & vires ipſæ devictæ à deſtruente causâ. Hos affectus convulſivos, præſagiendos atque pertimeſcendos, annuntiant ſubſultus tendinum, febris ipſius inæqualitas, reſpirationis labor. Nec minùs in noſtris febribus ſic ſæpè impropriè dictis malignis, aut premente comate, aut urgente delirio, convulſivus idem ſubſultus periculum denuntiat: quippe princeps organorum vitalium & animalium origo hîc morbum excipit, & in eo fixum hæret malum unde ſi non deturbetur, ſi contrà invaleſcat, pereundum eſt. Sed hîc metaptoſim potiùs adeſſe pronunties quàm Epigeneſim per me licet.

Epigeneſes convulſivæ in morbis, non ſemper à debilitate.

1°. A morbificæ cauſæ vi naturam ſuperante,

Nervos occupante.

Sensum nerveum stupefaciente.

Præterea verò etiamsi pars illa corporis nervea non adeò præfracta sit, inest certè materiali morbi causæ non satis explananda sed observanda facultas quædam inebrians, stupefaciens, narcotica, quæ præcipuè agit in nervos. Porrò ab ipsâ vinciuntur etiam vires curatrices & coctio præpeditur, quæ torpens, nec actuosa, & præsenti victa fomite, per convulsiones & motus inconditos interrumpitur. At nullus est hosce tumultuosos affectus propiùs observans, qui non consentiat, quòd in istius prosapiæ morbis nunquam causæ lædenti proportionalis erumpat febris: fit contrà febris illa lenta, nervosa, multò plus in septentrionalibus observata oris, quàm apud aridos & exustos orientales populos. In his quidem febrilibus affectibus, vix nisi longo regimine sanitas restituitur, & hanc, ob debilitatis signa, cardiacis pristini nostri Auctores minùs consultè persequebantur. Hæ febres, quæcumque fuerint, convulsionibus linquunt homines obnoxios. Reconvalescentia ipsa à morbo, morbus est, sæpe in cachexiam & hydropem abiens.

2°. A naturæ nixibus aut partium irritamento.

At si vehementissimo & ardenti febrium generi, ut sunt illæ ardentes biliosæ Hippocrati descriptæ, sese convulsio addat comitem, aut mors præ foribus aderit, quod aliunde indicabit anxietas & symptomatum imminentium aglomeratio; aut brevi continget vel metaptosis momentosa, vel crisis, sive per evacuationem, sive

per

per metaſtaſin. Legatur hîc attentè quidquid Hippocrates de rigore ſcripſit nunc auriginem, nunc vacuationes nunciante, imò & ſudoribus ipſis præludente, aut ipſos excipiente. Hùc judicium de ægro laturus dierum facultatem ante oculos habebit; linguæ, faciei, oculorum, imò & bombi in auribus ſigna perpendet; tùm & illa ponderabit ſigna quæ ex urinis & alvi fœcibus petenda ſunt, quibus addet hypochondriorum mollitiem; reſpirationis verò præcipuè phœnomena & pulsûs phaſes atque variatos typos ſignis addet hippocraticis. Quæ omnia, pro tanti momenti occaſione, ad morbi naturam, ad ætatis, ad epidemici dominantis effectus jam præteritos conferet, indeque quid de convulſionibus cenſendum ſit edicet. Nec certè in mobilibus & animo debiliori affectis, inexpectatæ convulſionis effectum pernicioſum pronunciabit, ſi præſertim aut ventriculus præcipuè patiatur, aut uterus cauſam combiberit & acceperit: nam hîc metaptoſis fit, & hic eſt ſenſus unicus quo poſſit intelligi quâ ratione Hippocrates, adeò prognoſtici ſedulus obſervator, aliquandò, nullâ advocatâ vacuatione, ſalutares pronunciaverit convulſiones.



CAPUT SECUNDUM.

De humorum vitio, Epigenefeon causâ.

MAXIMAS certè partes in morbis inferendis agunt humores, quatenùs copiâ, acredine, aut proportione efficacium partium peccant illi, diverfifque vitiantur modis, quorum & formam & modum ita dicendo exequi, ut nulla nocendi ratio defit, prorfùs impoffibile eft : vitia enim illa vix aliâ ratione poffumus deprehendere quàm læfione functionum. Porrò in causâ prorfùs diversâ effectus fæpe iidem funt, eòque propiùs ad fe accedunt, quò in eumdem fcopum evidentiùs & violentiùs confentiunt, corporis fcilicet deftructionem. Altiorem caufarum morbiferarum ab humoribus pendentium inquifitionem profundiùs indagare extrà propofitum foret : in materiem à doctis viris fatis expenfam immorari inutile eft, in id unum intentis, quas poffit contractum à morbo vitium, aut antea natum, Epigenefes in morbis accerfere, folâ facem præbente præviam obfervatione fimplici, quæ incerta omnia refpuat atque eliminet, vera tantùm & demonftrata pro veris & demonftratis affferat. Effectus neceffarios ponderare, & eorum actionis terminos affequi, hoc opus, hic labor

eſt. Porrò nullus eſt qui in ipſo diſquiſitionis noſtræ limine non fateatur, inquilinam atque legitimam humorum quorumcumque qui in corpore animato naturæ ordinem complent generationem, ſecretionem, applicationem, à ſolis actuoſæ naturæ viribus perfici, perfectam à perfecto mechaniſmo. Qui quidem mechaniſmus, ſine ullo vitio aliquâ donatur extenſione, & ex ipsâ naturæ variatione diverſus eſt, & ſingulari ac ſibi propriâ donatur indole pro ætate, ſexu, vario vivendi genere, tempeſtate, & loci in quo degimus poſiturâ. Unde ſua cuique non ſolùm populo, ſed etiam individuo ineſt humorum temperies, imò frequentiſſima in humoribus etiam ſanis occurrere debet diverſitas. Hi porrò, ſi à cauſis externis tot variationes accipiant, quantò majores conditionum mutationes concipere debent à tumultu febrili, ab impetu cauſarum nocentium. Unde certè, jure noſtro, naſcendas ab humorum vitio, mille Epigeneſeon ſpecies præſagimus.

Humorum ſumma variatio.

Nec minùs etiam notandum eſt in morbis illis qui dicuntur depuratorii, & qui diverſas ætates diversâ quidem formâ, ſed eâdem tamen naturâ & indole, infeſtant, à dentitione ad decrepitam uſque ſenectutem, mutari quidem continuò humores, & indolem prorſùs morboſam ſibi comparare, ſed victrice naturâ, & morbo per depurationem abſoluto, omnia in melius neceſſariò con-

Humorum mutatio in morbis ætatum depuratoriis.

verti. Scilicet viribus ſeſe renovantibus, inſtaurataâque humorum applicatione niſi obſtet conquiſita debilitas, humores nunquam concipi poſſunt puriores & ab omni labe magis innoxii, quàm in iis qui morboſam humorum depurationem, magno certè ſuo incommodo experti, ab eâ alacres & ſani evaſere tandem.

Epigeneſes ab imperfectâ depuratione.

Verùm ſi vel malâ ſorte, vel ob admiſſum errorem depuratio illa aut imperfecta fuerit, aut ſcopum non attigerit, tùm variæ exurgent morboſi ſtatûs formæ, plus ad metaptoſin quàm ad epigeneſes referendæ. At ſæpe inducta nova, per ipſam virium actionem & febris neceſſariam efficaciam, humoribus forma & indoles per ſe morbum non facit, ſed inquietâ & inſolitâ anxietate exagitans, merè Epigeneſis dici debet; ſcilicet vix ullam cum priori causâ connexionem obtinet, ſed, per ipſam efficta & efformata, ſupereſt ſeorſim à morbo, per ſe vacuanda aut emendanda. Prætereà non ſemper ab ordine legitimo natura non deturbatur; imò res ſæpiùs accidit; &, ſublatâ causâ accidentali, ſuperſunt vitiorum elementa: quin etiam aliquandò, etiam ſublato uno morbo, alter qui priùs latebat evolvitur. Scilicet omnia in motum acta ſunt, anfractus glandularum reſerati fomiti morboſo quieſcenti & inerti vires novas addiderunt, & phlogoſes, ſuppurationes antea vix

prævidendas imò ſcirrhos & cancros minantur; unde tot chronici morbi ab hâc rerum conſtitutione acutos ſequuntur & excipiunt.

Epigeneſeon ab humorum vitio diviſio generalis.

Verùm ut horum Epigeneſeon fontes ex ordine rimari atque ſectari liceat, cum ſcholis eos à vitiatis in conſiſtentiâ fluidis requiremus, tùm verò in acredine ſive acquiſitâ, ſive per morbum inditâ; quibus quidem vitiis ſæpe nova adduntur phœnomena, ex conjunctione cauſarum inter ſe quam ipſa naturæ actio invehit.

Aucta humorum conſiſtentia.

Forſan quidem omnes fluidorum proprietates, imò & ipſorum generatio à ſolidorum organiſmo ſemper actuoſo pendet. Unde ipſorum vera atque legitima proportio ab eâdem actione repetenda eſt. Id omnia demonſtrant vitæ phœnomena; id ipſe naturalis coctionis mechaniſmus poſtulat. Hinc, ſi vaſa in ſuâ actione elanguerint, & ſanguinis motus tardetur, vitiatur partium proportio; homogenea inter ſe uniuntur; craſſeſcunt ſolidæ partes inter ſe coaleſcentes & ad coadunationem ab ipsâ motûs inertiâ promptæ; fit maſſa ſolidior, ſed pauca; partes ex alimentis advenæ non concoquuntur; ſejunguntur quæcumque fluidiora poſſunt ultimos ſubire vaſorum meatus, & ipſæ moleculæ illæ fluidiores ſcatent crudâ illuvie : tùm etiam per laxiores venas reditus maximè difficilis eſt: hinc morbis omnibus in quibus laxitas fibris

A laxitate vaſorum.

Undè cachexia.

maxima indita est cachexia supervenit atque hydrops, obstructis majoribus vasis per magma crassescens & polyposum, tenuiori massâ per faciles pororum aditus effluente, & reditu ad cor per tot impedimenta tardato.

Observanda post morbos, etiam acutos.

Laxitas porrò illa non solùm chronicis omnibus ferè morbis ita propria est,ut per illorum mechanismum nascatur & invalescat; sed etiam, postquam deferbuit acutorum fervor, & silente incendio, omnia defatigata & confracta concidunt, adest præterlapso tono proportionalis atonia; & morbos omnes acutos excipit debilitas, laxitasque ita supervenit, ut in iis quos jam antea infirmos effecerat corporis conditio, in infantibus, fœminis, & senibus, ejus non dubii sese prodant effectus. Siquidem jam respuunt distracta vasa actionem; debilitatum cor vix dimidium æquat virium sibi à naturâ insitarum: imò & forsan ipsa effœta & exhausta liquorum facultas assimilationi efficiendæ jam vix ullas partes sufficit. Quid mirum si, in tali positurâ, inflammationi peractæ cachexia & hydrops subnascantur, si, quod ferè omnibus accidit, crura & pedes intumescant interdiu, noctù verò facies & palpebræ inflentur admodùm?

In quorumdam viscerum labe.

Si verò aut viscus aliquod, aut universa ventris moles maximam anteacti morbi susceperint partem, primùm quidem iners intestinorum massa turgebit, mox aqua partes per omnes exundabit, eò faciliùs, quòd bilis

ipſa vitii aliquam, nec minimam partem, facultate ſuâ orbata, ſuſcepit. Verùm res eadem, thorace debilitato, &, ut aiebat Hippocrates, pulmonibus in latus delapſis accidit, manuum ſimul turgeſcentiâ, ſimul anhelitu periculum præſens indicantibus. Meliùs cum iis agitur quibus aquoſa colluvies per apertos ſalivales bronchialeſque meatus patefactos exprimitur & excutitur: quod non unâ vice peractum vidi. Illa etiam ſolatii ſpes iis contingit, quibus abdominalium meatuum libertas facilem diarrhœam facit. Periculum illud pariter ab iis devitatur mulieribus, quas à pejoribus malis fluor muliebris albus liberat. Certò in omnibus hiſce caſibus, ut medicè loquamur, cachexiæ reperiuntur elementa; & ſi defuerit ſtagnantis liquidi in cavitates aut textum cellularem, quod in infantibus præſertim non admodùm rarum eſt, illapſus, id aut cauſæ levioris actioni, aut artis auxiliis, aut auſtero regimini gratum atque acceptum haberi debet, aut aëri etiam prætermodùm ſicco. Hinc fit ut illud in reconvaleſcéntiis pertimeſcendum periculum, multò plus immineat in locis humidis atque paludoſis, tempeſtateque uvidâ & frigidâ. Illud etiam præcipuè ad eos pertinet ruſticos militeſque, qui, antea laboribus fracti, diætæ normam aut non aſſequuntur, aut aſſequi non valent præ rerum oblatarum copiâ, & præjudicio huic hominum ſoboli proprio non poſſe niſi alimentorum uſu

Colluvies illa per varias excretionum vias aliquandò ſublata.

vires reparari, nullâ habitâ ratione præcepti Hippocratici, quo vires ad onus ferendum & materiam coctionis ſubigendam conferuntur.

Ex hâc rerum obſervatione ſatis patet quantùm inter ſe, ut causâ, ſic effectibus coincidant tùm laxitas & inertia ſolidorum, tùm liquamen illud humorum cachecticum. Verùm non omnis glutinoſa ſpontanea humorum moles ab hâc causâ repetenda eſt. Quippe, corpore cæteroquin rectè valente, ingens glutinum illorum proventus intrà corpus enaſcitur, qui quidem in morbis, imò etiam in ſanitate, ingentia faceſcit medicanti negotia. Pluribus enim, ſine ullo ſolidorum vitio, glutinoſum illud ſemi-coctum, ut Galeni verbis utar, à ſoliûs ventriculi inertiâ pendet. Aliis bilis, ſaponaceâ & ſtimulanti virtute defraudata, non ſatis efficaci potentiâ in molem alimentorum admiſſam agit: unde alimentum vix mutatum, gluten crudum & indigeſtum efficit, materiemque non ſatis à prioribus elementis diſſitam, nec tenuatam ſatis, viis primis obſtipandis aptam; & ſi ad glandulas uſque pervenerit cruda moles, illas opplet obturatque. Gluten iſtud poteſt actione repetitâ naturæ, ut variis in caſibus evenit, in motum agi & rapi, tuncque, inflammatorium ardorem concipiens, vertitur aliquandò in ſuppurationes, quæ per varios, ſed lento motu confectos abſceſſus tandem ab hoc

Alia glutinoſi ſpontanei cauſa, Inertia ventriculi, bilis, &c.

Gluten illud degener & ab actione naturæ motum.

fomite corpus liberant, quod felix fortunatumque dici poteſt, niſi cauſa ſubſit à quâ malum reviviſcat. Hinc abſceſſus qui morbos illos ſequuntur non pro metaptoſi habendi ſunt, ſed pro verâ Epigeneſi; cauſa morbi prioris iners erat & vix actuoſa, frigidam vocabant veteres, ſubjectus ipſi ignis huic fomiti efficaciam actuoſam indidit; morbus ejuſque cauſa priorem mutavere indolem. Hoc quoque per variolas, etiam per inoculationem inſertas, ſuperveniſſe vidimus, in junioribus quidem, in quibus mucus undequâque exundat. Illa enim frigidior moles, ſuppurationis varioloſæ nixu, calorem & actionem concipit. Hinc oriri videas abſceſſus ad articulos, ad palpebras; imò & in pulmones decumbunt morbi reliquiæ, quas ſi excuſſerit vis naturæ, ſalubritati & robori additur quidquid huic maſſæ detrahitur. Nec mirum ſi textus cellularis maxima luat piacula labis illius inflictæ, cùm æquè muco atque adipi accipiendis deſtinatus à naturâ fuerit.

Aliis glutinoſum illud à coagulante quodam fomite pendet, qui fomes lymphæ hanc indidit tenacitatem, imò & jam degeneri novas qualitates contulit. Talis eſt illa tenacitas à lacte in puerperis orta, in quâ dubium eſſe poteſt an glutinoſi lactei copia ſola ſuperabundans exſtet, an etiam ipſi addita ſit acida ſpontanea degeneratio à virium defectu, pro materiei nocentis exundante copiâ. Huc etiam

Glutinoſum à fomite pendens.

referenda foret glutinositas scrophulosa, glandulis & locis quos mucus alluit, infensa, si non in hâc glutinositate prætermodùm tenaci adesset evidens acrimoniæ nota. Certè, si gluten unicè spectemus, ejusque naturam ab actione vitali deficiente pendentem; spes erit posse copiam illam glutinosi, per actiones auctas & febris periodicæ efficaciam, in pus mutari, &, per Epigenesim, suppurationes veras atque legitimas per textum cellularem suscitari. Imò etiam & hoc in naturæ ordine, potest observari; nisi cum glutinoso illo, acre aliquod venenosum, alterationes naturæ respuens, omniaque quibus annectitur elementa pessumdans, glutinosæ illi tenacitati intimè uniatur eique conjungatur.

Spissitudo humorum inflammatoria.

At aliud est, huic omninò contrarium, imò oppositum, densum inflammatorium, in quo cruoris partes, jam ad densationem & intimum contactum per se dispositæ, difflatis & exhaustis, per actionem vitæ violentam, partibus tenuioribus, intruduntur & coguntur, addensanturque inter se quæ sunt homogeneæ, & ad sese proximiùs attrahendum pronæ; hinc sanguis densior, gravior, quasi solidescit, & ipsam resinosam, aquæ ferè immiscibilem naturam attingit. His hominibus ardor ingens emicat, hos divexat sitis inexhausta; partes omnes squalent aridæ, urina flammea & liquidiore parte difflatâ crassa, putridum odorem nidoremque oculis

obſervantium infeſtum exhalat; imò, in ingenti potu, qualiſcumque fuerit ille cùm ſanguine miſceri neſcius latex, limpida urina aquea & tenuiſſima, vix aliquam miſcelæ intimioris cum humoribus notam, mirantibus, demonſtrat. Hæc erethiſmi atque tenſionis prætermodùm auctæ proles ad morbos juveniles ſanguineorum virorum pertinet, lympham æquè atque cruoris partes addenſans. Sed vitium illud ſemel efformatum, ceſſante & deferveſcente erethiſmo non illicò ceſſat: & certè ſupereſt per aliquod tempus, ope alimentorum diluentium & ſaponaceorum vincenda illa, quæ per violentam & efferam vim inducta fuerat liquidis indoles. Hinc illa Epigeneſes facere poteſt, tùm à defectu liquidi ad alimentorum coctionem neceſſarii, tùm ab imperfectâ liquidorum intùs admiſſorum cum magmate reſiduo miſcelâ, tùm etiam ab enatâ per ipſum motûs febrilis tumultum acrimoniâ. Addant hìc qui theorias ſectantur, oleoſæ & phlogiſticæ partis exaltationem & evolutionem; unde quæ mobilitas ſolidis addita eſt ab ipſo fluidorum vitio, nova accipit phœnomena.

Poſt morbos ipſos ſuperſtes.

Verùm non una eſt metuenda ab hâc inflammatoriâ denſitate Epigeneſis. Scilicet ipſa denſi illius inflammatorii tenacitas, æſtu partium & earum proximo contactu aucta, id ſæpe efficit, ut partes vicinæ, quæ nunquam adhærere inter ſe debuiſſent, unionem ſolida-

Adhæſiones viſcerum ab hâc inſpiſſatione pendentes.

tam contrahant præternaturalem, & jam insolita soliditatis experiantur fata. Id pulmonibus & pleuræ familiare est, post graves inflammationes, post vulnera ritè coalita, fervente præsertim syrio, sub aridiori cœlo inflicta. Id in hepate & intestino colo sibi suppositis ita animadversum est, ut postea corruptela unius ad alterum vergat, & æqualiter in hoc ferali exitu funesta sortiantur symptomata. Id etiam artubus ab arthritide vexatis contigit, ne loquar hîc de multis ab hâc causâ natis partium inter se adhæsionibus & factis inde corrosionibus; quod in utero & vesicâ, imò digitis vulneratis, genis ad maxillas appressis per inflammationis vim contigit aliquandò: sanari potest æger, at sæpe remanet labes inexhausta, ab insanabili adhæsione pendens, & jure Epigeneseos nomine designanda.

Superstites ab eâdem causâ morborum reliquiæ.

Verùm, dùm sedato erethismo, superest densum inflammatorium, quàm sæpe atroces ad articulos dolores novo cruciatu divexant? aliquandò præteriti periculi instat metus legitimus ne reviviscat affectus: quippe superest obstructio, deest erethismus levi de causâ renovandus. Quàm sæpe vexavere anhelitus asthmatici, per periodos redivivi, quoties nova alimentorum moles sanguinem subit? It sæpe symptoma illud in peripneumoniam & pleuritidem degener: unde observatum est ab Authoribus eos qui his morbis semel fuere afflicti iisdem sæpiùs corripi. Scybala ipsa, indurata,

tardum ſibi moliuntur exitum, & plurima hæmorrhoïdum, cephalearum, calculorum in veſicâ felleâ latentium minantur ſymptomata. Sæpe ſolvendæ iſti denſitati advocanda fuit hujus denſi maximum ſolvens ſuppuratio, quam quidem exoptandam faciunt, ea quæ, ob maximum violentiæ gradum, vix poſſibilem deſignant ſolutionem, rebellia ut naturæ ſic & artis præſidiis, ſymptomata.

At enim in aëre fervido, in laboribus præmaturis, in coctione perversâ atque fatiſcente nulla eſt mutatio Epigeneſim faciens magis, & ſymptomatibus terribilis, & ſequelis metuenda, quàm quæ ab antiquis *atra bilis* dicebatur, quæ, ſepoſitis omnibus veterum figmentis, nihil aliud oculis Obſervatorum & Phyſicorum offert, præter magma ex ardore præcedenti natum, &, liquidis exhauſtis, in piceam quaſi tenacitatem adactum. Illud ſub hâc tenacitate acredinem propriam nactum eſt, ex ipſo circuitûs qui ejus generationem & præceſſit & effecit, impetu. Quod quidem vitium, licet ad bilem propiùs pertineat, poteſt etiam ad alios humores coagulabiles pertingere, ſi medios inter æſtus & fervorem in corpore concitatum ſtagnaverint illi; unde, poſt erethiſmum ſedatum, remaneat humor vix in aquâ ſolubilis, qui nervos quibus inſidet vellicet & concutiat. Imò, ſi ſolvatur aliquâ de causâ humor jam aquarum ſtygiarum acredinem adeptus, fit *atra bilis mota*,

Atra bilis.

Atra bilis mota.

quam in utero, in hepate, mammis, tumoribusque solitariis, antiqui observaverant, omnia sphacelo destruentem. Hinc etiam duplex Epigeneseon ordo nascitur : vel enim eas ingenerat morbus acutus, jam exactus, sed sine necessariâ ad sanationem coctione præviâ compositus ; vel antea productam bilem atram atque silentem commovet & efferat affectus acutior, unde morbo per se leniori perniciei tessera inducitur. Sic glandulæ alicui obstructæ atque jam per præcedentem inflammationem induratæ, ubi tumultus inflammatorius additur, metus est maximè præsens suppurationis vel tardioris, vel celerioris, imò carcinomatosæ, hincque Epigenesis in teterrimam abit metaptosin.

Verùm si res altiùs æstimetur & spectetur per varios casus, fatebuntur omnes nullam esse spissitudinis ab humoribus contractæ speciem quæ non possit, si subitus ardor in morbis etiam cachecticis innascatur & incandescat, atræ bilis elementa concipere. Sæpe quoque hominibus jam hydropicam diathesin nactis atra bilis efferbuit, & omnia in pessimam gangrænam convertit. Nec semper aut Epigeneseon aut Metaptoseon naturam nacta est atra bilis : nam cœlo fervente & æstuoso, in corporibus aridis, atra bilis per se nascitur, notante rem Hippocrate observatorum naturæ antiquissimo. Imò si res moderatè sese egerint, contingere potest, quòd legimus

Atra bilis etiam in cachecticis.

Atra bilis sponte nata.

in hiſtoriis epidemiorum Hippocratis & in Galeni commentariis, ut felix fiat atræ bilis critica depuratio, quod rarum eſſe omninò iidem aſſeveravere. Imò aliquandò, ut in Coacis legimus, papulæ nigreſcentes in ægroti ſalutem apparuere, quod Galenus ad noſtram mentem voluit intelligi. Attamen illæ, morbo ſublato, peculiarem ſibi curam poſtulavere, Epigeneſeon more, quas & formâ & ſequelis expreſſere.

Atra bilis per nerveam irritationem creata & mota.

Præter jam memoratas cauſas Epigeneſis illius, alia etiam annumeranda eſt. Solidis nerveis atque ſenſu gaudentibus exquiſito inflicta labes, dùm æquilibrium actionum tollit, dùm coctionibus labem infert, ſanguine per præcedentem erethiſmum jam denſato atque inſpiſſato, huic generandæ atræ bili anſam dat: unde duplicari ſymptomata neceſſe eſt, atque in ſcenas abire intuitu tremorem incutientes & ſpectaculum horrendum offerentes. Nec vacat iſtud præſenti periculo: ſi quidem vitium organicum & ab humorum vitio enaſcens ſenſationi auctæ ſuperadditur, omniaque indè intentantur pericula, quæ, utrique cauſæ debita, ſeſe mutuò acuunt, & in corporis detrimentum invaleſcunt. Quæ quidem ſequela complicata, non raro morbos acutos, peſſimâ reconvaleſcentiâ, excipit. Illud tamen, in hâc effectuum denſitatis quæ atram bilem conſtituit enumeratione, vereor,

ne dùm obſervata proſequi, & ordini ſubmittere aggredimur, probabilia tantùm ſectari videamur, Boerrhaavianæque theoriæ nimis addictos aliqui inſimulent. Nec diffitemur plures eſſe qui, neglectis Cl. Browne Langrish experimentis, denſationem principiorum inflammatoriam admittendam negent. At eorum animadverſioni obſervatio ſimpliciſſima apertè contradicit: cùm nullibi aut calor auctus, aut motus intenſior poſſint concipi, quin ſimul adſint & ſubtiliorum particularum avolatio & approximatio denſiorum. Adeòque à Galeno & antiquioribus artis magiſtris denſitas hæc obſervata fuit, & communi conſenſu admiſſa atque comprobata, nec de meræ & ab omni utilitate vacuæ phyſices litibus, ulla nos ſollicitabit cura. Firma ſtabunt & inconcuſſa obſervata, circa quæ curioſis licebit & ingenia exercere, & diſcipulorum animos imbuere.

Humorum colliquatio ſive aucta fluiditas.

Hactenùs quidem de ſpiſſitudine ſeu denſitate liquidis inductâ ſatis actum eſt. Tenuitatem autem ita humoribus per morbos præcedentes inferri, ut jam partes inter ſe nec coeant nec cohæreant, per obſervationes nondùm ſatis conſtitit, nec per phyſices opem ſatis intelligitur. Certè forſan ſoli putredini proprium eſt, ut mucum illum, qui ſanguinei laticis maximam partem conſtituit, ejuſque corpus atque coagulum efformat, ſolvat & quaſi corruptelâ eliquet.

A putriditate.

Sed illa, ubi univerſalis eſt, mortem potiùs atque promptam perniciem invehit quàm ullam Epigeneſim. Aliquandò tamen evenit ut, ſoluto erethiſmo, parteque fomitis putridi per vacuationes quaſcumque eliminatâ, remaneant putridæ labis veſtigia, quæ maculas hinc inde inferant, cum ingenti pulſuum debilitate, dolore artuum inerti, hypochondriorum inflatione, & ſymptomatibus nervoſis. Mox artus intumeſcunt, nigreſcunt, erroreque loci partes rubræ ſanguinis in negatos ipſis aditus devehuntur; unde, causâ fermenti inſtar in partes ſanas agente, ſeque ipſam pro ſuâ naturâ adaugente & multiplicante, gangrænæ brevi metus imminet. Hoc vitium vulgò cum ſcorbuto conjungitur, & pro ipſo accipitur, licet forſan minùs propriè, quanquàm ſymptomata communia plurima habeat: nam in hoc noſtro malo tonica amara, & præcipuè cortex peruvianus, jure antiſcorbuticis palmam præripiunt. In ſcorbuto verò ſerum acre perſpiratorium crudius, quamvis in ſummâ ejus periodo eadem invehat mala, ſua ſtadia lentiùs decurrit, plus dolorum ad articulos & ad oſſa ipſa defert, plus etiam in thoracem & gingivas agit; putredinemque ſibi adjunctam ubi conſociavit, cum malo hîc deſcripto confundatur licebit, modò in decurſu ſuo diverſitatem admiſſam agnoſcamus.

In quo colliquatio putrida differat à ſcorbuticâ.

Tenuationis illius exemplum vidi, vix ex phyſicis obſervationibus explanandum, poſt

Exemplum inſigne.

abnormes febris quartanæ paroxyſmos, peſſimâ tractatos methodo. Intumuerant pedes, ventris cavitates aquâ turgebant, ceſſaverat febris. Paucis poſt diebus ſuperveniens diarrhœa ingens, indefeſſa, tumorem omnem, imò & ejus veſtigia ſuſtulit. Plaudebamus omnes: illicò gingivæ intumeſcunt, ſanguine atro diſtentæ; imò maſticatio ipſa impoſſibilis prorſùs evadit. Thorace libero, reſpiratione ad naturæ normam perſtante, inflantur mirum in modum manus, brachia, ipſaque facies. Dùm naturæ opitulamur urgemuſque conamina ad ſcorbutum tollendum apta, oritur ſalivatio perpetua, noctù diùque indefeſſa, ſubſident gingivæ, ſed & ſimul reſtitat iners urina. Quantùm ſalivæ exierit vix dici poteſt; in domo opulentâ vaſa ad eam excipiendam deerant; pellucida ſaliva illa erat & ſpumoſa. Manus & brachia ſimul detumuerant; ſed corpus maraſmo conficiebatur. Supervenit demùm tuſſis, jamque primùm æger torquetur noctù diùque anhelitu. Viribus conſumptis, pro ultimâ Epigeneſi diarrhœa placidam morbo vitæque finem impoſuit. An etiam ad tenuitatem referenda eſt, quæ à Lieutaud deſcribitur *anæmia*, ſeu rubræ ſanguineæ partis defectus, quæ, ſi obſervatur unquam, ad virium collapſum referenda eſt?

Mutatio conſiſtentiæ quælibet ab acrimoniâ ferè naſcitur.

Verùm ſæpe ſæpiùs, imò ferè ſemper, ut obſervantium munere fungamur, vitia illa, quæcumque fuerint, humorum noſtrorum

consistentiam immutantia, à remotiori fonte pendent, acredine scilicet, quam ab externis mutuamur. Porrò semel admissum acre quodcumque, solida quidem vellicando atque irritando actionem suam exerit: sed pro naturâ vitiati liquidi, pro coctione atque secretione diversimodè affectis, differt quoque ipsa irritationis forma, typum singularem induit, variantur ejus effectus; imò & parti cuivis ut suus est sentiendi modus, ut sua est cum partibus externis analogia & quasi attrahendi facultas, ita phœnomena variè admodùm excandescunt. Horum porrò signa ex physicis facultatibus cum corpore animali collatis ita exquisitè recensuit BOERHAAVIUS, ut viri illustrissimi doctrinæ aliquid addere piaculum foret. At nemo negabit hisce partibus diversam sedem ita affectari, ut ab aliis cruor solvatur, ut sunt salia alkalia volatilia, quorum à nimio usu, errores loci, hæmorrhagias, urinarum fætidarum proventum, erysipelata, & vibices vidi contrahi, & solventem accersi putredinem: ab aliis contrà adipem liquescere deprehendes, & in saponaceam putrescentem massam converti; unde nascatur fluxus biliosus, qui, hepatis substantiâ alioquin intactâ, hominem brevi perimat macritudine. Hæc facultas non solum alkalinis salibus propria est, sed omnibus substantiis quæ virtute etiam saponaceâ pollent: adeps ipse, etsi aquæ consortium respuat, mediantibus

Actio acrium in sanguinem.

In adipem.

tamen ſalibus, in ſaponem bilemque vertitur. Ab ejus ſolutione contra naturam factâ, plurimos pendere hepatis morbos author eſt Meadius, non infimi certè ordinis Medicus. Inde ſæpe temporibus æſtivis & ſummam inducentibus acredinem cholera-morbus ſupervenit, quæ pro Metaptoſi & pro Epigeneſi, dyſenteriæ, & præcipuè diarrhœæ bilioſis, ſuperveniſſe in medio luis epidemicæ jam antea conſtitutæ, viſa eſt. Imò, ſi fluxui huic aliquod ſeſe opponat quâcumque de ratione impedimentum, icterus per urinas ſolvendus Epigeneſim morbo metuendam magis efficit; quod ab imprudenti medicinâ ita aliquandò factum vidimus, ut ab ipsâ, hepati labes diuturna fuerit altè inuſta.

Et certè ex omnibus cauſis quæ Epigeneſin in morbis jam conſtitutis efficiunt, nulla eſt aut ſævior aut frequentior bile, in quam, ut & in ejus fontem adipem, nullum eſt ſal, nullus ſapo, nullum oleum quod non agat atque ejus qualitates intervertat, ſive in principio, ſive in decurſu morbi, ſive in tempore criſeos, ſive demùm etiam morbo exacto. Hinc tot icteri, tot fluxus alvi bilioſi, virideſcentes, inflammatorii, porracei, nigri; tot maculæ oculos, cutem, artus & pedes occupant & faciem dedecorant, etiam cum priſtini morbi levamento. Ab hâc demùm causâ tot mala in hepar & lienem decumbere videntur, in morbis, tùm univerſalibus, tùm qui pecullia-

In bilem.

res ſunt abdomini, tùm etiam in geſtatione, in quâ ſæpe maculæ luridæ, flavæ, imò & icterus nunc faciem, nunc totum corpus deturpant, partu ſolvenda. Nonne etiam lac, humor per ſe efformatus ad naturæ ordinem, & ad nutritionem corporis comparatus, ſi ſale aliquo pejoratur tenuaturque ocyùs quàm natura imperat, illicò mutatur & pervertitur in variam excrementorum formam, & nova jam elementa, novam acredinem ſanguini ſufficit, ad varia, pro mutantis partis indole, corporis incernicula deferendam? In lac.

Cogere varia humorum elementa eaque in coagulum efformare licet poſſint famoſa illa acida mineralia, tamen circulantis ſanguinis impetus effectum hunc præpedire atque prævertere aliquâ parte debet. At certè ab acidâ horum facultate etiam mitigatâ, facultas aliqua naturæ animali additur, quâ poſſint ad ſe adduci, & ab aqueo fluido incoagulabili ſejungi atque ſeparari ſanguinei laticis elementa. Quòd eò plus locum habere debet, quòd auſtera illa ab his conflata corpora, dùm fluida veluti cogunt, poſſunt etiam fibras ad ſe adducere, unde meliùs fluida pars exprimitur. Actio acidorum in ſanguinem.

At in bilem præcipuè, contentoſque & affluentes in inteſtina humores, actio acidæ luis evidens eſt. Ab hâc protinùs bilis, viriſcentem colorem nacta, chloroſim conſtituit & icterum quaſi decolorem. Morbi In bilem.

Acidi ſpontanei effectus in varias partes.

omnes ab acido ſpontaneo naſcentes, ructus, flatus, vomitus, dolores ad articulos, meſenterii obſtructiones, adipis coagula in ſteatomatoſam duritiem, concitant; qui quidem ſecundarii effectus, morbos ab infantum dentitione, in quibus fermenti acidi præſentia evidens eſt, concitatos ſequuntur ita evidenter, ut in re cognitâ longiùs immorari inutile prorſùs ſit. At ſaltem licitum ſit hîc paulìſper animadvertere, quàm facilè mucus ille tenuis, lymphæ qualecumque corpus, qualemcumque viſciditatem concilians, acidum illud imbibat, & ad varios glandularum fontes deferat atque deponat: unde ſæpe, ex ipſius naturæ depuratione, ad infantum cutem acidum illud rancidulum factum deponatur.

Rancidi acris effectus.

Rancidum acre volatile obſervatur quoque ſæpiùs poſt morbos, pruritus efficiens ad cutim, fœtens, putridum, appetitum deſtruens, vires proſternens, febri accendendæ ſudoribuſque viſcidis inducendis aptum; eſtque vulgare melancholiæ præludium, aut illius quem deſcripſimus ſcorbuti. Acidum evidenter aphthas, & in morbis, & poſt morbos naſcentes comitatur. Genua contundit, oſſa debilitat, turpem & multiplicem vermium variorum proſapiam infert, promptiorem quàm crederes inexpertus. Acidi illius in veram & peſſimam, imò celerrimam putredinem exitum univerſa natura, in vegetantibus cruciferis, in aquis cœnoſis & ſtagnantibus paludoſis, demonſtrat.

At nullo alio vitio ſalino adeò facilè lympha imbuitur atque muriatico, qui ubi tuſſes acres, clangoſas, pituitoſas, rodentes, ſuffocationes, anhelitum concitavit, in cute pruritus, puſtulas, ulcuſcula, potiùs pro Metaſtaſi quàm pro Epigeneſi, depoſuit. At verò patet inde ſatis ſuperque, quòd, quantacumque fuerint acredinis vitia, agunt tamen illa forſan magis in ſolidas partes quàm in fluida. At vix ulla eorum in fluida concipi poteſt actio, quin principiorum ordinem mutet, adeòque conſiſtentiam illorum peſſumdet; alioquin acre quodcumque ſub excrementi formâ è corpore eliminabitur.

Acris muriatici in lympham actio.

Præterea verò annotandum eſt quòd, etſi illi acredinum fontes à ſapientiſſimo Boerhaavio indicati, gradu, miſcelâ, corporis anteactâ conditione mutati, poſſint millenis Epigeneſeon cauſis anſam præbere, non tamen ab illorum perpensâ conſideratione poſſint omnia ſolvi problemata, circà ea quæ in corpore fiunt, ſive morborum, ſive Epigeneſeon titulo. Siquidem nec ſatis intimè cognoſcuntur partes ipſæ fluida conſtituentes, nec earum mutatio, nec organorum mutantium actio. Unde illi qui ſeſe ſimpliciter obſervatorem profitetur id tantùm incumbit, ut accuratè teneat quid tulerit conſtans obſervatio. Cætera omnia acria, ſeorſim ab erethiſmo ſpectata, ad claſſem venenorum incertam illam nec determinatam ſatis, referuntur.

Alia multa ad certas acrium claſſes referri nequeunt.

Venenorum nomine distinguuntur.

Sub venenorum nomine liceat hîc illas omnes partes alienigenas comprehendere, quæ, licet corpus immutent, ad classes tamen evidenter cognitas non omninò referuntur, adeòque proprium sibi antidotum menti offerre non valent. Ea porrò venena, ab externis primariò desumpta, ratione mechanicâ, licet sæpe incognitâ, aut in partes nerveas, quod quasi universale & commune ipsis est, aut in fluida agunt, quorum naturam pervertunt.

Venena in corpore ipso nata.

Eæ autem partes lethiferæ duplicis generis sunt. Aliæ intrà corpus ipsum aut nascuntur, aut saltem contagio receptæ, facto veluti cum humoribus nostris connubio, crescunt simul & evolvuntur; aliæ verò fato extrinsecùs inductæ, naturæ magis infensæ, ipsam actione rapidâ pervertunt & destruere valent. Priores in corpore animali natæ, fotæ, educatæ, hanc aromatum quorumcumque naturam sibi sortiuntur, ut (licet eam volatilitatem, actione sive animali, sive etiam vegetabili prægressâ, nactæ sint, quâ ab aliquo corpore ad aliud deferri nihilominùs valeant) viscidis humorum principiis pertinaciùs adhæreant, remanente fixâ & indelebili illâ nocendi proprietate, non facilè menstruis delendâ solventibus Fermenti more agunt, & pro conditione corporum in quæ incidunt illæ, proprias crises sibi vindicant, proprias Metaptoses, Epigeneses proprias. Sit pro exemplo Epigeneseon

Variolæ.

pestis illa variolarum quæ, una & ab uniformi

mi

mi principio orta, muco volatilitalem propriam indit. A benignâ oritur maligna maximè: iſta benignam ingenerabit. At in junioribus, aciditati infantili venenum illud junctum, novam contrahit indolem, rancidum, acre, putreſcens, colliquans, ad nullas claſſes cognitas referendum, muco mutato. Ab hâc unione mille Epigeneſes, nec ſemper facilè deſtruendæ ſuboriuntur: in his oculi cæcantur, articuli concreſcunt in illis; in aliis ulcera maligna, gangrænæ ſuccedunt. Quid multa, nullum eſt ex diverſis imò & oppoſitis generibus malum, quod non & matres terrore oppleat, & ægros periculis ambiat. At hæc prævidere, non ex ipsâ variolarum contagione, ſed ex corporis prædiſpoſitione, & varias Epigeneſium formas augurari licet. Hinc ipſa peſtis famoſa illa & adeò metuenda contagio unâ tempeſtate ſævit, alterâ conquieſcit, mox rediviva redeunte æſtate, ut apud Athenienſes pridem obſervatum à THUCYDIDE aliiſque præſtantiſſimis Authoribus fuit. Et etiam in ipsâ peſtis ferocientis vehementiâ, corpora alia plus aliis laborabant & periculoſiùs decumbebant: adeò verum eſt magnam ineſſe in venenorum horumce effectibus differentiam, pro variâ corporum in quæ irruunt conditione. Ita etiam in ipsâ variolarum peſte, ſæpiùs conſtitit illas eſſe aliquandò gentilitium quibuſdam proſapiis malum atrociſſimum, dùm contrà videntur in eâdem conſtitutione Peſtis.

epidemicâ aliorum cutem lambere. Certè omnibus in quibus materies illa ſuperexundat, Epigeneſes multiplicatas fieri neceſſe eſt. Sic ſæpe, ſub Epigeneſeon titulo, in ferventiſſimis morbis, venenum intùs enatum miliarem eruptionem efficit, nec criticam, nec utilem, quam ſemper vitiato locorum in quibus decumbunt ægrotantes, nec renovato aëri tribuendam eſſe, forſan nimis univerſali axiomate pronuntiavit vir nuper doctiſſimus. Cujuſquidem miliaris febris loco toties erupere maculæ, vibices, petechiæ, aliaque eruptionum genera, quæ, excrementorum intùs retentorum vice, multoties ſub merito veneni titulo natura ægrotans ingeneravit. Imò ſæpe Epigeneſes illæ, verè excrementitiæ, ſub finem morbi apparent; hincque Metaptoſeos nomen mererentur, ſi aliquatenùs morbi eſſentiam immutarent. Imò quod ſub Metaſtaſeon nomine aliis ſalutare eſſe potuit, quidni ab aliis contagii nomine potuit imbibi? Id certè in rerum naturâ, licet rei modus nondùm oculis patuerit, evenire neceſſum eſt, ut quod priora contagia ſparſit corpus, ea à ſe ipſo concepta proprioque vitio confecta, ſibi priùs perniciosa ſenſerit, à quo ſcilicet ferax malorum ſcaturigo ſumpſit originem. Id locis & conſtitutionibus peculiaribus proprium, in magnis illis peſtiferæ luis exemplaribus, cur non in minoribus & momenti non adeò gravis morbis, cur non in clementiori cœlo

Miliaris eruptionis materies.

Contagioſa generatim miaſmata.

nostro deprehenderetur? Certè, si à morbis acutis ad chronicos à veneno aliquo ortos nostra sese ferat inquisitio, in pluribus phtiseos pulmonaris speciebus signa contagii, adeòque veneni, reperire est, degenerisque illius; ita ut multoties ancillas phtisi laborantibus & ab hâc mortuis fœminis assistentes, posteà gravi pulmonum & diuturno morbo laborantes deprehenderimus, nec tamen ipsi, si præsertim fuerint aëris liberioris & salubrioris usurâ donatæ, occumbentes. Phtiseos contagium.

Porrò morbi omnes illi qui à particulis alienigenis pendent indomabilibus atque venenatis, Epigeneses præter alios morbos experiri valent: quippe conatibus naturæ, sæpe ad scopum inutilibus, & effectibus inde oriundis universim constant. Nec tamen effectus illi, dùm naturam morbi non valent mutare, naturam tamen sanguinis & humorum non immutant, sed contrà variare cogunt. Unde tot pustulæ, tot pruritus, tot exhantemata nascuntur. Cruor, in variolis secundo & tertio die jam crustâ obtegitur inflammatoriâ, quæ priùs non aderat. Idem accidit omnibus morbis qui phlogosim sibi comitem adsciscunt. An inter Epigeneses recensere licebit varia partium omnium symptomata, quæ pro diverso humoris decubitu, possunt exoriri? sic, verbi gratiâ, arthriticus fomes, qui pedes & erysipelate & phlyctœnis plectit, in alias partes aliis sese crudelem præstabit phænomenis: Epigeneses ab his oriundæ.

morbi causa eadem est, morbus non idem. Sed, an dicendum est quod res est? Nullus est febrilis tumultus, qui non, etiam si simplicissimus sit, Epigeneses ingeneret; & quò pars est debilior, eò & propensa magis ad eas suscipiendas; mutatur autem per decursum morbi excrementitiæ partis & copia & natura. Affectus catarrhosi, quos ut sæpe epidemicos fateri necesse est, sic contagiosos esse semper diffiteri arduum est, nonne dùm febrilem æstum ingenerant, Epigenesibus in labra, in oris & faucium interiora, & ad articulos vexant miseros ægrotantes? Verùm istæ Epigeneses nullâ ratione apparent, ubi, sedato morbi tumultu, partes laxantur.

Venena extrà corpus nata.

Violentiora Epigeneses non faciunt.

Aliæ verò dantur venenatæ partes, quæ intrà corpus aut fato, aut malignitate introducuntur. Hæ, ingenti ut plurimùm efficaciâ donatæ, corpus ita destruunt, & in universum illud ita potenter agunt, ut jam Epigenesibus, in tantâ symptomatum multiplicatione, locus non detur. Multiplicantur quidem, sed celeri & lethali decursu partes illæ venenatæ. Omnes simul partes, & solidas sentientes, & fluidas, ita adoriuntur, ut omnia prorsùs mutata appareant. An, in horrendis illis qui à morsu rabiosi animalis pendent paroxysmis, notanda est aliqua Epigenesis? An aliquid à causæ effectibus diversum in serpentis caudisoni, aut etiam viperæ vulgaris morsu? Omnia patiuntur & labefactantur æqualiter. At res non

eadem omninò eſt, quoties primus afficitur ventriculus: ſæpe enim receptam labem ipſe vix ſentit, ut in plantarum aut animalium quorumdam uſu: at, ipſo vix per ſe patiente, ejus ſympatheia nunc in caput, nunc in pulmones aut inteſtina redundat; &, niſi vomitum concitet nauſeoſa, vix alii ſenſui excitando aptior, cauſa, ſomno correptus æger inter ſpaſmos occumbit. Sæpe in cutem impreſſa ſtomacho lues fertur, ut ab hepate piſcis ſquali catuli Sauvageſius noſter obſervavit; ſic & aliquandò in uſu imprudenti mytulorum minùs recentium ſubitò cum ingenti pruritu puſtulas enaſci videmus, quæ, vix in ventriculum admiſſis mytulis, illicò tamen ægrotantes afficiunt. An verò in morbis aliis quorum cauſa non adeò evidens eſt aliæ ſimiles Epigeneſes enaſci non poſſunt, quæ, licet minùs huc uſque obſervatæ, poſſunt amplum obſervationibus campum aperire? Eas diagnoſis ab ordine cæterorum ſymptomatum facilè ſejungit atque diſtinguit, ſi cum causâ morbi nullum obtineant nexum, nec morbo ipſi, nec ejus levationi ullo modo opem ferant.

Epigeneſes ab his quæ in ventriculum agunt.

Et certè, ſi res propiùs inſpexeris, licet & ſolida & fluida, ſi ſeorſim atque ſejunctim ſpectentur, poſſint & ſymptomata & Epigeneſes concitare, patet ex attentâ obſervationum prædictarum meditatione, nullam ſic propriè dictam enaſci & obſervari Epigeneſim, quæ ab his in illa non traducatur, dùm à va-

Solidorum & fluidorum in Epigeneſibus producendis concurſus.

ſorum actione immutatur fluidorum natura, dùm à fluidorum perverſitate motus & actio vaſorum viciſſim vitiantur : ita ut circulus hic lædens inter cauſas & effectus ſtatuatur. Imò, quod dolendum magis, datur actio partium quæ hùc erethiſmum, illùc inertiam inferat : ſic in morbis ſoporem inducentibus ſtuporem convulſioni remixtum obſervamus, nec minùs in putridis & venenatis quibuſcumque morbis. At enim tot mutationes phænomenorum omninò diverſas in primis ſuis elementis enodare vix poſſibile eſt, cùm lateant nobis primæva rerum elementa & eorum actio tantùm per effectus poſſit dijudicari ; quantumvis huic imbecillitati non denegandæ quandòque repugnet ſuperbia Doctorum faſtuoſa, theoriaſque ſæpe præmaturas obſervationi ſubſtituere magno ſimplicium illarum obſervationum detrimento, non dubitaverit.



CAPUT TERTIUM.

De Epigenesibus quæ pendent à causis accidentalibus.

VITIA huc usque intùs nata vidimus ab ipso corporis mechanismo variatâque ejus constitutione pendentia. Sed multæ dantur etiam aliæ causæ, morbo quidem necessariæ ac nullâ ratione vitandæ, quæ Epigenesim afferant, eamque multiplicem. Ut enim aiebat HIPPOCRATES medicinali observationi necessarium esse intuitum tùm ægroti ipsius, tùm adstantium, tùm externorum quorumcumque; ita ea omnia, seorsim spectata, afferre Epigeneses posse, secundùm Præceptoris nostri mentem, adeòque seorsim esse ponderanda ratio indicat. Externis ergò agentibus quibuscumque spectandis tempus aliquod, ut totidem Epigeneseon causis concedamus. At, ut primum & præcipuum locum in diversitatibus inferendis sibi jure vindicant ea corpora quæ sub medicamentorum nomine designantur, de Epigenesibus quas inferre valent primo differemus articulo. Posteà verò altero eas quæ à quibuscumque externis concitari possunt exequemur. Primo methodum medendi prosequemur; altero tùm alimento-

rum poteſtates, tùm facultates earum rerum quas ſub non naturalium nomine recepto vocabulo ſcholæ intelligunt.

Articulus Primus.

De Epigeneſibus quæ à medicamentorum actione pendent.

Medicamenta ſine naturæ adminiculo nihil valent.

Morbus nullus eſt, corporis functionibus immutatis atque à legitimo facultatum ordine deturbatis, machinam lædens, qui, ut levetur atque perſanetur, viribus, & actione naturæ non indigeat. Imò ſine naturæ actione efficaci nulla poteſt intelligi curatio. Nam oneris parti minuendæ, vincendiſque obſtantibus repagulis, oblata à ſummo rerum conditore medicamenta poſſunt quidem juvare laborantem naturam, eam erigere titubantem, imò & ipſius exſuſcitare vires; at in illius locum penitus ſuccedere non poſſunt. Illa etenim pauca & vix cognita ſpecifica, dum adverſâ fronte cum materiâ lædente pugnant, & ad ipſam deſtruendam conformata videntur, novas exerere non poſſunt materiarum formas ſine ipſius naturæ actione, per quam minùs lædens efformatur excrementorum genus, cujus ope coctione quâdam partes illæ excre-

mentitiæ in formam naturæ propriorem finguntur, atque ita heterogenea ab homogeneis sejuncta repelluntur extra actionis naturalis centrum.

Epigeneses à malè perspectâ plerumque medicamenta inter & morbum proportione.

Præterea, in tantis rerum circumstantium tenebris, ut effectus adeò salutaris sine ullâ erroris formidine posset sponderi, noscenda foret quasi mathematicâ demonstratione proportio quæ extat inter corpus lædens & ei appositam medicinam. A quâ veritatis normâ adeò nostra distat imbecillitas, ut observator, vel maximè attentus, vix possit de actione medicamenti in hoc illudve corpus certò aliquid pronuntiare & fidentius asserere, unde multa vixque devitanda nascuntur ab ipsis medicamentis incommoda, quæ Epigeneseon titulo merito gaudent. Mutanda scilicet est natura corporis ægrotantis, & mutatio illa causæ lædenti in ipsâ suâ oppositione proportionalis esse debet: secus enim extaret per se, ut cum Hippocrate loquar, & præemineret alienigena & hostilis remedii materies. Quid verò, si natura, omnibus conjunctis & conspirantibus viribus, ad certum scopum allaboret & in hunc unum intendat, certè non jam de virtute medicamenti erit disceptandum, sed de ratione quâ tum in morbum, tum in naturam agit; & quod sæpè, antè positum certamen illud morbum inter & naturam, utile esse potuit, constituto jam erethismo, naturâque, pro singulari corporis mechanis-

Ab adhibitione intempestivâ.

mo, vias tentante prorsùs novas, irritatione inutili superadditâ nocebit : quod de specificis, laudem hanc sibi jure vindicantibus, kinâkinâ & mercurio, toties observatum est, ut fusius in hâc nostrâ inquisitione arguendi sese dabit occasio.

Ab evacuantibus & alterantibus.

Recte quidem hic scholæ dividunt medicamenta in vacuantia & alterantia. Priora expulsionem oneris molienti naturæ succurrunt, nocentisque molis pondus, quoties sese occasio præbet, quam præcipitem vocavit Hippocrates, aut tollunt, aut minuunt. Alia corpus immutant, novumque solidis mobilibus, actionis genus imprimunt, aliam fluidis indolem conciliant. Utrique huic medicamentorum generi sua constat utilitas : in utroque ars & methodus, quæ sola medicos efficit & præ cæteris extollit, adhibenda est, ne à scopo aberrent medicamenta. Illa enim ad immutandum corpus per se & à naturâ instituta, possunt etiam, pro variâ eorum administratione, aut illud utiliter immutare atque convertere, aut contrà in perniciem pessumdare, imò plus quam par est aut res postulat immutationis afferre, aut contrà suspensâ nimis actione agere, quod quidem levius est peccatum, si quidem in medicamento admisso leviori & nocumentum per se minus est, &, addito auxilio, reparatio facilior, raroque fit ut talis prudentia possit in artis opprobrium converti. Nam, ut ait Hip-

pocrates, à juvantibus & lædentibus legitima eſt agendi indicatio.

Præcipuum certè & primarium locum venæ ſectioni inter medicamenta vacuantia cum Galeno tribuimus. Hæc magnis & acutis, præcipueque inflammatoriis morbis, auxilium præſens: graſſanti adoleſcentium robuſtorumque plethoræ, aut ſanguinis à quâcumque causâ rarefactioni ità certò conſulit, ut qui eâ carere atque deſtitui, præjudicatâ opinione cœcus voluerit, experimenta per mortes aget. Nec ullo alio præſidio levatur facilius ſolidorum tenſio illa vibratilis, calorem ardoremque, imò incendium inferens. Nec minùs certè profuit in congeſtionibus illis tardioribus, quæ ſine ullo notabili erethiſmo, at cum tardâ peculiarique phlogoſi partes aliquas opprimunt, ſolvique ſe inductâ ſubitâ laxitate poſtulant. Quod quidem pulſum tractanti, vireſque naturæ expendenti medico ſæpè multùm laudis attulit, dum plethora in parte congeſta tardius & obſcurius ibi non inflammationem tantum diſſimulat, ſed inertiam videtur accerſere & cachexiam inferre. Id quotidie videmus in virginibus nundùm adultis.

A vacuantibus. Venæ ſectione.

Ejus commoda in acutis inflammatoriis.

In lentis phlogoſibus.

Verùm in celebrandis venæſectionis laudibus non ita nos BOTALLO jungimus, ut aliquod ab ipsâ naſci poſſe negemus incommodum, ſive in ipſo decurſu morbi, ſive ipſo jam exacto. Morbo enim ſuperato, omnes

Epigeneſes à venæ ſectione ſi nimia adhibeatur.

à venæ ſectione immoderatè adhibitâ, quæ hæmorrhagias nimias excipiunt, Epigeneſes pertimeſcimus, & eam, quæ, tono ſublato, ſequitur, atoniam. Scilicet vaſa omnia laxantur prætermodum, vix premuntur liquores contenti, & quæ functionibus inſtaurandis neceſſaria eſt æquilibrii diſtributio, atque reſiſtentiarum cum actione compenſatio, deficit. Indè, poſt inflammationes, quamcumque partem adortæ illæ fuerint, atonia parti afflictæ competit; poſt deliria phrenitica, infantia, cum perpetuò renovatis coryzis, lacrymis ſponte prodeuntibus, animique imbecillitate; poſt pleuritides anhelitus, aut perpetui, aut periodicè recurrentes, & bronchiorum vix coquendæ plenitudines, raucedines, aphoniæ, dolores ab actionis inertiâ repetendi, cordis tremores: poſt hepatitidem, icterus iners, alvi conſtipatio, renum impedimenta, bilis in veſicâ felleâ retentæ induratio, & hepatis ſcirrhus; poſt inflammationes abdominales, lienteriæ, dyſenteriæ, diarrhœæ, fluxus cœliaci, & ſcirrhus ad hydropem deducens. Prætereà verò ſi hoſtilis humor, quicumque ſit ille, ſive à perſpiratione ſuppreſsâ ortum habuerit, ſive à fomite aliquo natalia traxerit, hujus ſit naturæ, ut, poſt ſublatum erethiſmum, poſſit in obſcurioribus incerniculis ſine noxâ præſenti deliteſcere, & accîſis viribus, primò quidem diſſimulatos & perfidè ſilentes, ſed mox, inſ-

Si præpoſtera.

taurante ſe robore, renovandos effectus arceſſere, remanebit intùs lues dato tempore formas indutura varias, & morbos, viribus inſtauratis, producet diversâ larvatos formâ cutaneos, ſuppurationi habiles; & tandem, poſt varios caſus, phtiſin, aut hydropem invehet: tantæ molis eſt vires naturæ non omninò proſternere & quaſi extinguere.

At verò in ipsâ etiam morbi acutè ſævientis violentiâ, non ſemper innoxia erit venæ ſectio. Si enim, ut fit aliquando, in venenatis morbis, ſub inæquali erethiſmo & quaſi momentaneo, dùm omnia in furias ignemque ruere videntur, lateat vera debilitas, à putredinis afflatu nata, nullaque naturæ fiducia habenda ſit quam victrix opprimit cauſa, quantum nocebit quod naturæ ſupereſt virium debilitare, & inertiâ inductâ eam relaxare potentius, atque deficientis vires proterere. Quod quidem ſæpè accidit, dum una quidem pars phlogoſi laborat, at fatiſcit reliquum corpus debilitate inductâ; tunc enim prudentis medici ſolertiæ reliquendum, an ſatius ſit anceps remedium experiri, quàm ægrum certæ morti relinquere. Nullum certè crimen remordebit conſcia mens rectum quidem non aſſecutis, ſed meditantibus attentè & prudenter expectantibus.

Si in morbis venenatis.

Verum ut à caſibus illis in quibus mors pro Epigeneſi eſt, ad mitiora deferamur, antequàm ſanguinem fundendum ſuadeat

Si naturâ criſim meditante.

medicus, certè ejus erit prudentiæ ex ſignis hariolari, an non natura meditetur criſin, an non etiam certas affectet ſanando ægrotanti vias. Nonne enim, dum naturæ directiones immutat malè conſulta venæ ſectio, dum vires laborantis & penè victricis naturæ affligit, ſperatum eludet illa ſucceſſum, turbatâque naturâ, aut longior, aut ſævior recrudeſcet morbus, &, pro criſi jam arripiendâ, ſurgent metaptoſes vix aut ſaltem imperfectè criticæ, accedent Epigeneſes, coctioni interruptæ ſuccedaneæ: ſcilicet huc illucve feretur materies quæ decumbere jam moliebatur in partes minus momentoſas? Tunc omnia mutata excrementa miſcebuntur ſanguini: hinc icterus, dyſuria, delirium, anhelitus, omniaque novæ periodi percurrendæ ſigna exardeſcunt, in medici opprobrium & ægri faſtidium, ſymptomata. Hinc rectè edixit Hippocrates, judicatoria non judicantia partim lethalia, partim difficilis judicii. In mitioribus enim hiſce caſibus per morbi longitudinem natura ſe à periculo vindicabit, & morâ curæ ſeſe præſtabit à fato inſtanti immunem.

Epigeneſes à venæ ſectione ex loco non convenienti factâ.

Nec verò inutile hic eſt cum antiquioribus ponderare quo ex loco extundendus ſit ſanguis, nec negligendæ ſtatutæ à practicis obſervatoribus revulſionum leges. Non locus erit hic varias phyſiologicè non negligendas revulſionum leges expendere, nec cum Brissoto in explanandis Hippocratis & Græ-

corum ſenſibus ad Arabum doctrinam collatis inſudare: ſed ægros non attentè obſervaverit, quicumque negabit poſſe in partes congeſtas & inflammatione aliquâ latente jam tentatas ſanguinem periculoſè deferri, ſi ſtatim ex proximis vena tundatur, nec ullam eſſe crediderit habendam rationem directionis quæ fit à parte in partem. Venam è ſaphænâ, in capitis affectibus, plus levaminis extuſam afferre quis neget? Eadem ſaphænæ ſectio in uteri affectibus, ſi menſtrua non advocet & ſic ſolvat morbum, Epigeneſes efficiet metuendas, merè hyſtericas. Eadem, in veſicæ urinariæ affectibus, dyſuriam elicuit, ut vidi, ſingultumque ac vomitum in ventriculi læſionibus inflammatoriis. At ubi jam malum deferbuit, vaſaque minùs plenitudine laborant, quouſque fugiendum in morbo crudo & recenti auxilium, poſſit poſteà conferre, noſtri non eſt inſtituti hìc proſequi; quippe argumento quod nihil ad Epigeneſeon doctrinam conferat.

At certè pejora multoque metuenda magis mala impendent ab omiſsâ inconſultò venæ ſectione. Nam quod artis auxilium, regendo atque minuendo erethiſmo aptum, rupturam vaſorum præcavet, phlogoſin tollit, organorum immeabilitatem prævertit, ſecretiones revocat, ſtricturam fibrarum arctantem atque comprimentem omnia laxat & compeſcit, ut inde & humorum coctio & criſis abſolvi

Epigeneſes ab omiſsâ venæ ſectione.

queat, ſi omittatur, proh! quantùm miſeros manet infortunium. Arctantur & ſtringuntur omnia, caloreque exuſta concreſcunt, vaſa coaleſcunt, polypoſæ in majoribus cavitatibus maſſæ congeruntur; partium molliorum & quæ preſſioni vaſorum obnoxiæ ſunt compreſſio vires opprimit. Prætereà nulla eſt pars, cujus tonus, à violentis motibus diſtractus, infringi non poſſit atque in atoniam inertem abire. Hinc notatur illos prætermodùm debiles eſſe qui à morbis inflammatoriis ſine venæ ſectionis auxilio reconvaleſcunt. Ab hiſce porrò cauſis Epigeneſes multæ, obſtructionum ſeges ampla, melancholia, nephritides, calculorum generatio, ne de Metatopſibus loquamur quæ hic minimum certè locum non occupant. Præclarè à naturâ cum hæmophobis actum eſt, ſi ſurgant hæmorrhoïdes turgeſcantque ac fluant, ſi narium emicet hæmorrhagia, ſi menſtrua alienis temporibus mulieres liberent. Nam certè nunquam ſibi innòxiè novas cudit vias ſanguis: quippè ſi in parte cujus integritas ſervanda eſt rumpitur vas aliquod, fractum vas cicatrice arctiori obductum naturales vias arctat, plethoramque parti arctatæ propriam inducit, ſemperque præſens renovat redituri mali periculum. Sic iis qui, juniores, è naribus plures ſubierunt hæmorrhagias, dolores capitis frequentes adultioribus emicant. Cedunt ii hæmorrhoïdibus ſeniorum, quas excipiunt aut

morbi arthritici, aut cutanea depuratio ad usque decrepitam ætatem perdurans.

Ex his observatis satis intelligitur quantùm sæpè venæ sectionem tardare malum sit, in quâ quidem operatione perficiendâ ingens idiosynchrasiæ peculiaris ponderatio habenda. Nec tamen negandum est posse etiam imprudenter eam multiplicari; sic enim laxationis nimiæ periculum inducitur, imò &, ut in laxatis vasis plethoræ elementa facile accumulantur, uberiusque adeps in his per textum cellularem elabitur, Epigenesis est incautæ & multiplicatæ venæ sectionis tarditas, laxitas, obesitas. Undè certiùs & meliùs, ad mentem medicorum antiquorum vincitur plethora, sive juvenum illa sit, sive eorum qui lautè & opiparè vivunt in molli cæteroquin otio ab exercitiis vacuo, per usum sobrietatis vitæque tùm strictioris, tùm simul exercitatæ; modò huic vitæ, ad sublevandam atque destruendam plethoram, præluserit, tempestate præsertim fervente, venæ sectio non illicò per epulas lautiores reparanda, sed moderatâ rerum replentium eliminatione prosequenda.

Quascumque verò Epigeneses in morbis ab imprudenti venæ sectionis administratione fas est pertimescere, eas à purgantium abusu pendentes reperire non rarum, quem adeò reformidabat HIPPOCRATES & vetustissimus libri DE VERATRO author, ut circà ipso- Epigeneses à purgantibus.

rum uſum ſapientia & pluries repetita præcepta poſuerit. Catharſis enim non ex naturæ præceptis auſpicata, de viribus eo magis detrahit, quòd liquidiora quæcumque, quæ coctioni materiæ mortificæ vehiculum ſuppeditarent, extrà corpus rapit; quod ſalutares naturæ nixus aut antevertit aût diſturbat; quod etiam poteſt tumultuoſum erethiſmum per longam inteſtinorum ſeriem concitare; ità ut ordo naturæ, in unum conſpirans finem, locum jam habere non poſſit, atque, divisâ materiæ morbificæ actione, & virium reſiſtentiis partitis, duæ in corpore intentiones reperiantur, & ſic cruditas, eaque inflammatoria invaleſcat.

A vomitoriis. Quod autem hic de catharticis proferimus cum antiquis præceptoribus noſtris, de vomitoriis intelligere fas eſt, quæ quantùm crudo adhuc præſertimque ad Hippocratis mentem turgeſcente morbo prodeſſe per experientiam cognitum eſt, tantùm etiam nocere debent, quoties aut ſtringuntur erethiſmo ariditatem indè nacta organa, aut alias ſuſcipiendas affectat vias natura, ut ſatis intellectum confidimus. Hinc ægris à morbo etiam reſurgentibus, atque, ut apparet, ſanatis, tot reconvaleſcentiæ fallaces, tot impendent Epigeneſes. Imò ſæpè, illatâ in ventriculum materiâ, ſingultus, vomitus in habitum ducti, febres Lipyriæ, aut ſaltem poſteà acciſus ventriculi tonus, & ad

actionem debilitas inducta, de quâ tot ægroti præsertim arthritici queruntur. Quæ quidem nunc metaptoseon nomine designantur, nunc pro Epigenesibus haberi debent. Nec solum arthritici querelas illas repetunt, sed etiam alii morbis à ventriculo dissitis laborantes. Undè semper ex arte medicorum prudentium erit hisce methodis imperitare. Præter enim omnia jam prædicta Epigeneseon genera, aliud nobis offeretur à purgantibus & emeticis incommodum ab HIPPOCRATE prævisum, dum ait; *alvi densitas, cutis raritas.* Nam, demonstrante per experimenta effatum illud Hippocraticum illustri SANCTORIO, mirum est quantùm alvus à cute divertat, unde ubi diarrhœa per artem præposteram contracta est, vix ulla jam per externam cutim arescentem sibi promitti potest depuratio. Porrò frequentissima hæc est de causis Epigeneses efficientibus & quidem durabiles. Si quidem quantumvis in corpore humano ex evacuationibus altera alteri supplere videatur, tamen, ubi, præ defectu liquidi secernendi, elanguit aliquod organum, formam mutant ejus vasa nec habilitatem servant ad legitimas efficiendas secretiones. Prætereà si, multiplicato mechanismo, conspirantibusque viribus, ea sit naturæ actuosæ intentio, ut per omnes simul vias excretorias abigi & expelli morbi materies debeat ritè præparata, an secure poterit ars unam sibi assumere & præ-

tollere viam humoris excernendi ? An non ſupererit aliqua pars ad reliqua organa apta minùs, quæ cacochymiam in vaſis efficiat, lentam forſan, ſed veræ Epigeneſeos titulo renovandam ? Undè obſtructiones, coctionis læſio; jureque, nec uno titulo, de nimiùm frequenti catharſeon uſu pronuntiavit CELSUS, aſſueſcere ab hoc uſu non ali corpus; ſublatâ ſcilicet nutritionis materiâ, & peſſumdatis ejus inſtrumentis. Undè ſæpè, ab hoc imprudenti abuſu, cachexia, atque ſcorbuto affinis acida partis oſſeæ debilitas, artem hanc ſine arte ſecuta ſunt, nullaque poſt aliam vacuationem tam ſubita, difficile reparanda infirmitas ægros invadit, ut omnium omnis ævi medicorum obſervatio non refellenda demonſtravit. Fatere tamen rationalis experientia coegit, omnibus hiſce malis inferendis nocivam magis eſſe longam catharticorum efficaciam, quam tumultuoſam vomitoriorum actionem.

Ab aliis evacuantibus.

Quod autem hìc de præcipuis hiſce medicamentis aſſerimus de aliis quibuſcumque vacuantibus pronuntiare pariter fas eſt. Id quidem eò magis notandum eſt, quod incautus eorum uſus etiam alia ſecum afferat incommoda : nullum enim datur ex his claſſibus medicamentum, cujus effectus ad vacuationem certus ſit, aut omninò penes noſtrum arbitrium. Licet enim illa ementito ſudoriferorum aut diureticorum titulo ſuper-

biant, sæpè ab illo decidunt, scopum non attingentia, & tunc inanem sanguini impetum impertiunt. Sic ea, dùm non usurpantur legitimè, si effectum speratum non elicuerint, corpus salutifero defraudant rore, illud exsiccant, bili lymphæque resinosam, vix aliis remiscendam humoribus indolem conciliant. Hinc ab iis orta sæpè sitis inextincta, ariditas, melancholia, cæteræque vel pessimæ Epigeneses, quarum forma varias à corporis constitutione diversitates mutuatur. Has certè debilitas propria & peculiaris partium sibi aliquandò, ut sæpè videre est, assumit, phtisis exoritur, suppurationis fœtus; ejusque eo magis immedicabilis est effectus, quò in corpore exsiccato & arenti magis invalescit causa mali.

Epigeneses à quorumdam medicamentorum in varias partes singulari actione.

Prætereà sua cuique medicamento competit efficacia, quâ plus in partes aliquas agit quam in alias. Nonne satis cognita est cantharidum in vesicam actio, quam pessimâ Epigenesi exulceravit sæpè, cui sæpè phlogosin intulit illius infecti morsus per universum vitæ spatium duraturam. Nonne satis cognita est mercurii in buccas & genas explosio? Quod certè princeps medicamentum ad Epigeneses formidolosas efficiendas cæteris palmam præripit. Nam, ut de actione ejus in genas, in dentes & gingivas, utpote de re compertâ, hìc longiùs non tractemus, id etiam à pluribus visum est, partes ab eo

A cantharidibus.

A mercurio.

convelli, nervis tremorem, etiam bellè perſanatâ lue venereâ, induci, & melancholiam nerveam, quam vix poſteà certâ methodo poſſis expungere. At ab illius uſu, etiam per frictiones & inunctionem introducti, maculas inuri luridas, nullâ arte delendas vidi. Ab ejuſdem uſu interno, præcipuèque ſublimati corroſivi abuſu, phlogoſes in inteſtina delatas, corporique maciem vidi inductam, quas vix diluentium multiplicatorum & gummoſorum mitiorum, partibuſque leni mucagine obducendis aptorum, uſus potuit eluere & ſuperare. At quocumque modo admiſſum metallicum illud medicamentum methodo indiget ſapienti & oculati Medici præſentiâ, quæ cùm ſæpe deſit, non mirum eſt quantùm inter pauperioris fortunæ homines mala ab illo nata reperiantur. Quæ certè omnia titulum Epigeneſeon ſibi jure vindicant. Nec diureticum eſt ullum, nec ſudoriferum, quod non ſua ſibi propria minetur inferre incommoda. Quippe nulla in ſubſtantiâ quâvis corporis actioni concitandæ facultas apta concipi poteſt, quin ſuâ ipſamet proprietate nociva & venenata poſſit evadere. Virium enim exercitium dùm divertit, robur ipſum debilitat; nec ullum corpus medicamenti ſalutaris nomine abſolutè donari poteſt, quin adſit in ipſo exceſſus morbo contrarius; alioquin morbus novus veteri additur, complicaturque

Ab omni actuosâ ſubſtantiâ.

naturæ actio, unde novorum excrementorum proventus, novaque Epigeneseon generatio. Quòd quidem si in vacuantibus apertè & evidenter fiat, non minùs manifestò eveniet in quorumcumque alterantium & sanguinem depurantium actione; quorum quidem effectus, dùm sanguinem immutat, ejusque principiis dotes novas afflat, veteres expellere & vacuare debet, licet forsan cum vacuatione per sensus non observabili; qui effectus, licet sensus effugiat, attentos tamen non fallit, ut non refellendis observationibus multòties in actis Bononiensibus demonstratum est. Nam omnis sanguinis mutatio excrementorum generatio est. Et certè, si prima omnium alterantium medicaminum balnea spectes, si frigida ea corpori applicentur, à frigore crispante in calorem ardentem corpus transit, fitque perspiratio primùm cohibita, posteà ingenti impetu exundans. At in debili & ægro corpore quot tusses, quot anhelitus affectus illi accersent? imò ipsam asphyxiam, aut demùm apoplexiam, ut vidi, pro Epigenesi sibi vindicabunt. Nec verò tepida, comprimentia corporis superficiem, posteà verò humores ad cutem evocantia, eo carent periculo. A laxatione immodicâ corporum debiliorum aliquandò icterum subitum à balneis, imò & in balneis natum vidimus. Qui quidem effectus eò insigniores in morbis erunt, quò pars aliqua debilitata recipiendis hisce humoribus

Ab alterantibus.

A balneis.

magis habilis evadet. Verum eſt ergò quòd quantùm in laxatione inducendâ prodeſt balneum, tantùm, in illâ ſemel à causâ quâcumque inductâ & partem morbi efficiente, nocebit, ſi præſertim morboſæ laxitati atque inertiæ addatur propenſæ in laxitatem atque debilitatem naturæ per anteactam vitam procreata infirmitas. Verùm, ut vulgò Epigeneſes illæ nec diuturnæ ſunt, nec periculoſæ, quippe quæ naſcentis inde nocumenti ſigna citò præſtent nec dubia, nec diſſimulanda, de iis ampliorem injicere mentionem vix operæ pretium eſt.

A depurantibus.

Sed, ſi ad ſanguinem depurantia, ut aiunt, & aperientia nos convertamus, ut ſunt, poſt mercurii temerarium uſum, ſulphurata illa antimonialia; notandum primò ea omnia poſſe quidem doſi mediocri inter alterantia jure nuncupari; at ſi ampliori doſi offerantur, illicò vacuantium virtutes ſibi arrogare. Unde, præter actionem illam quâ principia ſanguinis aliis ornant dotibus, videntur ea aut urinas aut perſpirationem inſenſibilem adaugere; quod de antimonialibus quibuſcumque, ſi ſtateram Sanctorianam obſervator adhibueris, poteris aſſerere. Unde qui iis utuntur remediis ægrotantes, ſedulò monendi ſunt ut ſeſe domi plurimùm contineant, nec aëri frigidulo ſeſe incautè committant: tunc enim, non Epigeneſes ſolùm, ſed & Metaſtaſes in partes deponuntur maximè momentoſas, aut,

Ab antimonialibus.

aut, si benè cum ægro actum sit, sæviunt metaptoses illæ in articulos. At certè hisce remediis qui abusi sunt, norunt quantùm, etiam sine sensili vacuatione, sensim corpus emacietur: imò applicatio materiæ nutritiæ tractu temporis impossibilis evadit. Nec certè aliâ ratione nervis insidias struunt illa, tremoremque accersunt. Nec loquar hîc de pluribus aliis medicamentis, quæ sagax recentiorum sedulitas in usum advocavit, napello, hyoscyamo in extractum redactis, quorum effectus nocuos & nervis convulsionem inducentes, non adeò facilè delendos, vidi. Nec cicuta ipsa aliquandò suo effectu narcotico mihi defraudata apparuit, quanquàm rariùs nec adeò evidenter: scilicet stuporem ab ipsâ cruribus inductum in eâdem fœminâ pluries observavi.

A napello hyoscyamo cicutâ.

At inter aperientia medicamenta sic propriè dicta & ad solvendas obstructiones nata, illa quæ salina urinas aliquandò movent, tussi excitandæ propria sunt, fibrasque crispant, nec ipso excepto summè refrigerante nitro. Hoc, quoties thorax irritatione laborat, vitandum docet observatio; & quæ ad urinas concitandas nata est substantia, si vellicet & irritet, ipsas cohibere visa est. Quid hîc de aliis agamus medicamentis salinis, quæ, etsi diversâ facultate gaudeant, id universale piaculum habent, quòd possint fibras vellicare & erethismum adaugere, quanquàm eæ Epigeneses minùs periculosæ

A salinis:

ſint quàm vulgò creditur, quandoquidem quodcumque ſalinum eſt aquâ eluitur, niſi tamen partibus jungatur oleoſis, & ſic in naturam abeat nunc reſinæ nunc ſaponi propiorem. Reſinæ quidem, quas purgantes eſſe difficilè credideris, antequam bile diluantur atque ſolvantur, primas præcipuaſque Epigeneſes in inteſtinis efficere poſſunt atque concitare. Poſteà verò, ſolutæ & in humorum conſortium admiſſæ, & urinis miſcentur & ſanguini, quem actuoſum reddunt, irritationeque ſolida afficiunt fixiori atque tenaciori; tandem motu & attenuatione volatilem naturam induere poſſunt, amotis & in excrementa converſis partibus fixioribus: & tunc ex earum actione ardor atque calor augentur. Quæ verò ſaponaceâ virtute donatæ ſubſtantiæ citiùs humoribus commiſcentur, eæ ſæpe uſu longo diarrhœas invehunt corpuſque exſolvunt, ſed lentè & parcè, interque maximè ſalutifera medicamina ideò recenſentur, quòd nihil violenti exerant, bilemque ſolvant; quod quidem aliquandò, furente præſertim ſyrio, nimiùm atque immodicum facilè ut plurimùm cohibetur.

A reſinoſis.

A ſaponaceis.

At, quod frequentius eſt, non unicâ facultate prædita ſunt quæ nobis offert natura in ſalutares uſus medicamina, aut ejus imitatrix ars. Sic ſæpe jungitur ſalutari ſaponaceæ virtuti ſal volatile exuperans oleoſam partem. Illud, acidum modo aut aceſcens ſaltem, olei

Epigeneſes à facultatibus medicamentorum compoſitis.

benignioris acuit facultates; undè variæ Epigeneſes oriri poſſunt. Ita puellis amatus acidorum ſtimulus accerſivit chloroſim, cicuratâ quidem bile, nutritione verò labefactatâ, undè, præſenti ſemper ſtimulo, phthiſeos nec opinantibus non ſemel emicuit periculum. Aliàs, alkalicis ſaponaceorum olea ſuperantibus, concreſcendi facultas etiam uniendis partibus adimitur, vetaturque coalitio nutritioni neceſſaria. Verùm cùm Epigeneſes & complicationes morborum inde naſcendæ, ab eorum effectibus ſatis intelligantur, liceat iis tantùm animum advertere medicamentis quæ dolorem ſedant, aut nimiam laxant irritationem fibrarum. Opium enim, potentiſſimum ex illis, cum narcoticâ virtute ſpaſmodicam conjunctam habet facultatem, & dùm ſenſum doloris deſtruit, ſæpe irritationem latentem exſuſcitat admodùm; unde, inter Epigeneſes ab eo reſiduas, tremor & nervorum convulſio in habitum trahuntur. At dùm agentes naturæ vires opprimit opium, dùm ejus determinationes turbat, dùm materiam ad caput defert, dùm criſi potiùſquàm coctioni nectit impedimenta, quantùm porrò periculi infert? Quod viribus detrahitur, morbo additur, & fit ſtagnatio liquidi in partes maximè momentoſas, caput, thoracem & ventriculum.

Epigeneſes ab opio & narcoticis.

Specifica inter pharmaca locum ſibi jure vindicat cortex peruvianus. Alterantibus certè mdicamentis omnibus palmam forſan præri-

Ab uſu kinæ.

pit; amarum, tonicum, ſtringens, aliquandò tono addito vacuare viſus eſt. Incautè tamen, vel in ipſis febribus intermittentibus, quas meditabatur natura criſes tardavit & ſuſtulit, deletoque febrili naturæ certamine, obſtructiones intulit, vix niſi per redivivam febrem debellandas. Doloribus ab ejus uſu vexati fuere longis articuli. Ventriculi anxietates, dolores, phlogoſes vexavere. Imò & cauſæ omnes febre vetuſtiores, quas ipſa, ad antiquorum mentem, febris è corpore depuliſſet, efferantur, naſcunturque morbi prioribus ferociores. Imò aliquandò, febre ſublatâ, dolorum periodus remanſit, ſed illa nec ſatis ordinata, nec ſatis efficax.

Epigeneſes à diluentibus & demulcentibus.

At nulla pars adeò diuturnis & benè cognitis inertiæ acquiſitæ noxis laborat atque ventriculus, ſi ſuaſerit, imò juſſerit erethiſmus, oleoſorum, emulſivorum, laxantium, diluentium uſu ejus tunicas diluvio proluere. Dediſcit enim mox neceſſariam coctioni tenſionem concipere, ſæpeque remanet ejus per totum vitæ curriculum, conquiſita infirmitas. Defuncti enim morbis inflammatoriis, & jam ab iis reconvaleſcentes, quantùm laborant ventriculi imbecillitate! quàm ſæpe nova, nec morbo propria concitavit ſymptomata oleoſorum per expreſſionem uſus. Vomitum, ſingultum accerſere viſum eſt oleum illud amygdalarum dulcium mitiſſimum: viſum eſt & icterum inferre. Nec eo crimine inſontia re-

perta ſunt emulſa quæcumque aut gummeo-mucilaginoſa; quanquàm Epigeneſes illas, ceſſante remedio, vulgò ceſſare notatum ſit. At certè incommodum gravius exſtat, quoties non ita ſeverum regimen ſinit morbus, qui non eſt ex acutorum genere; coctionem enim præſentem præpediunt illa medicamenta, lienteriamque aliquandò attulere aut diarrhœam, à quâ cavendum fuerat maximè.

Articulus Secundus.

De cauſis aliis externis Epigeneſes inducentibus.

Rerum non naturalium in morbos influxus.

INTER cauſas à quibus noſtra mutantur corpora, ſubſtantiæ illæ quæ iſtud undique ita circumdant ut iis carere nequeat, & quæ, licet ejus naturam non conſtituant, ita tamen ejus ſubeunt penetralia, ut in ipſam vertantur ejus ſubſtantiam, RES NON NATURALES à Medicis dictæ ſunt. Ipſe quidem earum perpetuus uſus ſatis intelligendum ſinit, quantùm ad accerſendas & concitandas in morbis Epigeneſes conferre valeant. Quippe quæ ad ſanitatem ſervandam & ad morbos faciendos plurimi ſunt momenti cauſæ, eæ etiam, eâdem ratione, Epigeneſes & complicationes morborum producere poſſunt. Variabilis ſci-

licet harum impreſſio proprietatibus nativis & neceſſariis multas aliunde accerſitas addit, quæ, in ſtatum præſentem ægrotantis corporis agunt, & aut malè, aut ſalubriter directæ, nunc malum augent, nunc contrà ſanationi conferunt, dùm indolem novam tùm malo, tùm corpori ægrotanti conciliant. Sic eadem febris epidemica, primævam ſervans naturam, pro temporum varietate, diverſitates ſibi aſſumit, nunc Metaptoſeon naturam ſibi vindicantes, nunc Epigeneſis titulum tantùm adeptas. Sic eadem febris putrida pleuritidem vere efferveſcente mentitur, autumno dyſenteriæ ſeſe adjunget & ſub ejus formâ deſæviet. Imò ſæpe, per tempeſtates certas, jam & effectu prædominante inſignes, quales ſunt & hiems & æſtas, conticeſcet omninò morbus epidemicè in populos ſæviens, recrudeſcens vere & autumno, &, mutato tantùm typo, indolem eamdem eaſdemque medicanti indicationes offeret, ut SYDENHAMUS obſervavit, & veteres Athenienſes teſte Thucydide conſtanter viderant.

Influxus atmoſphæræ.

Quæ quidem obſervata nos quaſi manu ducunt ad eas propiùs enarrandas Epigeneſes quæ ab atmoſphæræ actuoſitate pendent. Liceat hîc benè à Phyſicis cognita & vulgata circà aëris proprietates phænomena præterire; pondus, elaterium, partes contentas probata ſupponere. At certè & prima eſt, & ſenſus maximè percellens, & illis notam inurens proprietas,

imò & alias in excitandis Epigenesibus præcellens, cùm etiam plures evidenter morbos concitet, calor & frigus; quantùm enim atmosphæram immutet utrumque, quantas corpori varietates inferat, norunt vel infantes ipsi, sentit vel ipsa brutorum animantium ferocia, nec ad id probandum quod sensu experimur verbis opus est.

Hinc cum antiquioribus artis Magistris, in id consentientibus, jure pronuntiabimus hiemales morbos æstivis esse diuturniores. Tardantur enim à frigoris actione perpetuâ actiones omnes. Hinc per hiemem lentior fit coctio diuturnitate morbi compensanda, crisisque expectatur magis imperfecta. Nativo quippe, quem morbus intulit, erethismo additur quædam vasorum crispatio; imò & partium in fluidis actuosarum minor fit inter se reactio. Hinc minùs & tardiùs è glandularum latebris atomi morbificæ evolvuntur, imò & sæpe per hiemis frigus morbi pestiferi & contagiosi sopiuntur, per vernam temperiem aliquandò redivivi, ut vetustissimi de peste Authores observavere, nec excepto ipso recentiori SYDENHAMO. Conticuit fermentum illud quasi desinente actuositate, quam restituit atmospheræ redivivus calor, impetum novum addens, & quasi novam humoribus actuosam solubilitatem. Hinc tot, erumpente vere, erysipelata, quorum silentium perfidum pro absolutâ curatione & pace perfectâ habitum

Frigoris & hiemis actio.

fuerat. Idem dictum esto de pustulis, herpetibus, aliisque morbis cutaneis. Nam, in omnibus corporis partibus, nulla magis cute omnibus his impressionibus patet, quæ & textûs cellularis subjecti piacula luit, & per patentia vasorum ostia momentosæ persspirationi, maximè variabili humori, præbet exitum. At etiam efflorescente vere, eâdem de causâ catarrhis omnibus inflammatorius fervor additur, quæ Epigenesis, languentibus antea viribus semel addita, crisim facit & pleniorem & faciliorem.

Caloris, æstatis, & non renovati aëris actio.

Contraria omninò à calore esse expectanda ratio declarat. Unde, ut in frigore minùs morbis obnoxii sumus, sed ab iis difficilius resurgimus, ità in æstatis fervore minùs alacres & valentes sumus, atque patentes magis morborum insultibus, sed ab iis faciliùs convalescimus, notante sic HIPPOCRATE. Nec certè minorem Epigeneseon copiam mutuamur ab æstuantis & rarefactæ sive per artem, sive solius naturæ ope atmosphæræ vitiis. Siquidem renovandum atque reparandum esse aerem, calore consumi, & nostris ineptum usibus fieri compertum est, nisi aut renovetur aut reparetur. Ab hâc solâ causâ ortas in variolis nigricantes pustulas vidisse me si dixerim, nil protuterim novi: sed eas solius admissi aëris beneficio paucis horis sublatas vidi. Quin etiam ab eâdem causâ ortas convulsiones in hoc morbo, inductas anxietates,

concitatos vomitus viderunt omnes; quæ frigidioris aëris beneficio ſanata ſunt. Illud etiam petechiis accidiſſe obſervatum ſæpiùs; nec mirum, ſcilicet aëris pondus, elaterium, variæque aëris proprietates à nuperis prolatæ, & chimiæ ſubtilioris ope demonſtratæ ad uſque geometricæ veritatis normam, in atmoſphærâ vietâ atque effœtâ deſtruuntur. Adduntur atomi venenatæ & vitæ uſibus ineptæ; unde & reſpirationi & aliis remotioribus vitalibus actionibus aër impar evadit. Si mortem in tali caſu promptam effugeris, qualem mephitides inferunt, naſcetur putridæ febris nova forma, fatiſcentium virium comes & citâ putredine partes ita colliquans atque corrumpens, ut ejus indoles vel in ipſo deprehendatur cadavere. Quid ſi in morbis jam ad aliquam putredinem inclinantibus, atomus talis naſcatur, terrificæ Epigeneſes expectandæ ſunt; imò mors ipſa pro Epigeneſi erit. Tales ſunt febres quæ à carceribus ſqualidis, putridis, aëre non renovato infamibus naſcuntur; ut in famoſo illo exemplo Oxoniano legimus, à productis incautè in publicum reis, natas & per populos diſſeminatas, ſolo miteſcendas atque ſopiendas aëris frigore, febres putridas peſſimas. At hæc omnia ſat vulgata. Hinc aëre fervente tot puſtulæ, etiam in febribus & poſt febres per ſe non eruptivas, naſcuntur, ægrique ab aëris clementiori influxu ſpem ſibi non fallacem jure ſpondent.

Incautiùs renovati aëris incommoda.

Nec verò ipſa aëris renovatio cautelarum expers eſſe debet. Repercuſſus ab incautâ aëris admiſſione perſpirationis impetus plus Metaptoſeon intulit quàm Epigeneſeon. Aprici atque roſcidi aëris jucunda impreſſio quàm ſæpe jam convaleſcentes, victo & ſuperato, ſed necdùm exacto morbo, in recidivam præcipites egit? At ubi res mitiùs exigitur tùm nares implentur alacritas perit, catarrhodes naſcitur diatheſis, quæ, ob virium languorem, vix coqui poteſt & in habitum tranſit. Inde cachexia, longi articulorum dolores, imò, in infantibus, anchyloſes & iſchiades funeſtæ, in malam ſuppurationem degeneres, & ſcorbuticæ erupere. Imò ab imprudenti aëris uſu ante & poſt morbum inflammatorium hydrocephalum natum vidi. Adeò verum eſt effatum illud Hippocraticum; quo tempore calor & frigus ſeſe ſubitâ mutatione excipiunt; morbos autumnales oportet expectare.

A vento eryſipelas.

At nihil in hâc ſubitâ mutatione, vento ſimul ferociùs aſpirante, adeò commune eſt, ob ſuppreſſam perſpirationem, quàm eryſipelatum generatio, quæ, à facie & vultu exordium aſſumentia, in partes varias huc & illuc feruntur, in ipsâ ſuâ fugacitate conſtantiam mali & difficultatem omnimodæ ſanationis prænuntiantia. Partes omnes eryſipelate ab unâ in alteram depoſito, ſucceſſivè laborare vidi, nec ſine febris ſemper redivivæ

æquali recrudeſcentiâ, licet uniuſcujuſque finem ſpopondiſſent urinæ coctæ & albæ, quæ febris remiſſionem quâque vice comitabantur. Id malum aliquandò, ſi juniores adoriatur, in rheumatiſmum inflammatorium faceſſit, ſemper quippe in his omnibus malis perſpiratio elangueſcit.

Non neceſſariam quidem, ſed vix facilè devitandam Epigeneſeon in morbis & poſt morbos originem præbent cibaria, quæ corpori ægrotanti incautè ingeruntur. Sed quid theoriæ addamus Hippocraticæ? In quâ materies alimentorum onus eſt corporis viribus impoſitum, quod ipſis proportionale ſit oportet, ita ut ſine tumultu, ſine labore, imò ſine evidenti ſenſu concoquatur, & in propriam, ſemotis excrementis, vertatur ſubſtantiam. Hinc, viribus in aliud onus occupatis atque inſudantibus, materia illa extranea ſupervenïens immutanda, vires ab opere diſtrahit & ita avocat, ut neutri jam labori vacare oppreſſæ poſſint. Aliunde quæ violento motu rapiuntur vires, & ad magnas jam accommodantur reſiſtentias evincendas, pacatum illum effectum, ſedatamque humorum diſtributionem efficere in tanto tumultu nequeunt; unde nova laboris ſpecies novaque morbi forma naſci debet. Hinc jure extremis laboribus morboſis, extremam diætæ ſeveritatem commendabat HIPPOCRATES noſter, eamque ſemper virium occupationi proportionalem edixit.

Epigeneſes à cibis.

A diætâ lautiori.

Ab inediâ nimiâ.

Si enim etiam inediâ nimiâ peccet æger, illa vitæ ſeveritas ſua habet pericula : vires labaſcunt, acredo nova in humoribus naſcitur, fatiſcit ventriculus, feriantur & in ſe ipſas reagunt inteſtinorum actuoſæ fibræ, ſtagnat nec propellitur acrior bilis. Coctio quidem materiæ morbificæ, novis defraudata accedentibus principiis, nec denſitatem ſibi propriam nanciſcitur, nec inquilinas acquirit proprietates, nec excretiones atque purgamenta legitima elicit. Hinc morbus ipſe & diuturnior fit, & incertam ſortem habere debet. Præterea verò quæ inde naſcitur debilitas non facilè, imò nullâ ratione reparanda eſt : ſiquidem vires imbelles per naturæ actionem ſolam inſtaurantur, hinc languor ab hâc causâ natus, omnes Epigeneſes infert de quibus jam alibi actum eſt. Siquidem arti plerumque licet è corpore detrahere ; addere ſolius eſt naturæ. Unde effatum illud Hippocraticum à BOERHAAVIO renovatum intelligitur, plura & graviora eſſe peccata quæ ab inediâ pendent, quàm ea quæ à paulò pleniori victûs ratione metuenda ſunt. Nec tamen inde ingluviem à ſummis viris prædicari intelligas ; nam innumera ſunt incauti & plenioris regiminis incommoda, ad multiformes in morbis Epigeneſes faciendas accommodata.

A diætâ negligentiori in acutis.

Stata ſunt & experientiâ uniformi comprobata quæ ab HIPPOCRATE de diætâ in morbis acutis obſervanda propoſita ſunt. Ipſa ea

comprobat naturæ ratio, ingenti cum plerosque premit ægros cibi fastidio. Nullum intùs, febre vigente, solidum alimentum ingeritur, quod non, dùm pondus insolitum ventriculo affert, molestiam, anxietatem, singultum, vomitum efficiat; aut, si in juniore ætate præter naturæ normam fuerit admissum, brevi omnia in pejus ruere videbuntur, febris excandescere, urinæ crudescere, intestina aut indurari aut motibus inconditis rapi, caput & nares oppleri: quod quidem, ut omni febri commune est, ita etiam silente illâ observatur in omnibus magnis naturæ motibus, nisi tamen sui jam maximam operis partem natura exegerit; id in suppurantibus variolis quotidianâ imprudentiâ experiuntur rustici, aut in vulneribus, & morbis cutaneis Chirurgi deprehendunt. Quod etiam ad catarrhales omnes morbos pertinet, in quibus coctionis inchoatæ locum occupat cruditas, dolore, narium obstipatione, frigore sese manifestam ferens, admisso pleniori cibo. Prætereà summa inest differentia an vigente, an declinante morbo cibum obtuleris: an solidum, quod hoc tempore nec ventriculus occupare potest, nec liquores inquilini imbuere, sed quod ab ipsis contrà morbosum virus imbibat; an liquidum, quod jam naturæ congruum sit atque consonum, morbosoque fermento prorsùs oppositum Unde certè ab istis maturè pensitatis atque ponderatis constat dog-

matum Hippocraticorum veritas; quibus ſi defueris, anxietates, nauſeas, vomitus ante omnia ægrum pati neceſſe eſt. At ſtomacho ita oppreſſo nulla eſt pars quæ non condoleat. Caput, facies, oculi, thorax ſua quæque experiuntur ſymptomata; unde complicatio morborum oritur, tardatur coctio, aut novum virus ab indigeſtâ iſtâ mole enaſcitur. Mox diarrhœæ, dyſenteriæ, lienteriæ morbo aut ſuccedent aut ſe comites addent; quibus obſtructio, infarctus univerſalis & demùm hydrops finem peſſimum afferent, aut tabeſcentia. Quippe ab iſtâ crudâ mole nedùm alatur corpus, contrà deſtruitur & diſperit. Quod quotidie, viris craſſis, ruſticis, & ab omni Minervâ alienis familiare, morbos ferè ſanatos adeò periculoſos reddit. Omnia ergò mala quæ ab ingluvie pendent ad debilitatem ſeriùs ocyùſve referuntur. Et fruſtrà tibi, ut plures quidam Medici, finem morbi ſpoponderis ab iteratis purgantibus, quæ tantùm vulgo viribus quantùm ipſi malo detrahunt, niſi uſum ipſorum ars ſagacior indicaverit.

Epigeneſes à malâ alimentorùm qualitate.

Sed plura etiam alia mala ab alimentis inopportunè ingeſtis pendere perſpicuum eſt, ſi malè morata aliunde fuerint, ut acria, ſalita, aromatica, quæ ardorem jam furentem exſuſcitent & exacuant; aut glutinoſa quæ contrà bilis effluxui exitum præpediant, & ejus eludant efficaciam. Imò cùm ſpontanea alimentorum

Præcipuè glutinosâ.

non concoquendorum converſio fiat in gluten illud craſſius, atque, ut GALENI verbis utar, in materiem ſemi-coctam, quid mirum ſi, conquerentibus obſervatoribus, harum quiſquiliarum effectus vulgatior, ſit novorum paroxyſmorum formatio; qui quidem paroxyſmi duratione atque vehementiâ cauſæ illi indigeſtæ correſpondent, & vulgò ſudoribus excipiuntur inutilibus. Unde toties ſapientes Medici coguntur, causâ hâc evidente & quaſi turgeſcente, ventriculum inauſpicatè vomitu concutere. Hâc enim ſolâ methodo finem iſti tumultui imponi obſervatio demonſtravit. Legantur hîc atque perpendantur ſalutares circà perverſi regiminis pericula, & naſcentes inde Epigeneſes, immortales Hippocratis ſententiæ. At certè ſtrictior diæta, poſt evacuatas haſce quiſquilias, ſolum eſt medicinæ genus cui fiduciam addere debeamus. Eâ enim fit ut vires poſſint nova amplecti alimenta, pauca primùm, poſteà moderatiora, donec per eorum effectum ſalutarem vires reſarcitæ corpus ad vigorem priſtinum reſtituant.

Somno quidem & vigiliis, quæ non ultima conſtituunt morborum, tùm acutorum, tùm chronicorum ſymptomata, ſuæ ſunt Epigeneſes. Vigiliarum quidem ad ardorem, ariditatem, marcorem referuntur; unde bilis reſiccata ſtagnat & vertitur in melancholiam; & id, notante HIPPOCRATE, vigiliis nimiùm pro- *Epigeneſes à ſomno & vigiliis.*

tractis peculiare est, quòd symptomata capitis, tùm in morbis, tùm post morbos, invehant. Inde debilitas ipsa inducta cum aliquâ melancholiæ formâ conjungitur. At somnus pariter nimius in soporem & mentis imbecillitatem abit, stupidam illam atque inertem. Id porrò utrique proprium est quòd somni habitus soporem invehat, vigiliæ vigilias excitent. Porrò ut sopor in cachexiam & hydropem potest ire degener, ita vigiliæ seriùs ocyùs tabem cum melancholiâ procreant. Verùm fatendum est omnia hæc, in ipsis exorta morbis, ab eorum naturâ pendere, jureque pro symptomate haberi potiùsquàm pro Epigeneseon causâ.

Epigeneses à motu & quiete.

Nec plura nobis dicenda erunt de iis quæ aut à nimio motu pendent Epigenesibus, aut à quiete nimiâ & socordiâ inerti tùm solidorum agentium, tùm fluidorum actionem excipientium. Quippe eæ omnes ad classes de quibus jam actum est referuntur. At in exercitatis atque robustis viris multò difficiliùs exhaustæ vires reparantur: quippe multò magis de tono ipsis proprio dejectæ sunt, & quæ huic corporis conditioni omninò opposita est atonia crudeliùs in eos sævit. Adde quòd sua nocet sæpe ipsis fiducia; unde imprudenti sese ciborum ingluviei facilè committunt. Quid verò evenire debet, si in tali virium dispendio, cùm reparationi soli invigilandum foret, aut à necessitate motus imperatur,

aut ab imprudentiâ ſuadetur ? Certè ad extremum ducta oritur totiûs corporis defatigatio ; unde coctionum languor, artuum inflatio, corporeæ maſſæ imminutio, ſudor, ſitis arida, demùm diarrhœa & tabes. Præterea verò præmatura crudarum materierum introductio dùm ſæpe pruritus immanes intulit, eadem, motu ſimul nimiùm aut diutiùs protracto, morbos incutiet cutaneos. Sæpe maculas luridas ab hâc causâ invectas vidi, & cutem his, præcipuè verſùs faciem, ita fœdatam, ut proximè juraſſes adeſſe ſphaceli periculum. Præterea angor, anxietas, laſſitudo & brevi febris, exceſſum hunc naturæ moderationi prorſùs repugnantem ſequuntur. Nec jàm, ut aiebat olim HIPPOCRATES, quos morbos labor fecit quies ſanat. Quippe motus in hoc caſu nimius vaſa fregit, aut ita tonum eorum proſtravit, ut mechanicæ & durabiles fiant congeſtiones. Præterea omnes nervorum affectus, imbelles præcipuè & tremulos, ab hâc causâ pendere quis non vidit ? Imò etiam in nondùm adultis, & præſertim mulieribus, ab hâc causâ diſtorqueri corporis oſſea elementa viſa ſunt. Ita vidi onera dorſo impoſita in juniore milite maturiùs ipſum corpus incurvaſſe, nunquam priſtinam poſituram recepturum. Simile quid etiam à poſituris in lecto, & à quiete in eâdem ſede poſt fracturas & luxationes videre eſt. Nam illud in quo ægri decubuere latus quiete nimiâ minùs agile

redditum eſt, imò & humorum defluxionibus ita obnoxium evaſit, ut articuli ipſi ingentem in molem concreverint. Quid quod ſæpe ſedulitatis defectus & attentionis anchyloſes ibi effecit & contracturas artuum poſteà vix deſtruendas. Illud etiam infortunium arthritidi ſupervenire notum eſt; uno verbo iis omnibus morbis qui ægrum in eodem ſtatu continent atque cohibent.

Epigeneſes à cohibitis vacuationibus.

Frequens eſt Epigeneſeon, ſed pluries recidivarum cauſa, cohibitio quævis vacuationum quarumcumque. Si enim vacuationes illæ criticæ fuerint, ſalutaris morbi eventus ſucceſſu decidit : quod fuerat expellendum & foras detrudendum novam agere perſonam in ſcenâ tragicâ debet : ſic incertus, ſin periculoſus morbi eventus omninò, novuſque morbus expectandus eſt, in naturâ jam fatigatâ atque debilitatâ. Si tantùm depuratorii fuerint humores illi, aut ſolâ vacuationis conſuetudine ſalubriter exierint, novos etiam eventus, pro naturâ repulſi humoris aut partium debilitate augurandos, expectare fas eſt. Etenim, perfecto & abſoluto morbo, qui priùs exibant depuratorio modo humores renovantur, & in reſtitutæ ſanitatis ſignum fluere ut anteà moris erat incipiunt, modò tamen cauſa morbi eos non attigerit. Reditus ille herpetibus communis eſt, ut fluori albo mulierum, nec minùs nocturnis multis ſudationibus familiaris eſt. Porrò idem poteſt eſſe fatum horumce

humorum atque perſpirationis inſenſibilis, quæ ſæpiùs cohibetur, ſæpiùs reſtituitur, verèque depuratorii humoris nomine donari debet. Porrò ſi qui fluere debuerant humores jam non fluunt, tunc mille, & quidem lethales, Epigeneſeon ſpecies formari poſſunt, & formantur reipsâ, niſi adhibitâ accuratâ ſedulitate præcaveantur. Poſſunt inde exurgere febres peſſimæ, malignæ pulmonum inflammationes, dolores colici, & alia hujus proſapiæ mala, quæ pendere poſſunt à retento intùs excrementitio humore. Verùm ſæpe lentiùs ignota atque incognita labes, nunc in infantibus glandulas lymphaticas, præcipuèque meſentericas, oppugnat, unde, abdomine intereà prominente, diarrhœa, &, defectu materiæ nutritiæ phtiſis, partes reliquas occupat; nunc in adultis, hepar & pulmones multò plus patiuntur, à quibus mala ingenerantur chronica. Sed mulieribus ſcena in uterum præcipuè detruditur, fluoreque albo perpetuo miſeræ divexantur; nec antè de fluxu illo ſanando cogitant, quàm malum malo additum graſſetur. Nec jam cohiberi poteſt, quin nova creſcant & appareant ſymptomata quæ ab eodem humore retento fuerant metuenda, ubi ſtagnatione & ſpontaneâ corruptione novam ſibi & magis efferam conquiſivit acrimoniam materies verè excrementitia. Verùm, ſine ullâ acrimoniæ latentis ſuſpicione, ſine ullo morbo, ſæpe hæmorrhagiæ juveniles

Varii humoris repulſi decubitus.

ſuppreſſæ, quæ florentem atque vigentem ætatem comitantur, multas Epigeneſeon formas intulere, hemicranias, dolores capitis, hypochondriorum tumores, ventriculi vitia: quæ omnia, ætate invaleſcente, per ſe tollerentur, auctâ, loco rubræ partis, flavâ illâ biliosâ coloratâ portione. At benè cum ipſis ætas vulgò agit, quæ, loco juvenilium hæmorrhagiarum, hæmorrhoïdibus affligit, nunc ſtato & quaſi menſtruo tempore fluentibus, nunc tantùm apparentibus erraticè.

Epigeneſes ab auctis vacuationibus præſertim ſeminis.

Quid jam hîc pluribus ageremus de Epigeneſibus illis quæ tam vulgò ſeminis excretionem, præſertim ſuadente libidine, violentam, aut alieno tempore inſtitutam ſequuntur. Quippe quæ, dùm vires proſternit atque deſtruit injuſſa vacuatio, nervos ſimul & ſtimulat, & inæqualitate æquilibrii trementes ita plectit, ut hæc inuſta labes per totum ævum remaneat. Sed hæ omnes Epigeneſes plus vitiorum atque libidinoſæ tentiginis ſequelæ ſunt, quàm morbi cujuſvis, & hæc materies graphicâ fidâque deſcriptione atque conſiliis doctis Medici jampridem celeberrimi ſatis exhauſta fuit. Potuit tamen fieri ut aliquandò per cauſas morboſas enata fuerit illa libido, cujus exempla vidimus plura, in quâ nervorum impetus invitum manifeſtè furorem exprimit, & liquido corpus defraudat ſummi pretii. Imò & poſt affectus venereos idem aliquandò contigiſſe omnes fatentur authores.

Quæ ſupereſt malorum origo, ſeu potiùs fons mutationum in corpore inducendarum, pariter etiam natalia præbere debet & Epigeneſibus & Metaptoſibus quibuſcumque. Hæc porrò omnis ab animi pendet affectibus qui ſæpe ſæpiùs ordinem vitæ, etiam ſapienter inſtitutæ, interturbant. Nullus eſt in corpore conſtitutus morbus, cui non noceant affectus illi animi triſtes, qui mœſtitiam & timorem inferunt. Nulla eſt inflammatio cui non novam ſubdat flammam violentus iræ furor. Imò nocet lætitiæ immoderatus ſenſus, omnia concutiens & agitans. Spes ſola, quæ, ut cum BOERHAAVIO loquar, homini ad hanc nato propria eſt, nec viribus attritis metuenda eſt, nec ſpiritibus exaſperatis violenta.

Epigeneſes ab animi affectibus.

Ut autem ſervemus diviſionem illam quæ affectus animi inter ſe partitur, licet ſpaſmus & fibrarum contractio ſub illis omnibus hæreat, alios triſtes & inertes vocabimus, alios violentiâ ſuâ diſtinguemus, alios demùm lætos & actuoſos nuncupabimus. At, ut de poſtremis illis ante alios agamus, quia vulgò ſalutares creduntur, notabimus ante omnia nil violentum in morbis ſalutare dici poſſe. Poſteà verò licet, ex SANCTORII ſtaterâ, in ſtatu ſano videantur perſpirationem adaugere, libertatemque circuitui conciliare, ſi ita ſubiti exoriuntur ut poſſint hominem à malis præſentibus avocare, certè occaſione inductâ naturæ ſtatum immutant, ejus determinatum

Epigeneſes ab immodicâ lætitiâ.

ordinem interrumpunt, & illam, ut ita dicam, à curandi labore diſtrahunt: unde ab hâc causâ hiſtoriæ medicinales natam memorant inſaniam. Imò in puerperis recens à partûs labore defunctis, mors ſubita lætitiam depulit; quæ etiam viſi argenti inſperati præſentiâ, in magni LEIBNITZII ſorore, eam, jam ſub ipsâ fruitione, ſuſtulit, ne in antiquioribus hiſtoriæ monumentis ſimilia quæramus exempla. Sed nullâ aliâ in corporis conditione ferales adeò lætitiæ effectus reperiemus, quàm in variolis & morbillis, in quibus eruptiones aut puſtularum mutationes, illâ alteratione ſubitò interrumpuntur, & aut in caput, quod in hoc animi affectu præcipuè patitur, aut in thoracem, aut in inteſtina refluæ, nunc phrenitide, nunc anhelitu, nunc colicis doloribus lethum attulere. Sed certè magna eſſe debet lætitiæ cauſa, quæ ægros à mali mordacis ideâ præſenti avocat, ideòque rariſſima inveniri & occurrere debet in miſerrimâ humanæ vitæ conditione.

Epigeneſes à violentis affectibus.

At, inter vividos animi affectus, maximè metuenda ira, furor brevis, qui cor ſtringit, vaſa convellit, ventriculum arctat & inteſtina, bilem coërcet in vaſis propriis, & ad caput erumpere cogit ictu violento. Unde in morbis à centro nervorum maximè diſſitis phrenitis ſubita emicat, & apparet ictero aliquandò juncta: ſed ferè ſemper actione cordis interruptâ, ſibi comites adjungit cordis palpitationes,

anhelitus, ventriculi ſubverſionem & vomitum videſcentem. Id ſi vidiſſe me dixerim ingentia in arthriticis pericula intuliſſe, in variolis laborantibus mortem advocaſſe, nil novi dixerim. Notatum verò voluerim, irâ deferveſcente, & caput & bilis meatus præ cæteris partibus affici,& labore conſumi novo & inaudito. Unde & maniæ longævæ ortæ ſunt, & abſceſſus hepatis; imò deliteſcentiæ veneni aliquandò in dyſenterias & fluxus cœliacos abiere, aut glandularum ſcirrhos quaſi protinùs efformatos. Hæc quidem longæva & periculoſa; unde cum ægrotis præclarè à naturâ actum eſt, ſi ab imminentibus periculoſis malis eos liberaverint hæmoptyſis, narium hæmorrhagia, illa peripneumoniæ, hæc phrenitidos vicaria. Non adeò fœliciter aliquandò convulſio in irâ exarſit, febrem tollens; &, ubi ſedatus fuit animi affectus, corporis phyſicâ conditione prorſùs immutatâ, ſucceſſere ſomnolentiæ ſpaſmodicæ & catalepſiæ, ut in actis Academiæ Pariſienſis habetur, quæ quidem, loco febris ad ſalutem compoſitæ, ægrum præcipitem agunt aut ad mortis atria, aut ad nova longi morbi faſtidia.

Epigeneſes à lentis & triſtibus affectibus.

Omnia prorſùs diverſa, imò oppoſita reperies in lentis ſic dicendis animi affectibus, mœrore & timore. Latet in lentis illis animi laboribus ſpaſmus: cor ſimul & vaſa omnia ſtringuntur majora, feriantur ſimul muſculi omnes, & tardatur inde circuitus vix per oſ-

citationes, & ſuſpiria renovandus. Hinc & ipſi nervi quaſi ſtupefacti elanguent, motus vaſorum & ſecretiones omnes devinciuntur: unde inertia, pallor, muſculorum decidentia macilentiam uno ictu inducent. Vix virum tali perculſum malo agnoſceres. Fluxus unus remanet laticis aquei, urinoſi, limpidi, quaſi ex omnibus expreſſi partibus. Tamen hæc omnia convulſivè fieri ſatis arguit, languor ipſe convulſivis motibus atque retractionibus interruptus; hinc metui ſubito & inopinato proprius eſt tremor ille artuum ſæpe non tollendus illicò, imò & balbuties. At illud notare licet tremorem illum, ut & lacrymas quæ animi angores excipiunt, jam moderatam cauſam & è vehementiâ ſuâ decidentem arguere. Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent, ut aiebant antiqui. Nam in vehementi causâ, lacrymarum loco, fundum oculi dolor atrox occupat quem vellent lacrymis redimere, & qui ſæpe in ophtalmias graves & duraturas abiit. Porrò in illâ corporis conditione, quænam coctionis ſpes aut criſeos affulgere poteſt? Quæ non expectanda aut Epigeneſis, aut Metaptoſis? Adeſt quidem languor; adeſt inertis ataxiæ longa impreſſio; adeſt ſtagnatio mortem ipſam, præ ipſo timore cordis actionem interrumpente, minitata: quod ſæpe, periculo incautiùs ægris denunciato, eveniſſe nemo eſt qui non aſſerat. Hinc inter medios tumultus, ſæpe nervoſa imbecillitas oritur, ut & torpor

torpor ferè ſomnolentus. Sed ut actio omnis ad coctionem efficiendam deeſt, deficit etiam erethiſmus ad inflammationem excitandam idoneus, nec ipſa poteſt actio illa incondita atque tumultuoſa legitimum in morem tandem concinnari. Hinc rarò inde metuendus erit purulentus abſceſſus. Stagnatio imos pulmones, ventriculum, ſed præcipuè hepar afficit. Icterus tardus, melancholia, ſcirrhus, hydrops, morbo nec ſanato, nec quandiù ſupererit animi angor, ſanabili, imminent; quibus ſæpe jungitur mania non ferox, ſed ſenili delirio analoga. Quæ quidem omnia mala, causâ etiam ſublatâ, non ideò ceſſant, quia altiùs intruſum mechanicum malum congeſtiones jam ab animæ motibus ſejunctas effecit. Imò hypochondriorum ſublatio atque extrà protruſio, quæ morbos hoſce comitatur, non tamen, ſublatâ causâ, illicò ceſſat, cùm ea etiam ita eminere in cadaveribus ſimili modo extinctis reperire ſit: adeò uſque viget ſpaſmorum actio! Verùm tamen tolli certè cauſam illam ante omnia neceſſe eſt: hæc enim, quamdiù præſens erit, tandiù certè vigebunt morbi ab ipsâ nati ſymptomata. Si tollatur aut auferatur illa, ſpes eſt tenſionem hanc latentem tolli poſſe, aperientibuſque admotis tandem ſolvi poſſe morbum. Quod præcipuè his accidit, qui venereâ laborant potiendi objecti libidine. Quidni? Conceſſo ſiquidem objecto, inducitur oppoſita priori

corporis conditio, laxantur omnia, resarcitur secretio, pax redit cum motu cordis & nervorum instaurato; adeòque, si partes salvæ superfuerint, nec mechanicum vitium partibus insederit, contrario motu animi contrarius affectus curatur.





SECTIO SECUNDA.

De Epigenesibus quæ non ab ipsâ morbi naturâ pendent.

NOVUS Epigeneseon ordo, epiphænomena prorsùs improvisa secum trahens, novis metuendas periculis affectiones meditantibus offeret, si non ipsum solum morbum intueamur, sed hominem perpendamus pluribus simul malorum impendentium causis patentem & obnoxium. Porrò multiplicatis agentibus causis multiplicari inde nascendos effectùs necessarium est. Nam vel sua cuique causæ constat nocendi ratio, quæ mentem fixam in unum certumque objectum postulat, ad quod omnis attentio revocetur, vel, ut in corpore animato omnia inter se conjunguntur & communi commercio connectuntur, ex causarum & effectuum mutuâ in se invicem actione, nova monstra prodeunt quæ ita varietate incognitâ oculos percellunt atque obtundunt, ut stupentes sæpe Medicos ratio ipsa & methodus videantur deserere. Hinc nascitur vera illa sic dicta causarum & phænomenon inter se complicatio atque complexio, quæ tam frequenter occurrit, ita tamen

Causarum & effectuum in morbis multiplex confusio.

aliquandò occultè ſerpens, ut judicio acri, ſedulitate ſeverâ, nec minori induſtriâ ſit opus, ut morbi phænomena ad claſſes legitimas cauſaſque primarias referre poſſis. Nam, ex antiquâ HIPPOCRATIS obſervatione, conſtat complexum cauſarum ita fieri, ut quæ magis eminet atque plures ſimul functiones lædit; alteram obſcuret & ſilentio plectat; ita ut omninò conticeſcere iſta videatur, Nec tamen eadem in effectibus ſimplicitas atque correlatio expectanda eſt, quæ in causâ ſimpliciori reperitur; ſola enim ſenſûs alteratio, nullum effectum, etiam mechanicum, à mutatione intactum & alienum ſinit.

Cauſarum & morborum varius concurſus.

Scilicet ea eſt corporis conditio, ut ſæpe ſæpiùs illud, jam aliquibus ante afflictum malis, aliquâ accidentali infelicitate novos ſuſcipiat morbos. Cauſa cauſæ ſuperadditur, quæ nihil commune habent, niſi quòd in idem corpus inciderint. Sic Medicantum delicta, vulnera à Chirurgis illata, licet illa ſapienter ex ipsâ rei neceſſitate inferantur, ſymptomata nova aliquandò important, quæ à naturâ non ſine tumultu ſanantur. Tumultus ille etiam ſua exhibet phænomena, ſuos effectus elicit: quæ quidem omnes Epigeneſeon cauſæ ſeorſim ponderandæ ſunt & in ſuis effectibus proſequendæ, ſive complicatio ſeu Epigeneſis ſit morbi chronici cum chronico, ſive acutorum inter ſe conjugatorum, ſive demùm chronici cum acuto ſimul ſævientis; quæ

omnia & phænomenis varietatem imprimunt, & morbi progressibus fata diversa inferunt. Porrò morbus simplex sine vario causarum incidentium concursu rarus est, & minùs periculosus esse debet; quanquàm fatendum sit plures morbos chronicos à superveniente acuto fuisse aliquandò sublatos & improviso auxilio devictos, quamvis inter se vix cognitam viderentur habere connexionem: ut sunt paroxysmi asthmatici quos diariæ febris impetus sustulit. Ordinem propositum distinctis exsequamur articulis.

Complicationum divisio.

Verùm ut ordinatim persequi liceat quæcumque in idem corpus simul incidentia, caliginem observantibus offundere valent, capita instituemus tria concurrentium causarum, ex quibus morbi complicatio, & confusio ac miscela symptomatum oriri possunt. Primo scilicet capite, quidquid ex prægresso fomite relictum morbo præsenti conjungitur, proponemus observandum; altero ea omnia quæ morbo constituto accidere possunt & cum ipso complicari atque commisceri recensebimus; ultimo demùm quænam per Chirurgicas operationes in corporibus nascatur mutatio, unde novus naturæ paretur labor, erit perpendendum.

CAPUT PRIMUM.

De Epigenesibus quæ pendent à fomite morboso præexistenti.

PLURES dari in corpore morborum fomites qui, etsi sileant, & ferè nullis sese sinant deprehendi symptomatibus, tamen, datâ occasione, morbis se comites addant & propriis emineant phænomenis, nullus est qui non fateatur. Imò duplici titulo materiæ illæ, symptomatibus inferendis inter media morborum discrimina idoneæ, distingui possunt. Aliæ enim ad statum sanitatis pertinent; aliæ ad morbosam constitutionem jure referuntur.

Fomites per se non morbosi.

Ad priorem statum pertinent ea quæ in ventriculo continentur, tùm illa quæ à vasis hauriuntur lacteis chylosa, tùm verò lac & adeps. Humores isti ad œconomiæ animalis essentiam pertinent, & ad alimenti materiem duplici concoctione immutatam. Ulterior concoctio, residua ab opere peracto excrementa perficit; quæ, ubi adepta sunt ultimum coctionis suæ terminum secundùm statutum à naturâ ordinem, concocta etiam jure dicuntur, eaque urinæ, perspirationis, & fœcum alvinarum nomine comprehenduntur.

Porrò priores illi humores complicationem in morbis, adeòque Epigeneſes efficiunt: nam chylo, etiam legitimo, ſed præcipuè ejus quiſquiliis brevi ſemi-putridam naturam nactis, onerari ventriculum, febre aliquâ emicante, periculo non caret. Sæpe ab hâc ſolâ causâ febri ſimplici adduntur periodicæ exacerbationes, nauſeæ, ſingultus, vomituſque, qui, ſecundùm obſervationes SYDENHAMI, maturè vomitorio adhibito, ante conſtitutum erethiſmum tolluntur, quidquid contradixerit illuſtris HAENIUS. Capitis dolores ab hâc ſolâ causâ atroces invehi vel ſimplicior edocet obſervatio. Quid ſi pleuritis, ſi hepatitis accedat, nonne in morbo adeò à ventriculi jam dictis ſymptomatibus diſſito aderit Epigeneſis, eò plus metuenda, quò plus in acutiſſimo & inflammatorio morbo adhibendis pharmacis methodus artis legitima repugnat, ſæpeque ventriculi complicatio ipſi oppoſita videtur, ut à pluribus annotatum eſt, venæ ſectioni. Quid quòd jam putreſcente chylo, aut etiam ſimpliciter vellicato ventriculo, pruritus enormes concitari omnes viderunt. Quippe nihil adeò, ut ſtatera Sanctoriana edocet, perſpirationi obſtat & eam avertit, atque morbos catarrhales invèhit, ut ventriculi irritatio, ejuſque jam degenerem induens indolem plenitudo. Hæ porrò Epigeneſes non ſolùm inflammationem mentiuntur ac ſimulant, ſed cum eâ ſæpe com-

Epigeneſes à chylo & quiſquiliis primæ coctionis.

plicantur, quam aliundè invehere possunt dolores scilicet laterum, toties vomitorio adhibito tollendi; quæ si præmaturè non vacuetur materies, non uni morbo inferendo efficax, repetita sæpe deinde postulavit venæ sectionum præsidia. Chylus scilicet ipse abit in crudam acremque olentem materiem, quæ, ubi inflammatorium concepit erethismum, in phlogodeam seriùs ocyùs vertitur naturam. Sic ab hâc causâ rheumatismus aliquandò iners, aliquandò phlogodeæ indolis, sævit in articulos nunquam non complicatus. Imò sæpe furunculi & anthraces ab eâdem causâ pendent; dùm scilicet inflammatoriæ sanguinis diathesi quisquiliæ crudi & incocti chyli junguntur, & morbo etiam jam superato, novam sibi coctionem atque depurationem postulant. Quod quidem iis præsertim accidit, qui incautè, & forsan sub latentibus insidiis morbo delitescente, alimentis abutuntur: tanti sunt momenti in casibus istis nunquam obliviscenda HIPPOCRATIS circa regimen in morbis & post morbos servandum præcepta.

Epigeneses à lacte muliebri.

Sed noxas semi-cocti nundùm naturam nostram adepti alimenti, nulla apertiùs causa ad lædendum facta declarat, quàm fons Epigeneseon multiformium lac muliebre, quod suos indit caracteres & complicationem evidentem mulieribus aut gravidis, aut recens puerperis. His enim morbi, etiam epidemici, imò &

contagiosi, lacteum quid redolent. Primò quidem exuberat purus simplexque latex; mox brevi, actione novâ per corporis ambitum divisâ & dispersâ, acescit atque corrumpitur fluidum illud, fomitemque novum priori addit. Esto mulier in hoc casu correpta pleuritide: mitiùs quidem sæviet ipsa inflammatio, nec acrem primo temporis momento suscipiet erethismum; at in affectum locum confluet impete facto humor ille superfluens, frustrà exitum alibi molitus. Hinc anhelitus, hinc tusses, hinc sputorum alborum & glutinosorum proventus ingens. Si in hepar & intestina accidentalis sævierit inflammatio inde accersita, vomitiones, nauseæ, convulsiones vix finem sibi poterunt spondere, nisi immanis diarrhœa illum exhauserit humorem. Hinc etiam in febribus intermittentibus exundabunt ad cutem humores acres, acidi; & post sudores, pustulæ crystallinæ miliares non criticæ, novam incutient formidinem, cùm non stagnantis solùm, sed & putrefactæ ad varium gradum materiæ præbeant indicium. At, quod ferale magis lepidis videatur mulierculis primo defunctis periculo, remanet sæpe deposita ad cutim lactei humoris depuratio, complicationem novam efficiens ipsis detestatam. Nec tamen minor ipsis subest infelicitas, si materies hæc textum cellularem & adiposum invaserit multiformibus excipiendis humoribus atque ulceribus idoneum. Hinc

enim una elephantiaſeos ſpecies naſci poteſt, aut tumorum genus illud, quod, uno deleto, alterum educit, & poſt varios caſus deſinit in peſſimum carcinoma. Certè, in tantâ Epigeneſeon metuendarum farragine multiplicatâ, præclarè à naturâ ſecum actum credere debent ægrotæ, ſi tantorum malorum pericula rependat fluor albus muliebris, qui toties morbos lacteos ferè inſanabilis excipit, & qui, malis cohibitus auſpiciis, ea omnia jam pericula, de lacteo humore ne cogitantibus quidem inferre poteſt. Verùm in morbis lacteis nulla Epigeneſis frequentior obſervatur, quàm illa, quæ plethorâ cacochymicâ textum muſculorum cellularem opplet & infarcit, aut deſævit in articulos ſub rheumatiſmi lactei nomine : nam ab hâc causâ ſpaſmi efficiuntur fixi atque durabiles, anchyloſes, oſſium tumefactiones ſpinæ ad inſtar ventoſæ; quæ omnia, morbis accidentalibus, ut febribus verbi gratiâ intermittentibus, mixta, aut lui venereæ, aut morbo cuicumque, nunc cruciatus, nunc pericula afferunt, oſſibus præcipuè in quæ morbum determinant infeſta : inſtar enim aquæ ſtygiæ, putredo hæc lactea, priſtinæ aciditatis jure, materiam oſſium nutritiam ante alias adoritur.

A lacte degeneri.

Verùm in neceſſariâ lactis mutatione per ipſius morbi actuoſitatem temporis maleficio inductâ, nova etiam exurgunt phænomena, novæ Epigeneſes. Oleoſam ejus partem ex-

cipit adeps, indeque illa, in ſaponem verſa, ſi non continuò effluat, infert icteros, quos, non expectatos, imò ſtatis aut incertis periodis recrudeſcentes, rigor denotat & denunciat; ſi continuò extrà feratur, diarrhœas, imò & dyſenterias invehit, quibus ſi junctum habeas erethiſmum, vertitur morbus in complexam atque complicatam hepatitidem, Epigeneſibus metuendam multiformibus. Et aliundè nemo eſt qui non ſentiat, quo pacto à redundante illâ cacochymiâ morborum chronicorum cohors, ſcirrhi, melancholiæ, hydropes poſſint enaſci. Uno verbo vix ullus eſt morbus qui non novos caracteres, Epigeneſes ſibi proprias, à lacteo illo fomento non mutuetur. Variolæ, morbilli, febris miliaris variam inde indolem ſibi inſumunt, ſequelaſque admodùm à priori ſcopo aberrantes, quas ex prædictis hariolari non difficile eſt.

Urina verò, quæ quaſi totiûs corporis lixivium jure vocatur, & quæ proprias ſibi dotes à quâlibet ex coctionibus mutuatur, & earum excrementa continet atque ejicit, ſi intrà corpus retineatur, jam propria ſibi, ſed atrocia, ſed brevi morte rependenda mala exercet. Jam de Epigeneſibus, in morbo neceſſariò lethali, mentio nulla ſupereſt injicienda. Idem de bile dici nequit, quæ non innocuè quidem, ſed non adeò funeſtè, ſtagnare poteſt, ſi non acredinem ſuſceperit. At, morbo illa ſi in mo-

Epigeneſes ab urinis retentis.

Epigeneſes à bile.

tum concitetur acuto, jam non ſoli hepati, ſed capiti, ſed thoraci noxam inferet, & non maculas ſolùm producet bilioſas, ſed ſanguineas etiam atque gangrænoſas, ſoluto admodùm ſanguine & putrefacto : unde qui primò ſimplex aderat morbus, in feralem vertitur. Quod quidem pluribus in morbis epidemicis vidimus accidiſſe. Præſertim caſus ille in iis accidit epidemicis morbis, qui aliquid intermittentis naturæ habent. In iis enim aliquandò non rarum eſt duplicem morbum ſuâ quemque indole incedere. Putridam alia cauſa molem motui idoneam dyſenterico exhibet, alia obſtructionum phaſes ſibi vindicat, ita ut neutra corpori quietem concedat. Id non adeò rarum eſt, ſi mœror Epigeneſim aliquam corpori jam ægrotanti inferat. Hinc certè, corpore jam in aliâ peragendâ coctione occupato, quanta debet ſupervenire alteratio, quanta principiorum jam converſio atque pejoratio ?

Epigeneſes à ſudore & exhalatione cutaneâ retropulſis.

Nec certè minores afferet Epigeneſes in morbis aut ſudorum aut evaporationum quarumcumque ad interiora repulſio. Certè ſi in ſtatu ſano atque haud imperfectè concoquente perſpiratio ſanctoriana incautè ſuppreſſa tot catarrhorum formas inducit, nonne pejora mala expectanda ſunt à ſudore non critico, ſed utili, incautè cohibito. Certè res non nova eſt nec obſcurè obſervata, à tali infortunio ſæpe accidiſſe anhelitum, ſuffocationem,

tuſſes aſperas, pituitæ ſoli limpidæ & crudæ adſcribendas, nec aliquid coctum expectorantes. Quippe diruta atque peſſumdata fuere quæ priùs extiterant concoctionis elementa; ſæpe ab hâc ſudorum cohibitione, præſertim imprudenter repetitâ, phtiſis pulmonalis originem traxit. Verùm rarò id fit ſine præviis ad articulos doloribus, rheumatiſmi ſævitiem æmulantibus. Imò ſudores repreſſi primum vulgò in articulos impetum faciunt, à quibus poſteà in thoracem retrogradi abeunt, niſi capitis incuriâ nudati frigus, aut in oculos, aut in nares, aut in aures luem conjecerit. Imò mala inde exorta, nervis quaſi oppilatis, per totam vitam poſteà duratura, nemo eſt qui non viderit. Id etiam à ſudoribus ſuppreſſis, aut perſpiratione cohibitâ, malorum genus epidemicum fuiſſe, & poſt melancholiæ dicata ſymptomata abiiſſe in phtiſim dudùm obſervatum fuit, & ab ipſo cognitum HIPPOCRATE lib. epid. 3°.

Et profectò hîc de omnibus catarrhoſis affectibus loquendum foret qui in omnibus morbis, & præſertim in reconvaleſcentibus à morbo ſuperveniunt, ſi omnes quæ à ſuppreſsâ perſpiratione pendere poſſunt Epigeneſes hîc enumerare animus foret, plureſque cutaneas puſtulas, & dolores tumoreſque articulorum deſcribere, quæ omnia, cùm alioquin abunde nota ſint, non ampliori morâ, eâque inutili nos detinebunt.

Fomites morbosi non expediti.

Verùm nihil magis morbos complexos atque diversis Epigenesecon speciebus complicatos reddit, quàm altera humorum præexistentium classis, quæ contra naturam corpora divexat, &, sine morbis definitis, aut saltem sine morborum sensu, quasi causæ accidentalis influxum & impetum videtur expectare, ut sævitiem suam exerat. Difficile quidem est has humorum, ut ita dicam, explosiones in classes redigere. Rheumatismorum acriter sævientium sæpe nomen usurpant, serum acre vocavit Nicolaus Piso. Quippe non impossibile est novos etiam humorum illorum proventus, nondùm satis cognitos, quotidie progigni; etenim tot circumstantes diversimodè agunt insidiæ! Sed ut causarum in corpus animale agentium certa & fixa existit in organum definitum actio, sperandum est futurum ut noscatur aliquandò cujuslibet causæ in unumquodque organum effectus mechanicus, quo semel cognito poterit subjudicari & artificiosâ divinatione arripi & prævideri curatio.

Horum fomitum divisio quadruplex.

Ea autem vitia humorum quæ seorsim à morbo possunt intùs grassari, & corpus non semper ægrum, sed debile saltem & infirmum afficere, ad quatuor evidentes classes revocabimus; quarum prima luem veneream ejusque sequelas sub se complectitur. Altera scrophulosum virus atque rachiticum sub se retinet. Tertia scorbuticos affectus habet.

At quarta comprehendit ingentem varietatem ſcabioſorum herpeticorumque morborum, qui non ſemper depuratorii dici poſſunt & actuoſi, adeòque certa non habent tempora, ſed, vel conquiſiti, vel ex ipſo corporis vitio primigenio forſan vel hæreditario nati, niſi potenti artis auxilio non ſanantur, & mutatâ formâ, perſonâque larvati variâ, per totam divexare vitam ſæpe poſſunt. Vitia hæc omnia vivunt aliquandò occultata in vaſorum & glandularum anfractibus. Ibi quaſi ſolidata nullum aut vix ullum effectum exerunt, nec niſi datâ occaſione erumpunt.

Epigeneſes à lue venereâ.

Nullum porrò aliud virus lue venereâ aut ſæviùs, aut crudeliùs, complicationes aut Epigeneſes efficit. Vix vitalem jure credideris infantem qui eo affectus naſcitur : quippe tollent eum prima dentitionis molimina, cùm vix aliud virus adeò efficaciter agat in oſſeam compagem. Hinc ipſa rachitis, quæ ablactatos adeò divexat, ab hoc peſtifero fonte forſan primam deduxit originem, à peſtiferis parentibus aut nutricibus traditam. At aliquandò evenit ut lues ipſa venerea in glandularum anfractibus vix efformatis delituerit, & per diarrhœas, alvi tumores duros quaſi ſcirrhoſos & indolentes, maraſmos, aut dentium malas eruptiones ſe vix ſiverit deprehendi : verùm, datâ occaſione, fiet eruptio, & ſeſe manifeſtam faciet lues hæreditate conquiſita, ubi jam vix ulla poterit adminiſtrari

curatio ; aut hâc tardiùs adhibitâ, ſaltem reliquias trahet inſignes, ſive in oſſium diſtorſione, ſive in varii generis eruptionibus cutaneis, quæ jam nec mercurio ipſi auſcultant, nec aliis medicaminibus fruſtrà adhibitis.

Epigeneſes à lue venereâ in acutis.

At mali illius acquiſiti & ſævientis præſentia, cùm ſymptomatum maximè inſignem varietatem inferat, morbos omnes accidentàles interturbat, ſive chronici ſint illi, ſive acuti. Ecquid enim ? Nùm perfecta ſperanda eſt coctio ubi diſſociabilis & inexpugnabilis fomes obſtat. Vix ipſa ſperanda eſt Metaſtaſis ; in quâ ſpes ſola repoſita eſt. Hinc variolis graſſantibus, hâc præſente lue, imperfecta tantùm ſperanda eſt ſuppuratio, quæ non ſtato tempore finiatur, ſed abſceſſus educat alios aliis perversâ maturatione ſupervenientes, oſſibus ipſis conſumendis aptos. In aliis acutis morbis dolores advocat lues venerea ab ipſo morbo alienos, & ſi Metaſtaſis abſceſſum fecerit internum, jure illum vix curabilem pronunties, & externo longè periculoſiorem, qui tamen & fœda offeret ſpectacula & legitimum timorem incutiet, cùm brevi, limbis retorridis infamis, ſuppurationem partis deſtructivam afferat & perpetuam efficere videatur.

Verùm vulgò ad aliquem gradum evecta lues venerea alii morbo vix locum relinquit. Lue hâc affectos à peſte immunes fuiſſe obſervatum eſt. Sua ſibi ſatis habent mala

miſeri. Quippe hoſtilis illa materies aliis introducendis malis vix anſam præbet, ſaltem acutis. At id periculoſum præprimis eſt, quòd mediante febre acutâ ſæpe acciderit, ut quæ deliteſcebat priùs, rurſùm recrudeſcat & ſui notas det atque indicia lues venerea. Imò id lui venereæ proprium obſervarunt Medici, quòd multò plus aliis accidentalibus morbis indolem epidemicam ſibi aſſumat, morboſque mentiatur prædominantes, ita ut eâ affectus æger barometri ope vix indigeat ad perſentiendas tempeſtatum mutationes.

At quæ Epigeneſes à lue venereâ ſuperveniunt eæ præcipuè in morbis chronicis obſervantur. Sic arthritis ab eâ complicatâ peſſimam dolorum rebellemque indolem ſibi aſſumit. Ignoratur enim ſæpe unde tantus naſcatur dolor, unde jam ſtatas morbus deſerat periodos, unde etiam oſſium violentior diſtorſio, imò caries in articulis naſcatur, quod in arthritide venereâ vidi. Nec ſymptomata hæc, niſi longo tempore, propriam ſibi indolem teſtantur, quippe utrique morbo, in primo ſaltem arthritidis inſultu, communia ſunt. At rebelli nec deferveſcente malo naſcendam inde ſuſpicionem firmat anteactæ vitæ hiſtoria, quæ arthritidem complicatam & veneream deſignat. Idem verò in humorum antea natis vitiis, & per tabum venereum efferatis obſervatur: eos enim humor ille, cum veterum

Epigeneſes à lue venereâ in chronicis.

atrabile ſervans analogiam, in cancrum mutare viſus eſt peſſimum, tuncque mercurio vix auſcultat, ut in venereo uteri cancrò notabile eſt & quotidie obſervatum. Verùm ipſa lues venerea ſuam ſibi Epigeneſim facit multiformem, nunc tumefactis cranii oſſibus epilepſiam mentiens, nunc aſthmata à ſpinæ vitio etiam periodica procreans, nunc etiam, dùm, præ inſigni dolore, coctiones omnes, omnes ſecretiones vitiat atque peſſumdat, cachexiam invehit & œdemata hydropica producit, nunc contrà phlogoſes rebelles & eryſipelata metuenda; nunc verò chronicos morbos invehit à ſe nimiùm diverſos, ſcorbutum ſcilicet atque herpetes.

Scorbutus ipſius luis Epigeneſis.

Lui venereæ neglectæ, in vitâ præſertim ſedentariâ & atmoſphærâ humenti, ſupervenit ante omnia alia ſymptomata Epigeneſis ab eâ diverſa toto cœlo, *ſcorbutus*. Hic enim peſtis eſt ſanguini atque mucoſo cruori; hæc contrà lymphæ ſtruit inſidias. Utrique labi id proprium eſt quod in oſſa ſæviat: at ſcorbuto indoles ſummè putrida, undequâque graſſans, ante omnia competit. Lui venereæ durities quædam coagulans, atque, ut barbarè loquar, *inſpiſſans*. Ille omnia corrumpit, laxat, effœminat. Hæc indurat omnia & cogit ad ſe principia. Hinc luis venereæ antidotum præſens ſcorbuto nocet, imò eum infert mercurius. At, licet ſcorbutum per ſe non inferat lues venerea, ei tamen, dùm

coctiones vitiat, dùm corpus imperſpirabile reddit, multoties occaſionem dat, ſqualore, glandularum induratione, ſecretionum intermiſſione malum hoc inducens. Hinc, ubi diſtinctis ſui dederit notitiam ſymptomatibus ſcorbutus, ſciunt Medici omnes nectenda ei eſſe impedimenta, frænaque injicienda antequam de luis venereæ curatione poſſit ſapienter cogitari : increſceret quippe per mercurii actionem virus ſcorbuticum, cui prorſùs adverſatur illud potentiſſimum medicamentum. Hoc verò proprium eſt cachexiæ illi ſcorbuticæ, quòd cùm alii fomites per acutorum morborum impetum & actuoſitatem ſæpe vacuentur atque ſanentur, exaſperetur contrà ille ſcorbutus ferociùsque ſæviat; quippe qui per ſe corrigi vix poſſit : eſt enim morbus totiûs ſubſtantiæ, ut cum veteribus loquar, qui omnes humorum partes æquè corrumpit, & augeſcit per inditam ipſam acrimoniam, quam humores, ad corruptelam prompti, per ipſum naturæ agentis impetum ſibi inſumunt. Hinc à nullâ aliâ causâ tot ſuperſunt reliquiæ morborum, tot reconvaleſcentiæ periculis plenæ, tot febrium lentarum nervoſarum ſic dictarum genera, præſertim in pueritiâ atque ſenectute decrepitâ graſſantia, cùm ſcilicet ſanguis jam legitimam conſiſtentiam conquirere non poteſt, aut amiſſam reparare. Nec ſemper ad gingivas aut crura hæret malum; nam, etſi non ſemper Eugaleno fides habenda ſit,

ſymptomata hæc inter criſes morbi ſæpiùs memorantur; at anhelitus ad minimum motum, cordis palpitationes, diarrhϾ, latens malum arguunt, juncta quidem cum aliquâ fraccidæ putredinis notâ.

Epigeneſes à ſcorbuto in acutis.

At nulla eſt ex luibus illis extraneis quæ tam facilè jungatur cum morbis acutis quibuſcumque. Ita peripneumoniæ comitem ſe præſtat acrimonia ſcorbutica, ſputaque ſanguinea mirum in modum auget, non jam per ſtrias exitura, ſed toto ſputo ſanguinem nigricantem referente. Simul adſunt dolores oſſa ipſa infringentes, ad extremas uſque medullas penetrabiles. Adeſt & ipſa paralyſis lateris affecti, non adeò in caſibus hiſce rara, jam Galeno dudùm obſervata, ejuſque frigus & pallor; adeò ad diſſitas uſque partes periculum protenditur! Quid! quòd in morbis nil ſimile minantibus, ſæpe evenit, ægro jam convaleſcenti ut extrema penitùs frigeant & afficiantur paralyticè. Illud malum plus & frequentiùs cognitum eſt in locis depreſſis & paludoſis; & tamen in ſalubri Galliæ noſtræ cœlo, poſt tempeſtates uvidas & frigidas, nec rarò in febribus intermittentibus & poſt ipſas ita accidiſſe vidi, præſertim in ſenioribus, ut alterius illius morbi curatio & multò longior & periculoſior priore fuerit. Id verò præſertim nautis atque viatoribus qui ſeptentrionales Oceani plagas aſſiduè luſtrant, non adeò rarò obſervatur. Imò, quod cre-

diderat observator SYDENHAMUS à nimio corticis Peruviani usu pendere, sanationem absolutam secutus est scorbutus; quod, non medicamenti vitio, referendum esse demonstratu facile est, sed corporis afflictioni & perspirationis corruptæ effectibus.

Diarrhœa scorbutica, Epigenesis frequens.

Nulla verò Epigenesis scorbutica aut violenta magis, aut frequentior est quàm illa quæ dysenteriam scorbuticam jungit morbis quibuslibet. Etenim sæpenumero scorbutus ipse, ægris jamjam morituris, per symptoma illud, funestè terminum accipit; neque feliciùs cum ægris agitur, si humor scorbuticus, per febrem præcedentem in motum actus, putridisque bilis reliquiis remixtus, per inflammata intestina in motum agatur: quod quidem aliquandò febribus intermittentibus scorbuticis supervenisse testantur observatores plurimi.

Scorbutu cachexiæ proles veteribus non ignotus.

Nec mirum etiam si cachexia in motum acta tam facilè in scorbutum eat degener, cùm putredo spontanea tam facilè invadat crudas alimentorum & perspirationis stagnantis reliquias. Unde ex paucis istis satis patet quàm latè extendantur Epigeneses & complicationes morborum quæ à scorbuto fiunt. Nec mirum si complicationes istæ videantur ab antiquis prætermissæ: deest enim solum scorbuti nomen; sed ex iis quæ hîc enumerantur symptomatibus, quorum plurima ab antiquorum libris desumpta sunt, satis evi-

denter apparet rem, ſeu cachexiam corruptam, quocumque tempore, quocumque ævo fuiſſe obſervatam, præſertim in locis uliginoſis & aquarum putridarum ſtagnatione paludoſis. Nec difficilè ex dictis intelligitur quantâ conjungantur cum cauſis ſcorbuticis connexione peſſima illa febrium putridarum genera, quæ à Galeno Σηπέδονες vocabantur; ut ſunt febres in carcerum tenebris contractæ, à defectu aëris pendentes, aut etiam à vitio alimentorum putridorum & corrumpentium.

Epigeneſes ab herpetibus.

Maximum certè morborum cutaneorum ambitum conſtituunt herpetes ſic dicti, quorum cauſa non una, forma ſummè diverſa eſt. Imò & huc referri poteſt ſcabies, quæ, licet à plurimis ab inſectorum morſu acri repetita, non tamen minùs periculi repercuſſa inferre poteſt. Scabiei proprium eſt, ut in morbo acuto retropreſſa tuſſim acrem, ferinam aliis addat ſymptomatibus. Sanentur hæc, ſupereſt illa donec cutim novo impetu adoriatur. Eryſipelas, anginam & anhelitum minatur. Alii hujuſce generis humores alibi feruntur. At omnibus his ferè cauſis morborum, commune eſt ut morbo acuto ſæviente conticeſcant, nec ſe videri ſinant. Unde quoties ante morbum effloruere illi, pro causâ morbi latente habentur; quod, etſi non rarum, non tamen perpetuum eſt. At, deſinente morbo, pro ratione virium rurſùs apparent, & plus minùſve emicant. Aliquandò

tamen per morbi acuti violentiam ſanantur; ſed hæc rariora ſunt, cùm morbus à conſtitutionis dyſcraſiâ pendens raró aliâ ratione ſanetur, quàm per inductam contrariam conſtitutionem. Nec morbis chronicis plus virtutis ineſt; cùm videamus quotidie herpetes lui venereæ ſanatæ & mercurialibus inunctionibus ſuperſtites. At ſæpe locus mutatur, & poſt capitis morbos Epigeneſes ſæpe fiunt herpetum in nares & oculos; poſt dyſenterias in inteſtinorum viciniam graſſantur; in guttura & buccas à thorace deportantur. Nam ſi morbus ipſe originem traxerit ab herpetibus aut morbi alicujus cutanei deliteſcentiâ; qui ſuperveniunt herpetes non jam Epigeneſeos ſibi titulum uſurpabunt, ſed veræ Metaptoſes erunt quæ fieri poſſunt in pulmones, hepar, ventriculumque, quem doloribus ſæviſſimis affligunt, vel etiam in quæcumque alia viſcera, ſed meliori omine in cutem, quæ ipſis locum præbet naturæ ſuæ conſonum. Dantur etiam herpetes epidemici, ut & pruritus, & pſoræ, & ſcabierum diverſæ ſpecies. Verùm utut eruptiones illæ verè Metaptoſin efficientes in naturâ morbi contineantur & cum ipſo conjungantur, his tamen omnibus commune eſt, ut tantùm poſt erethiſmi febrilis ceſſationem aut mitigationem appareant, nec niſi poſt paroxyſmos efflorescant; laxatâ ſcilicet ſolidorum ſtricturâ, & mitigato qui omnes exitus vinciebat erethiſmo, eruptiones illæ in

cute molliori positæ, rursùs ad pristinas sedes redeunt, vel novum & morbi vi debilitatum locum invadunt. Sed hæc ad Metaptoses pertinent. Quod autem hîc de herpeticis aliisque alienigenis vitiis animadvertimus, de arthritidos ischiadosque delitescentiis eò plus intelligendum est, quòd ea ipsorum est indoles, ut latenter & subitò à parte in partem ferantur aëris & spiritûs in morem. Sed vulgò morbum novum non efficiunt; idem est, qui larvam tardiùs deponit. Cruciatus sub variâ efficit formâ improvisos, inexpectatos, sed ut plurimùm arthriticos: hâc causâ præsente, vulgò cæteræ conticescunt. Si nativum sibi locum recuperaverit arthritis, exurgit exoptata quies in visceribus antea immodicè cruciatis; quam si recusat sedem repetere, instat fatum ineluctabile.

Epigeneses à veneno rachitico & scrophuloso.

Superest jam ut Epigeneses sectemur illas quæ fiunt per alicujus vitii scrophulosi aut rachitici manifestationem. Quæ quidem duo vitiorum genera plus ætati infantili infesta sunt, quàm firmæ & adultiori vitæ periodo. Certè latere potest intùs lues scrophulosa, veneno debita tardiùs vel ocyùs erupturo, sæpe ad seram usque pubertatem innocuè in variis glandularum anfractibus delitescente: sed sæpe ipsa convulsio dentitioni prævia ipsum exeruit, ut & rachitidem & articulorum tumores. Nec res tamen ita severè accipienda est, ut omnes dentitionis difficultates atque inde nascitura

nascitura symptomata ad virus illud revocemus; nam sæpe spasmus ipse constans, etiam sine scrophularum aut veneni rachitici præsentiâ, mortem infantibus ante ora parentum intulit, omnibus alioquin corporis partibus ab omni labe immunibus. Peremit infantulum ipsa mechanicum corporis organismum destruens convulsio. Videmus sæpe infantes, inter molestum dentitionis opus, omnem per corporis ambitum inflari atque turgescere lymphâ, & vero tentari hydrope, qui solis viribus naturæ peractâ dentitione tollitur. At semel posito veneno illo, quodcumque aut sit aut fuerit, duplex Epigeneseon fons prævidendus est. Vel enim partes scrophulis affectæ tentantur, saltem in viciniâ, inflammatione; per quam tardior, lymphatica, mucosa, nil sanans exoritur suppuratio, quæ, à proximis ad proximas glandulas defluens, & lentè, sed certò à glandulis & articulis in viscera delapsa, tardam, sed certam phtisim infert: vel obstructio partium illarum nascitur, à quâ oritur œdema, scirrhus hydropsque, quo facto plurimi inter lacrymas propinquorum pueri perimuntur. At enim à Medicis observatoribus conceditur non unum aut definiendum evolutionis virosæ genus aut à convulsione, aut à dentitione, aut etiam à febris actione sumpsisse originem. Nam visi sunt infantes quos in hæc mala, nullâ arte prorsùs extirguenda, conjecit casus qui-

Scrophulosæ Epigeneseos duplex genus.

cumque, ictus imprudens, membri alicujus luxatio aut ruptura, terror violentus, digestionum incuria; uno verbo eos pessumdederunt & scrophulis atque articulorum nodis obnoxios fecerunt matrum & nutricum peccata.

Proprius cuique acredinis fomes, Epigeneses acit.

Nec tamen ii sumus qui sub hâc humorum Epigeneses efficientium narratione & enumeratione credamus omne genus causarum illarum exhausisse; cùm ea sit corporum humanorum pro loco quem incolunt, aëre quem spirant, victu quem sibi delegere, conditio, ut unumquodque corpus propria sibi excrementa ingenerare possit, ut suus sit unicuique spiritus sive atomus volatilis, varios producens effectus. Unde fœtor suus cuique, suus cuique color. Nec diffitentur Medici rufis & aureis capillis donatos plus redolere aliis, voce donari graciliori, morbis eruptivis plus conflictari, morbis laryngis plus angi. Nec minùs verò quos morbus infantilis gibbo & spinæ distorsione maturiùs afflixit, spirant difficiliùs, articulorum doloribus plus vexantur, & ideò morbis thoracis anhelantibus plus subjiciuntur. Nulla certè intùs febris emicat, quæ non importunas tusses afferat & symptomata ad Epigeneses inducendas prompta. Pariter qui oculis laborant, qui aurium tinnitu afficiuntur in habitum ducto, auribus & oculis morbo vigente cavere debent. Nam etsi sæpe causa vitiis aliis fovendis & educandis

apta, delitescere amet dùm viget erethismus, tamen, eo cessante, debilitas inducta vasis & aucta excrementorum productio non quidem per se Epigenesim facit, sed malum ante positum auget & exasperat. Quod aliquam Epigeneseos speciem constituit.



CAPUT SECUNDUM.

De Epigenesibus à causis intùs tempore ipso morbi natis.

Morbi ipsius actione nascuntur intrà corpus Epigeneseon causæ.

HUC usque de causis quæ, longo habitu aut infortunio vix prævidendo, in corpus ægrum actionem à morbo prorsùs diversam ita exerunt, ut causæ duæ sejunctæ complexos atque compositos effectus exerceant, actum est. Nunc Epigeneseon causa altera altiùs scrutanda & propiùs excutienda superest. Scilicet ipsa morbi degeneris & propria excrementa sibi soli convenientia generantis indoles, varia & ab ipso morbo diversa phænomena potest inferre: unde nova exoriatur Epigeneseon soboles morbique complicatio. De causis quidem evidentibus in hunc scopum concurrentibus jam satis in priori sectione actum est, prævisosque effectus, quantùm in nobis fuit, in classes digessimus: sed quâ ratione morbos à se diversos proferre morbus ipsâ suâ actione & corpora mutandi ratione queat, nunc inquirendum est. Quâ quidem in inquisitione vitanda erit Epigeneseon cum Metaptosibus confusio, quæ hîc certè ita instat, ut vix accuratè sejungi atque secerni possit utraque morbi mutatio, nisi quòd superaddatur morbo su-

perstiti Epigenesis, per Metaptosin verò mutetur morbus & in alium vertatur.

Quæ & loco & tempore differunt.

Eæ verò Epigèneses tùm in universo corpore, tùm etiam in diversis partibus observandæ sunt: & eæ quidem occurrunt tùm in sanitatis confiniis, ipsâque vix læsâ, tùm etiam in morborum acutorum ferociâ, tùm demùm in chronicorum lentioribus insultibus. Ut autem intelligatur quâ ratione Epigeneses illæ in morbis accidant, præcipuè ad excrementorum generationem & productionem attendendum est, & doctrinæ Sanctorianæ accurata tenenda est memoria: ea scilicet alimentorum pars quæ internas vias, nec inire tenuatione principiorùm, nec naturâ suâ subire valet, scybalorum nomine debet extrà projici, quibus sua coctio competit, ut colore, consistentiâ, levitate insignia sint; quæ verò salino oleosam & aquâ diluendam traxerunt indolem, sub urinosi laticis formâ exeunt; quibus & sua etiam coctio competit, ita ut aquæ acceptæ, epotæ, imbibitæ, urinæ correspondeant, flavescantque plus aut minùs pro bilis resorptæ miscelâ, adipisque in saponem soluti proportione variâ. At illa, de quâ SANCTORIUS diligenter & ex ipsis naturæ penetralibus observationem instituit perspiratio, omnium humorum, nec non materiæ ipsius jam ferè nutritiæ excoctum cæterisque omnibus & ponderosius & copiosius excrementum, non unius est naturæ, nec cum eva-

Ex ipsâ coctionis naturalis consideratione intelligi possunt.

poratione ſimplici confundenda. Nonne ſordes in cute ſolidas conſtituit & copioſas, nunc, pro naturâ materiæ ipſius nutritiæ, acres & ſalſas, nunc etiam aceſcentes, ſed fracidas ſemper, & brevi variâ ratione olentes. In hujus materiæ excretione reperias & illos ſubtiliſſimos, atque ultimâ certè actione ſolidorum in fluida procreatos, & ipsâ ſuâ tenuitate ad exitum promptos ſpiritus, tùm tenuiſſimam, jamque ob eam tenuitatem inutilem factam, atque ultrà naturæ limites delatam materiem alimentariam, inſectis adhuc pluribus aptam nutriendis. Nec certè crudis adhuc necdùm maturis omninò exitus denegatur, modò aditus ſubtiliſſimos tranare queant; imò etiam, ut nuperis experimentis videtur demonſtratum, aëri degeneri ſubtiliſſimo, quem uſibus noſtris ineptum ipſa functionum actio reddidit. Certè, tot inter partes quibus ſe cutis perviam facit, exit præcipuè ſpecificus ille cuivis individuo ſpiritus rector, quo fit ut herum canes agnoſcant & inter ceteros diſtinguant, imò & ipſa eorum uſibus deſtinata veſtimenta poſſunt, ut multiplici conſtat experimento, agnoſcere. Quæ quidem pars, noſtris functionibus aptè concinnata, nec minimis uſibus inſtituta, vix ſenſibus noſtris deprehendi poteſt. At varietates ipſi aliquandò conciliari facilè agnoſces, cùm certè mutetur ab exercitatione, uſu meri, allii, aromaticorum, imò & ab animi affectibus, quibus

ſæpe factum ut integra mutetur machina, nec ulla de prioribus proprietatibus ſuperſit omninò, ſed omnia ſuſdeque vertantur.

Naturalia coctionis excrementa in ipsâ ſanitate maximè variabilia.

Simpliciſſimus hic rerum naturalium & in corpore quotidie peragendarum intuitus nos edocet, quòd variatio vitæ poſſit in concoctionum productis mutationem inducere. Unde ſine ullâ hæſitatione intelligimus producta illa non eadem prorſùs eſſe debere in primâ ætatis ineuntis periodo, non eadem in utroque ſexu, ſed maximas inde naſci debere differentias. Differre etiam debent in vitæ non actuoſæ otio languidiore, in exercitato laboribuſque fracto militum corpore, in ingentibus animi motibus, in illo habitu quo exercitantur Doctorum ingenia, feriantibus vulgò reliquis corporis functionibus.

Multò magis variari debent morboſa excrementa.

Porrò, cùm varietates illæ maximè ſint obſervabiles in ipsâ ſanitatis diverſitate, quantò magis illæ à ſe invicem abludere debent atque diſcrepare in tumultu morborum, jam deſtructo partium inter ſe æquilibrio, vitâque aut per inertiam languidiore factâ, aut per auctum impetum actionis prætermodùm creſcentis vividiore. Etenim ut languidior vita de omnibus effectibus aliquid detrahit, ſic etiam aucta illa, nec datum tempus ſervans, nec intervalla diſtinguens uniendis his, ſeparandis illis partibus neceſſaria, non eumdem exerere debet effectum corpori congruum, ſed nova phænomena, novoſque

effectus inducere. Nec negandum eſt ab hoc fonte præcipua, etiam ſine Epigeneſi, pendere morborum phænomena; ſed certè ipſarum Epigeneſeon origo ingens ab hâc cauſæ varietate exoritur: nam ſubſtantiæ diverſæ inde natæ, pro ipſius patientis naturæ diverſitate, diverſitatem etiam indolis ſibi ſortiuntur. Hinc Epigeneſes debere naſci evidens eſt, quas etſi in omnibus perſequamur vitæ & circumſtantium differentiis, tamen omninò attingere & exhaurire non valebit ars humana: quippe fatendum eſt ea ſola à nobis deprehendi quæ ſenſibus objiciuntur, dari verò plures magnorum in corporibus effectuum cauſas, quæ ſenſus non percellunt, & quas nulla valuit diſtinguere & in claſſem reducere obſervatio.

Inde multæ Epigeneſes.

Primaria ergò Epigeneſeon ab intimo morbi fomite pendentium cauſa, à coctionis alteratæ & per morbum mutatæ vitiis repetenda eſt: & ut coctionis in ipsâ ſanitate alteratio morbos inducit, ita coctionis morbificæ effectus debent Epigeneſes invehere: quod quidem, ut à ſimplicioribus auſpicemur, quotidianum eſt in infantibus, quos ipſa dentitio Epigeneſibus torquet abſurdis & per quas miſeros perimit. Vitiatur ſcilicet illicò coctio, & in acidum acre vertitur. Hinc præclarè à naturâ cum miſeris agi conclamant omnes, ſi illicò invehatur diarrhœa aceſcens illa, adeòque virideſcens, quas virides & aci-

Epigeneſes à vitiatâ & imperfectâ coctione morbosâ.

das lemas nutrices germinum dentium titulo inter ſe vocant; ſin minùs, illâ deficiente & præſens tollente præſidium, brevi convelluntur artus, maxillæ, inteſtina, tuncque vel emicabit febris phrenitica, vel variarum partium œdemata aderunt, vel gula, thorax, maxillæ ſtringentur ad lethum uſque, vel demùm glandularum meſeraïcarum congeſtio nimis tardam invehet diarrhœam. At ſi ſcenam tranquilliorem, vel in ipsâ ſanitate libuerit inſpicere, plurimos videas adultos, quos heſterna crapula papulis & pruritibus afficit plures per dies, imò & ſæpe multò magis duraturis. Hinc maculas enaſci durabiles quis non vidit, imò & ſanitate etiam, ut videtur, reſtitutâ, icteros, pruritus & multa ſimilia? Nec alia eſt ratio cur, poſt febriculas, labia, buccæ puſtulis brevi cruſtoſis afficiantur, quas non licet cum Metaptoſibus confundere, cùm nullius ſint usûs ſive ad morbi curationem, ſive ad hujus mitigationem. Verùm Epigeneſeon illarum ſentinam conſtituunt viſcera excrementis emittendis, aut formandis recrementis idonea: quippe duplex hîc mutationum efficiendarum fons apparet, quem ſufficiunt, hinc ipſius humoris mutatio, illinc viſcerum necdùm ſatis obſervatione deprehenſa ſympatheia: bilem v. g. in virideſcentem, porraceum, & nigreſcentem humorem mutari quis neſcit? At mutationis hujus evidentes cauſas hariolari non ſemper poſſibile eſt. Sic

Quarum ſæpè ſentina in viſceribus excretoriis latet.

vulnus capiti inflictum viroſo illi anſam dat bilis colori. Sic, renibus inflammatis, aut urinam quâcumque ratione retinentibus, ſupervenit vomitus; ut & hepatitidi ſingultus & vomitus; demùm paraphrenitidi buccarum diſtorſio aut riſus ille ſardonicus. Hæc quidem phænomena omnia, obſervatione nimis conſtanti deprehenſa, at certè non intellecta, ſymptomata morbi potiùs efficiunt quàm veras Epigeneſes. At nervi læſi atque convulſi habitum inducunt univerſo corpori convulſivum, non illicò, ceſſante morbo, tollendum. Imò à ſimili morbo, etiam abſolutè ſanato, labes illa ſola remanſit, quâ nervi, antea ſani, ad ſpaſmum proni fiunt, & ad omnes externas impreſſiones ſuſcipiendas apti.

Hinc affectus nervorum paralytici poſt morbos reſidui.

At certè quàm dira, quàm arduè intelligenda famoſa illa Epigeneſis quâ plures colici dolores poſt vehementiſſimos cruciatus in paralyſim deſinunt, & dolorum loco inertiam artuum aliquandò, ſed rariùs, immedicabilem afferunt. Longior certè foret talium malorum hiſtoria, cùm & ipſi rheumatico dolori ſæpe etiam viſa ſit ſuccedere paralytica inertia & frigus partium conſtans, nec per fomenta calidiora tollendum, cui demùm, ſtupentibus Medicis, finem peſſimum impoſuit atrophia maraſmodes. Id quoque poſt febres longas & articulorum longis doloribus infames accidere, etiam apud veteres viſum eſt. Non quidem ſemper ea pro ſimplicibus Epigeneſibus ha-

benda ſunt: at Metaptoſeon nomen malè acciperent. Verùm ſi fœcundam Epigeneſeon quarumcumque ſentinam liceat introſpicere, ſit una pro omnibus viſceribus ſpectanda uteri muliebris facultas, quâ fit ut nulla ſit in miſellis mulierculis corporis pars, quæ non patiatur abſurda ſymptomata ab utero diſſita atque remota, quorum enumerationem hîc enarrare prorſùs longum foret & inutile, cùm nullum ſit ſymptoma quod non æmulari poſſit affectio mulierum hyſterica, quam in viris rependit hypochondriaca illa affectio, à ventriculo & plexibus forſan nervoſis hîc multiplicatis pendens, & in quos ſæpe ipſa affectio hyſterica refunditur. Certè hyſtericas videre eſt mulieres, quibus uterus nullâ ratione ad attactum dolet, quod ſecùs eſſet, ſi aliqua hîc phlogoſeos ſubeſſent veſtigia. Sed de incognitis parùm utile eſt conjectari. Certè affectiones illæ, quæ ſæpe per totum vitæ decurſum viſæ ſunt functiones perturbare & invertere, nihil aliud ſunt præter aliorum morborum Epigeneſes, à prioribus, alioquin ſanatis, inflictæ & altè inuſtæ. Hinc quæ multa invehuntur ab iis ſymptomata, Epigeneſes aliquandò dici poſſunt aliarum Epigeneſeon. Sed certè omnia illa ſymptomata non fugacia ſemper ſunt. Obſervata ſæpe fuit quædam ſpaſmi durabilis ſpecies nunc parti motum adimens, nunc inflammationes & gangrænas inducens,

Huc referri debent & plurimæ affectiones ſpaſmodicæ.

nunc etiam marasmum & tabem parti alicui, corpore cæteroquin sano, inurens. Imò & ipsa cadaverum apertura spasmi istius reliquias ostentavit laxiores quidem, sed ipsâ suâ constrictione insignes, dùm nullum aliud præterea vitium deprehenderet sagax observatio.

Affectus nervei materiæ alicui subtiliori videntur tribuendi.

Si verò morborum illorum singularium scrutemur origines, quamquàm aliquandò sine ullâ evidenti prophasi emicuerint, quanquàm solus animi affectus violentus in mulieribus, at lentior & fixior in viris illos protulerit, difficile est hîc aliquam humoris, seu atomi, seu gas subtilissimi intrà nati actionem non admittere, quæ nunc fixa huic parti adhæreat, nunc volatilis huc & illuc feratur. Quippe non alia est veneni cujuscumque in partem aliquam actio; non alia sunt phænomena, nisi quòd hæc fixiora sint, destruentia, illa verò partes tantummodò sensui atque motui comparatas adoriantur & pessumdent; ita ut (cum SYDENHAMO loquor) vincula illa adoriantur, quæ propiùs corpora cum animatâ facultate innectunt, sepositâ omni in materiem ipsam crassiorem actione.

Inest ergò sensilitati nerveæ & tensioni, aut nativæ aut acquisitæ nervorum, quoties in actum agitur illa & convulsiones procreat, causa certè materiæ donata proprietatibus & actione in nervos sibi propriâ agere nata, licet nullam exerceat facultatem in partes organismo gaudentes firmiori. Nam consentient om-

nes qui ſimilibus morbis obſervandis tempus impenderunt, alias ſæpe functiones immunes à malo ſupereſſe, dùm motus convulſivi immanes corpus proterunt & proturbant; ſi quid enim indicii in functionibus illis organicis reperimus, ut eſt illud quod præſtat vis urinæ limpidæ & aqueæ convulſivis affectibus propria, fugax illud eſt indicium & tantummodò paroxyſmi tempori correſpondens. Nec dubium eſt quin in causâ illâ incognitâ & oculos fugiente inſit aliqua, cuique forſan individuo propria, forſan in ipſis materiæ elementis comprehenſa facultas. Hinc aliam conjectari poſſumus eſſe materiem quæ, rheumatiſmo propior, fixiorem ſpaſmum inducit, articulos inflantem, nervorum tunicas adorientem, & ferè paralyticam quibuſdam impertientem atoniam; aliam verò quæ, huc & illuc verſatilis, nunc has, nunc illas partes adoritur, in nullam decumbens, malo conſtans, ſymptomatibus ſummè variabilis.

Duplex conjicitur eſſe cauſæ genus in nerveis affectibus.

Prætereà verò huic aſſerendæ propoſitioni ſufficiat attendiſſe convulſivis iſtis motibus præcipuè ſubjici ætatem infantilem, ſexum muliebrem; minùs ab iis concuti adultos, robuſtos, exercitatos, in quibus ſpiritus ille rector vividiùs exhalat & meliùs excutitur. Hinc perſpirabilia corpora minùs hiſce cauſis patent & ſubjiciuntur. Nec minùs verò notandum eſt quod ii qui hæmorrhagiis narium in juventute, hæmorrhoïdibus in adultâ ætate

Cauſa materialis morborum nerveorum exemplis demonſtrata.

tentantur, postea vero arthriticos patiuntur insultus, aut morbis vexantur cutaneis, hos, inquam, morbis nerveis maximè fuisse subditos, malum alio malo devitantes. Quid quòd sæpe sæpiùs eæ mulieres, quæ in primævâ ætate nervis prætermodùm laborant, desinentibus paroxysmis illis, cùm jam de malo sævissimo profligato sibi gratulantur, phtisi intereunt pulmonali, aut tabe siccâ consumuntur, quasi id fieret delatâ & congestâ in partem organicam vitæque necessariam materiâ illâ lædente. Verùm materiem illam per multiformes prosequi Epigeneses longum foret: satis fuerit intellexisse inde quasi demonstrari morbos nerveos à causâ materiali pendere, eosque ab hâc causâ procreari, quæ veneni instar agat, nihilque facilius esse quàm, post morbos quoscumque, sive acutos, sive chronicos, superesse reliquias, forsan temporis tractu aliquandò exhauriendas, forsan etiam in alios morbos abituras. Nec meliùs unquam talem ortum, talem exitum videre est, quàm in variolis, quæ vel pueros, vel puellas sæpe per longa temporis spatia nerveis symptomatibus reliquerunt obnoxios. At sæpe post annos virus aliquod, cum præterito morbo nullam servans analogiam, morbis istis nerveis finem imposuit. Nec minùs post luem veneream res eadem accidit, sive lui venereæ id debeatur, sive ejus in ner-

vos non inculpabili antidoto. At veneno ipſi, non remedio, has Epigeneſes deberi inde facilè conjicitur, quòd indurationibus atque congeſtionibus inde naſcentibus reliquiæ illæ infames ſint. Porrò his potiùs tollendis quàm inducendis aptum eſt remedium mercurius. Nec minùs etiam ſcorbuto ſequela eadem familiaris eſt; nec tamen tantùm ſcorbuto & totiûs maſſæ malo, quantùm arthritidi vagæ ſcorbuticæ, atque rheumatiſmis: quippe quicumque ſæviunt crudeliter dolores, facilè materiem nervis lædendis idoneam producunt, illique in hos facilè abeunt. Utiliſſimum certè foret materiæ cujuſcumque, nervos, illæſis cæteris functionibus, adorientis, fata, genus & ſpecies inter ſe diſtinguere. Ecquid enim! cùm tanta ſint organorum in hoc ſymptomatum ſive Epigeneſeon genus afferendum conſentientium numerus atque varietas, certè major adhuc, ex obſervatis in naturâ legibus, productorum debet eſſe diverſitas. Sed ea internoſcere & in claſſes reducere vetat ipſa effectuum à ſenſu & motu pendentium multiplicata in infinitum diverſitas; nullamque aliam diſcrepantiarum claſſem poſſumus diſtinguere; niſi quòd, ut jam anteà dictum eſt, aliæ fixiores ſint & firmo vinculo partibus annexæ, aliæ ſummè volatiles & attrahi ab omnibus partibus quaſi æqualiter valentes.

Sua cuique morbo esse potest subtilioris spiritûs productio.

At certè, si partium tùm solidarum, tùm fluidarum nexus & mutuas in se actionis diversitates paulisper intueamur, quàm diversæ inde pendere & generari possint varietates brevi intelligemus. Et ut, in sanitate, odora canum vis propriam cuique indolem & spiritum rectorem odoratur, ita & in quocumque morbo cur non suus unicuique affectui proprius spiritus rector innascatur, nec tantùm in corpore universo, sed & in parte quâcumque; quod quidem dubitantibus demonstrabit nulli neganda in varias partes, in diversa temperamenta, remediorum administratorum facultas.

Inde fortè contagium.

Ab hoc quidem morbi spiritu, ut ita dicam, rectore, satis enodatur vis illa contagiosa Epigenesibus inducendis apta. Certè contagium, sive labes ab uno ægroto corpore in aliud traducta, triplici sub aspectu potest introspici. 1°. Scilicet spargitur contactu immediato & proximo corporis. 2°. Ægrotantis atmosphærâ corporis, quæ quousque & ad quæ spatia extendatur nondùm satis observatione constitit; nec quis sit ejus *attractivus* impetus à corpore in corpus vicinum definire possibile est. 3°. Demùm atmosphærâ illâ universali in quâ jussu Dei vivimus, movemur, & sumus; quæ, dùm vasa calore humido laxat & dilatat, venenis quibus scatet pro tempore introducendis ansam dat. Verùm, quocumque sub aspectu partes illas contagio-

Triplex contagii genus.

ſas intueamur, quantumvis illas, ſemel natas atque efformatas, à corpore ægro in corpus ſanum traduci poſſe confiteamur, ſicque in populos minùs cautos ſerpere & civitates integras depopulari; licet etiam congerantur, ad luis contagioſæ generationem, funeſtæ illæ conditiones omnes quibus atmoſphæra vitiari poſſit, loca miſeris habitata queant infici, corrumpi alimenta; illud tamen ſupererit, atomos quaſcumque peſtilentiales in ipſo corpore ægroto viventi fuiſſe primùm ingenitas, & ex ipsâ vitæ actione & certamine inter morbum & vires vitales inito primam ſumpſiſſe originem; adeòque aliquam adfuiſſe analogiam inter corpus corruptum & alia circumſtantia corpora, & quod uni accidit potuiſſe pluribus evenire, unde contagio novæ vires addantur. Nec minùs licebit addere corpora alia magis aliis ad tales ſuſcipiendas, fovendas, educandas atomos lædentes eſſe diſpoſita; tùm verò maximè metuendos eſſe iis quos eadem premit aëris, locorum, ciborum conditio. Unde non rarum eſt renovari ſub variis cœli aſpectibus, aut conticeſcere veneni violentiam: quod pluribus morbis epidemicis accidiſſe teſtatur experientia. Sed his ſemel, quæ denegare nefas ratio ſuadet, quæ obſervata docet experientia, poſitis & conceſſis, quantæ ab hiſce cauſis poſſint pullulare Epigeneſes facile eſt hariolari. Quid enim! Si bilis vitietur & labem acceperit à

Prima ejus origo ferè ſemper à corpore ægrotante.

Multas ſubire poteſt Epigeneſes.

quâcumque causâ natam, præclarum erit ægro, si, coctione peractâ, rigor non maturiùs, sed opportunè adveniens, aut icterum prænuntiet, aut, quod melius adhuc, diarrhœam salutarem. Epigenesis sæpe fit ad articulos in morbis rheumaticis & catarrhalibus, quibus evenit ut in veram & legitimam abeant arthritidem; hâc semel verò positâ, per intimum contactum inter sibi opposita corpora fieri Epigenesim & morbi communicationem nulli Medici non fatebuntur. Scorbuticorum halitus gingivas adstantium læsisse visus est. Morbus nascitur ab hâc causâ, symptomatibus aliquibus concors, putredine finitimus, qui aliquâ ratione scorbutus vocari potest, aut certè eumdem postulat medicamentorum apparatum, ut pluries vidi. Uno verbo quidquid acre est & volatile potuit semper ab ægro corpore in sanum traduci, mutatâ formâ, imò & imminutis effectibus, sed causâ eâdem remanente. Sic phtisis pulmonalis, non quidem adventitia & accidentalis, sed quæ quasi connata est & à parentibus accepta, sæpe ab ægro corpore in sanum traducitur. Sed, vis ejus ita fracta est, præsertim in corpore minùs obnoxio, ut multas observando viderim mulierum per phtisim absumptarum ancillas, longo post earum obitum tempore morbo pulmonali laborare, imò prima marasmi pericula experiri, à quibus tamen eæ quæ robustiores sunt, post longa

Scorbuticum & phtisicum contagium.

temporis intervalla convaleſcunt. Idem eſt, ſed rariùs, in ſervis maribus obſervatum; quippe qui plus ſeſe aëri puriori committant quàm fœminæ, & corpora habeant & robuſtiora & cauſis externis minùs cedentia; forſan alibi terrarùm vis iſta contagii ferociùs erumpit, ut de Hiſpanis dicunt corporibus.

Contagium Epigeneſibus characterem imprimit ſuum.

Epigeneſes verò omnes illæ intùs à cauſis intrà corpus conceptis natæ, ita à naturâ fomitis ſic generati pendent, ut multi etiam morbi epidemici id ſibi proprium habeant, ut ſymptoma aliquod princeps præ ſe ferant, recidivas pariter patiantur, & ſæpe poſt ſe etiam eaſdem notas longo tempore impreſſas relinquant. Sic uno & eodem tempore febre catarrhali correptos longa divexavit tuſſis ferina. Sic multos etiam poſt morbum ictericum color cutis affecit plumbeus, ad lividum ſeſe ferens, quos tardior redemit diarrhœa. Sic etiam, morbillorum eruptione vigente, tuſſes aridæ ſine eruptionibus, angunt plures. Similibus obſervatis plenæ ſunt Obſervatorum Chartæ: ita ut inde ſatis facilè quiſque ſibi aſſerat cauſas univerſales eoſdem effectus eſſentiales producere, iiſdem ſubjici variationibus, nec tantùm morbo inducendo conferre, ſed etiam ſuas ſibi habere Epigeneſes quæ à ſuâ naturâ pendent, nec ulli alteri ſubſtantiæ competunt.

Contagii proprietas duplex.

Porrò ab hâc lædentis in epidemicis morbis ſubſtantiæ naturâ ſatis intelligitur actio morborum contagioſorum, quibus id proprium

1°. Adhærendi vis.

ineſt ut à corpore in corpus traducantur. Iis verò proprietas duplex hærere debet; altera quâ in corpore acceptæ utut per ſe volatiles ſint, poſſintque diffundi etiam aliquandò per ingentia atmoſphæræ ſpatia, eâ tamen dote donentur, quâ alicui parti poſſint firmiùs adhærere, nec citò difflari, in quo quidem ingens corporum diverſitas occurrere debet: altera verò, nec minùs neceſſaria, proprietas in eo

2°. Facultas ſeſe multiplicandi.

repoſita eſt ut multiplicari poſſint, & quâdam materiæ effervеſcentiâ ſibi plures alias aſſimilare; in quo quidem peſſimo labore, corpori cuique inſitas proprietates obſervandas eſſe perſpicuum eſt, cùm ſæpe à peſſimis variolis benignæ oriantur, malignæ benignis ortum ſuum referant, ut quotidiana teſtatur experientia. Nec certè hîc locus eſt de iis loqui cautelis quas morbi iſti expoſtulant, nec de corporum naturis quæ morborum iſtorum invaſioni maximè patent. Sed ſummè notandum eſt eos

Corporibus actu acutè ægrotantibus rarò adhæret contagium.

homines qui morbis actu conflictantur, præſertim acutis, & in quibus ad profligandum hoſtem jam vigentem natura occupata eſt, vix ab hiſce contagioſis morbis, licet ipſis contigua ſit causa, attingi. Deeſt ſcilicet in hiſce corporibus una de cauſis quæ ad extranea quæcumque combibenda ſummè requiſita eſt. Facultas ſcilicet abſorbendi in illo tumultuario circulationis ſtatu omninò diſperiit. Præterea verò conditio humorum quæ poſſit alterari, & in pejorem conditionem mutari, am non

existit. Notavere id Medici Massilienses vel in ipsâ peste; quod & ante illos ipse observaverat sæculo proximè elapso SYDENHAMUS. At certè, cùm talis tantusque hostis foras atria servet & obsideat, an non metuendum est ne sic compositus atque complexus fomes novas experiatur degeneres mutationes, novasque inducat Epigeneses? Hinc an non admittendæ sunt in morbis pestiferis quædam à priori scopo deviæ mutationes, Epigenesibus efficiendis accommodatæ? Certè, in nosocomiis magnis, custodes ægrotantium, ipsis invigilandis & curandis sacrati, post curas ægrorum similibus morbis affectorum & magnâ copiâ ab his raptorum, sine febre, sine ullis aliis symptomatibus, nisi illis quæ competunt parti affectæ, anthrace laborant, ingenti cum puris effusione, aut bubonibus quos resolvere nefas est. Aliqui febrem dierum quatuordecim depuratoriam experiuntur, aut etiam malignam, id est aut phreniticam aut comatosam, quæ, cùm principium nervorum adoriatur & actioni vitali noceat, longa est & periculosa. Hæ febres aliquid certè pestilentialis latentis attento observatori offerunt, sed rarò contagiosæ dici possunt, nec pristinam servare ferociam.

Contagii formæ degeneres.

Idem certè de variolarum, de morbillorum, de morborum eruptivorum quorumcumque sequelis pronuntiare licet; & multos morbillis atque variolis non obnoxios in cons-

titutione horum morborum epidemicâ videris, quos capitis dolor & nauſea, quos tuſſis divexant, ſine ullâ eruptione. Imò non ſemel videre eſt viros quos, poſt variolas aſſiduâ curâ tractatas, anthrax adoritur, aut puſtula quævis malignior nunc ſolitaria, nunc multiplicata, parteſque adipe ſcatentes occupans, aut illas quibus cutis tenuiſſima eſt, & per quas inſpiratur aër proximè, ut ſunt buccæ, labia, genæ, &c. Quid? quòd, ſi jam inſit prædiſpoſitio ſcorbutica, gangrænam talis Epigeneſis accerſit & invehit, à quâ brachium ſervi integrum depopulari vidi, nec niſi efficaci kinækinæ auxilio debellari. Talia exempla in actis Academicis plura legi poſſunt.

Nec putredo extrà corpora nata contagii expers.

Nec certè unquam, etiam in morbis non contagioſis, poteſt pro actu indifferenti haberi in aëre putrido vitam agere, ibi edere, & aërem cum alimentis vorare; imò nec in pulcherrimis, at duris certè, anatomes laboribus indifferens eſſe debet quodnam ſecetur cadaver: nam nec ipſum contagium omninò à cadaveribus abeſt, quæ frigida quidem & inertia, vires contagioſæ particulæ non addunt, niſi quas ipſa corporibus animalis putredo infert & advehit, at ſaltem, comparari atque conferri poſſunt cum mercibus illis peſte imbutis & infectis, quas commercium affert, & quarum effectus, teſte experientiâ, plures per annos, ut in Meſſanenſi peſte nuper conſ-

titit, differtur. Nec tempora adhuc durationis illius potuerunt ſtatui. Uno verbo contagium illud, aromaticarum partium more quæ in animalibus ſæpe naſcuntur, ingentem nanciſcitur cum partibus animalibus adhærentiam, & debilitatum quidem minùs agit, at actionem illam ſervat quæ poſſit variis de cauſis exſuſcitari & ad priorem redire ferociam ex partium analogiâ. Temporis quidem ſpatio, dùm atomi peſtilentiales in varia traducuntur corpora, efficaciam primævam videntur aliquâ ratione amittere, atque in ſuâ ferociâ frangi & multiplicatione imminui, imò in Epigeneſes abire diverſas, ut de febre flavâ peſtilentiali apud Americanos conſtitit, & de lue vereneâ apud nos, quæ, gonorrhœâ virulentâ ſemel procreatâ, multùm de priſtinâ amiſit ferocitate. Attamen non huc uſque datum eſt aut tempus hujuſce durationis definire, aut degenerem nec jam metuendam ipſi indolem aſſignare. Certè pluribus à peſte ſanatâ remanſerunt dolores & abſceſſus articulorum, imò & glandularum obſtructiones, quæ poſteà reſolutæ, nullum peſtis indicium protulere. An pars illarum quæ peſti tribuuntur reliquiarum, referenda foret ad incuſſam formidinem, quæ ſola ſine aliâ causâ corpora conturbare potuerit?

Ipſi chronici morbi novas concipiunt vires à ſuſcepto contagio.

At cùm acuti ferè omnes morbi contagia nova ix admittant, non idem dicendum eſt de chronicis affectibus, qui ſine ullâ naturæ

actione, imò eâ inerti remanente, contagia omnia eò altiùs combibunt, quò minorem causis lædentibus resistentiam offerunt; tumque duplicatur actio causæ prioris jam in motum concitata & commota. Ita hîc commemorare vix utile est quot Epigeneses scorbuticæ, brevi petechiales factæ, sese variolis conjungant atque commisceant; quot inde nascantur pericula, nunc hæmorrhagia per renes metuenda adeò habita SYDENHAMO, nunc inertia gangrænosa articulorum, nunc sputa, vasorum ruptorum in pulmonibus indicia, brevique morti apta inferendæ. Nec in morbillis etiam complicatio illa incognita, quæ, ubi morbum effecit atrocem, Epigeneses relinquit eò magis timendas, quòd prioris morbi indoles novas, à reliquiis relictis & motu sanguinis aucto immoderatè, vires accepit: idem certè quod de scorbuticâ lue pronuntiamus, de reliquis omnibus complicationibus morborum, præsertim cutaneorum intelligere est. Sic herpetes qui ante morbum inflictum sæviebant, acriùs post ipsum efflorescunt, plaudentibus sibi ægro & Medicis, quamvis effectus morbi malè pro ejus causâ habeatur. At complicationum pessima & Epigeneseon maximè ferax est lues venerea. Hæc enim delituisse potest & quasi iners in glandularum anfractibus recubare. At ipsi, natura contagio novo concitata, ignotum priùs & minùs prævisum furorem conciliat: hinc ante omnia

dolores

dolores enaſcuntur, qui quidem locum novo morbo laborantem occupent, at qui longè ſæviores ſint quàm vis morbi videretur poſſe concitare, aut febris ipſa poſtulare. Tùm non continuo ictu percutiunt, ſed per horas, præſertim nocturnas, recrudeſcentes, ad oſſa uſque videntur pertingere, imò eorum perdunt ſubſtantiam. Coctio hîc ſemper in excrementis imperfecta eſt, & lymphaticam glutinoſam acrem indolem profert, quæ vias naturæ ſenſu vellicat importuno. Ubi verò novus morbus conticuit, tunc ſeſe evidentem præſtat lues venerea huc uſque latitans, ſuis agnoſcenda ſymptomatibus. Sed multò magis funeſtè res peragitur ſi lento tabo partes virus illud peredat internas, aut, in ipſis ſecretoriis organis conglutinata, vis veneni phthiſim aut hydropem accerſat; quæ quidem ſymptomata in lue venereâ atrociter exoriuntur & plurimos morte plectunt ægrotantes: at eadem etiam mitiùs, nec tamen ſecurè, in morbis arthriticis atque rheumaticis agunt, quibus etiam id non incognitum eſt ut cum lue venereâ conjungantur, & tandem ab articulis ad ipſam oſſium ſubſtantiam penetrent, Epigeneſimque ideò magis metuendam inferant, quòd latitare poſſint oſſea illa ſymptomata, & cauſæ alii adſcribi, ſcilicet fomiti arthritico per ipſam ſuam naturam ſæviſſimo.

CAPUT TERTIUM.

De Epigenesibus quæ à Chirurgiâ pendent.

Chirurgici casus Epigeneses ex se inferre valent.

QUANTUMVIS ea omnia Epigeneseon genera quæ ad Chirurgiam pertinent, sive ea fors attulerit, sive induxerit ipsa rei necessitas, possint referri aut ad solidorum malam conditionem, aut ad fluidorum depravatam indolem, norintque satis Medici quantùm in curandis vulneribus valeat rerum externarum directio; tamen multæ sunt Epigeneses quas in casibus chirurgicis, sed præcipuè in mulierum partu, inducit propria & specifica mali natura, ita ut non possint ad classes alias quascumque referri. Læditur enim in hisce casibus propria viscerum organica fabrica. Unde, præter causas jam memoratas, variæ possunt supervenire Epigeneses à viscerum positurâ, à sympatheiâ naturali harumce partium, earumque cum aliis consensu : tùm variæ etiam malorum formæ nascuntur à prædebilitatis, tùm vasorum, tùm viscerum tono atque structurâ.

Divisiones Epigeneseon à Chirurgicis casibus oriundarum

Harum Epigeneseon aliæ necessariæ sunt & effectus prævisos inferunt, aliæ tantummodò accidentales dici possunt, & in incautos improvisò irruunt. Imò & cùm de casibus chirur-

gicis Epigeneſeon cauſis agimus, eos duplici ſub aſpectu intueri neceſſe eſt. Primò cùm recentes ſunt & eo ipſo tempore quo fuerunt illati; ſecundò dùm corpus continuatis tormentis divexant novaque inducunt phænomena, ſive ab internâ cauſarum ſerie repetita, ſive ab externorum erroribus naſcentia.

Epigeneſes ſub ipſo mali accidentis tempore.

Verùm ante omnia, ubi pars aliqua concuſſa, contuſa, fracta, luxata, vulnerata eſt, vigentibus anteà omnibus functionibus, nullâque culpabili exiſtente in ſanitate notâ, ſi Epigeneſis aliqua quaſi ſubita accidat, hæc prorſùs à partium ſympatheiâ & poſiturâ repetenda fuit. Talis eſt Epigeneſis illa quæ capitis vulneribus accidit aut ejus concuſſibus ſupervenit; vomitus ſcilicet porracei atque virideſcentes: quippe caput nunquam graviter læditur quin ventriculus partem mali maximam in ſe ſuſcipiat, quanquàm & uſu & diſtantiâ tantùm abludat, quantùm inter ſe functiones differre poſſunt: tùm verò aliæ recenſendæ ſunt Epigeneſes quæ ſuperveniunt tardiùs, imò aliquandò ſenſim ſine ſenſu fiunt; ut lateris unius ab oculo ad pedem uſque torpor, unde & loquela & deglutitio ipſa præpediantur, unius oculi aut alterius ſubverſio, aurium bombi, & maxillæ convulſio quæ ſæpiùs aliis præludit convulſionibus; tùm etiam ex oculis prodeunt injuſſæ lacrymæ, adeſt torpor in ſenſibus quibuſvis unius lateris, memoriæ etiam debilitatio, imò & judicii infirmitas:

Epigeneſes ſympathicæ à læſo capite.

hæc omnia ſequelæ & effectus ſunt partium capitis concuſſarum; verùm, cùm diutiùs malo durent, & reſtitutâ etiam ſanitate vigeant, ut poſt capitis concuſſus obſervatur, pro Epigeneſibus haberi poſſunt. Effectus ſimul ſympatheiæ & poſitionis partium ſæpe reperitur in oculi unius læſione alterum lædentis, & visûs univerſalis ob hanc cauſam hebetatione. Quod ſæpe etiam in geminatarum partium, quæcumque ſint illæ, læſione occurrit, eâ tamen ſervata lege, ut quæ fuit illæſa per cauſam evidentem, minùs laboret eâ congeneri quæ ictum aut vulnus ſuſcepit.

Et certè nullibi adeò evidenter ſympatheiam illam, ſive corporis partium conſenſum annotabimus, ac in ſubitâ illâ læſione quam inflicta inferunt vulnera, à quâcumque causâ in corpus illa inciderint. Hinc nullum ferè eſt vulnus grave, quod non ſecum trahat convulſionum genus nòn unum, quod, etiam poſt mortem, ita ſæpe corpus contraxit, ut ſpaſmorum variæ figuræ in cadavere remaneant. Ita riſus ille ſardonicus, ſeu potiùs convulſiva contractio quæ vulnera diaphragmatis excepit, mortuos non deſerit, licet laxior appareat. Nec etiam ſpaſmi violenti abſunt, tertiâ quidem ſui parte minores, in cadaveribus quibus vivis contuſi aut vulnerati fuere teſticuli: quibus ſæpe violenter læſis accidit ut gula & œſophagi principium convulſionibus tententur, & anginâ convulſivâ ægri pereant.

Convulſiones in vulneribus.

Quod quidem consensûs vix intellecti symptoma jamdudùm ab Hippocrate fuit observatum. Convulsiones quidem omnibus partibus violenter læsis communes sunt, aut præ doloris sensu, aut præ gravi hæmorrhagiâ, quæ ab inanitione nata convulsio, HIPPOCRATI olim annotata, & omnibus evacuationibus enormibus communis, non potest magis quàm quæ à doloribus oritur inter Epigeneses numerari. Sed quæ improvisa adest, nec pendet ab ipsâ partis positurâ vera Epigenesis est, eaque accidit, vel ab ipsâ nervorum præcognitâ debilitate, quæ effectum conduplicat, ut si terror aut aliquis animi affectus jungatur; vel à nerveis fibris partim contusis, partim discissis, aut membranis quibuslibet sentientibus læsis, ut familiare est articulorum fracturis aut contusionibus violentis. Nam plures jure annotarunt Chirurgi quòd partibus jam bellè compositis & statum nativum, ut videbatur, jam suscipientibus, aliquandò convulsiones brevi emicent violentæ, quas aut citò mors excipit, aut solvit somnolentia ipsa sæpe convulsionum non expers, licet eas leniat & faciat minùs metuendas.

Epigeneses in vulneribus à tempore læsionis remotiores.

Verùm etsi sæpe Epigeneses nullæ notabiles observentur illo quo læsio accidit temporis puncto, quo & stupet natura, & functionum in suo statu naturali consistentium major est resistentia, res aliter se habet ubi jam lecto compositus est æger, novaque quasi vita

A primis viis.

ducenda eſt. Tunc anxietates animi, tunc quiſquiliæ intrà ventriculum contentæ, quod in improviſo caſu frequens eſt, ſuas partes agunt & novas inducunt Epigeneſes. Tunc enim vel vomitus, vel ſingultus, vel nauſea caput impetunt, &, maximè mutabilis humor, bilis ipſa nova invehit ſymptomata. Tunc ſi quod latet intùs venenum, illud in partem læſam delabitur, doloreſque infert, convulſioneſque enormes, ut de arthritide evidens ſæpe eſt, de ſyphilitide minùs perſpicuè obſervatur. An non tunc de ſuâ illâ adeò jactatâ certitudine deturbatur Chirurgia, titubantique arte prognoſticâ mixtum ſpei timorem admittit, unde ſæpe Chirurgo minùs prudenti errorum fontes naſcuntur. Sic viro olim accidit, cui poſt caſum violentum atrocia vomituum aderant ſymptomata, aderat capitis dolor. Rem caſui illi referendam putabant omnes, nec ſanè immeritò, cùm emicuere variolarum ſymptomata non dubia. Nonne etiam, dùm aliquis violentum aut vulnus aut contuſum patitur, ſi periculum aliquod adſit, vultus è florido brevi pallens reperitur, imò brevi flaveſcit, flacceſcitque muſculis decidentibus, hiant palpebræ, ipſa etiam dilatatur prætermodùm pupilla, quæ ſæpe in infantibus latentes in capite concuſſiones denotat. At paulò poſt, ſi qui lateant in diſſitis partibus concuſſionis effectus, ab ipsâ mechanicâ partis ſtructurâ pendentes, nec tamen minùs Epigeneſeon titulo digni, emicant

A latente veneno.

Ab animi affectibus.

A concuſſione factâ in partibus diſſitis.

illi, propriiſque ſe ſymptomatibus denotànt. Ita miſeris qui in pedes perpendiculariter, ſed violento caſu, incidêre, verum à capitis concuſſione periculum impendet, cui vix primis diebus credant ægroti. Sed ubi jam ſedata videntur omnia, tunc ſomnolentia, dolor gravativus capitis, functionum animalium debilitas veterno atque convulſionibus videntur præludere; fitque ſtatus ille febrilis quem Medici vulgò (jure an injuriâ?) febris malignæ nomine deſignare ſolent. An inter Epigeneſes numerabimus contrafiſſuras, contralæſiones, aliaque mala illa quæ, cùm à ſtructurâ partis & legibus mechanicis pendeant, licet eodem temporis puncto quo ictus ipſe inflictus eſt fuerint inuſta & impreſſa, poſteà tantùm ſui ſigna dant non ſine erroris metu? Certè malum extitit per ſe, licet aliquandò delituerit: at ſæpe evenit ut parte unâ læsâ abſceſſus in aliis efformetur; quod verè Epigeneſim conſtituit. Ita pleni ſunt Authores obſervationibus quibus conſtitit quòd, capite percuſſo, abſceſſus inde in hepate nati, miſeros poſt longa tempora peremerint. Scilicet concuſſus, pro variis corporis poſitionibus propagati, in hâc aut illâ parte hærent & reſtitant, ibique congeſtionem efficiunt; debilitas enim in parte ad quam hæſit ictûs violentia, ab ipſo inflicta eſt. Præterea, ut jam dictum eſt, nulla eſt capitis læſio quæ non in bilem atque bilis organa actionem exerat. Quod

A malo ſympathicè in diſſitas partes tranſlato.

ſi ultrà perſequamur eas quæ cæteris quarumcumque partium fracturis ſuperveniunt Epigeneſes, longa laboris tædia erunt perferenda : nulla enim eſt de cauſis externis quæ in hoc caſu actionem aliquam exerere non poſſit; nulla de cauſis internis quæ externæ læſioni reſponſare non queat. Hinc ſæpe, ſed præſertim in articulorum & membranoſarum partium aut fracturis aut diſtractionibus, &, ut veteres dicebant, ſpaſmatibus naſcuntur eryſipelata. Hinc etiam, aditu aëri conceſſo nec per artem belle defenſo, viſa ſunt univerſi corporis emphyſemata, in partibus præſertim ad thoracem pertinentibus, & aëris tumores ſub digitis crepitantes, quos, ſi alia non vetant, natura ipſa, aërem combibendo & deſtruendo, diſſolvit : illud quidem emphyſema admodùm cum eryſipelate jungitur, & ipſam cutem diuturnâ affligit laxitate & imperſpirabili fatiſcentiâ. Quid quòd inde renum actio & vacuationes quæcumque prohibentur : ne hîc longiùs de febre ſuppurationis ſecundariâ loquamur, & eâ quæ, ſuppurationi juncta, per errores regiminis aliquandò peſſimam ſibi indolem aſſumit, atque omnia infert febrium putridarum & malignarum ſymptomata. Nec tamen de iis, ut de rebus ſatis cognitis, utile eſt longiùs diſſerere. Hîc atmoſphæræ in plagis atque fracturis influxum prætermittere licet, cùm ſatis ex Chirurgorum querelis compertum ſit, non impunè aërem fracidum & vietum

Eryſipelas & emphyſema.

Effectus perverſi regiminis in vulnerum curâ.

Vieti aëris, &c.

ſqualidorum noſocomiorum ab ægris capite vulneratis inſpirari, ut jampridem de noſocomio Neapolitano querebatur M. Aur. Severinus. Quod etiam crimen in magnum noſtrum noſocomium à pluribus refuſum eſt. Scilicet, loco bonæ atque legitimæ ſuppurationis, ſuperveniunt improviſa comata, mox aut in delirium aut in veternum abitura, brevique convulſus æger moritur. Nec minor atmoſphæræ ſalubri & moderatæ conditioni attentio adhibenda, peritorum Chirurgorum judicio hîc adducto, in magnis quibuſvis operationibus Chirurgicis, ut eſt, v. g. lithotomia, quam fervente ſyrio aut vigente hieme, niſi leges ſuperans neceſſitas imperet, reformidant omnes. Porrò, quantæ ab hiſce cauſis Epigeneſes febriles & inflammatoriæ accidant, cùm ſemper proxima ſit lethalis convulſio in tantâ partium laceratione, fatentur omnes. Nec ullo alio in caſu adeò momentoſa fuit ſtricti regiminis ordinatio, animi tranquillitas, & uſus ſalutiferæ atmoſphæræ, omniumque rerum non naturalium legitimus. His omnibus in caſibus ſemper præ foribus ſunt partium vicinarum inflammatio, brevi per omnem diffundenda machinam, & febrem accendens gangrænoſam, aut eumdem effectum, ſed breviorem, efficiens convulſio, quæ, dùm viſcera vitalia adoritur, vitam deſtruit. Demùm gliſcens undique putredo lentiori quidem paſtu incedit, ſed graſſatur in proturbatâ & jam non repara-

bili naturâ undique, unde flaccescunt partes affectæ, nec depurantur, sed quam ab externis accepere noxam dùm pejorant, malum conduplicant.

Effectus succussionum merè spasmodicus.

Et certè omnia hæc in quibuscumque chirurgicis casibus Epigeneseon fundamenta viderant omnes Authores antiqui, ipso duce HIPPOCRATE, & ferè in omnibus casibus qui ad Chirurgiam aut strictè aut laxè acceptam pertinent. Nec aliâ ratione in corpus agunt violentæ illæ succussiones atque ipsa prima infantum dentitio, cùm scilicet aperiendæ sunt gingivæ, & dentium acumen eruendum. Imò in causis quibuscumque violentis & inassuetis semper convulsionis metus inest, & quidem eò magis quò tenera magis sunt corpora. Ita forsan atmosphæræ solius incuria, si Authoribus fas est credere, Nigritas servos in Americanis insulis vix ad lucem emissos convulsionibus corripit & maxillis spasmodicè ad se adductis enecat. Imò & externorum omnium negligentia sævissimam post morsum canis non rabidi induxisse visa est hydrophobiam, quam aliter potuisses, saltem ad usque gradum aliquem præcavere. Jam satis alibi abundè dictum est de nocumentis in vulneribus, ut & in morbis à lue venereâ atque scorbuticâ inducendis. At lui rachiticæ aut scrophulosæ id proprium est quòd præ omnibus aliis lymphæ vitiis turpes efficiat cicatrices, squalidas illa atque retorridas. Iis verò omnibus venenorum formis com-

Luis venereæ rachiticæ & scrophulosæ in vulneribus effectus.

mune piaculum eſt quòd ubi ſemel febris exarſerit ſuppuratoria, illa facillimè nunc in putridam vertatur, nunc in lentam, imò aliquandò hecticam, cùm ſcilicet pus ab eorum noxâ naſcatur non jam album, læve & æquale, ſed venenorum intùs latentium particeps, nec coagulandis evadat aptum vulnerum oris, nec vaſculorum aut cellularum coërcendæ atque moderandæ pullulationi, ſed contrà extùs oras vulnerum induret intùs reſorbtum, & omnes acredinis effectus exerat.

Enim verò ſi compoſitiones omnes Chirurgiam ſibi poſtulantium affectuum cum cauſis aliunde petitis, naſcendaſque inde Epigeneſes ſectari animus foret, certè per univerſum artis ambitum exſpatiandum eſſet. Res ex dictis anteà ſatis intelligitur, quippe in omnibus hiſce caſibus, cum inflammatione, puris confectione, gangrænâ & refluis humoribus res agitur. Verùm hîc de ſimpliciore Chirurgiâ agendum eſt, circà quam mirum certè videbitur quantùm ad Epigeneſes devitandas attentionis ad omnia ſit adhibendum; quantùm vel una neglecta cura poſſit inferre & periculorum & Epigeneſeon, quoties ſecandum fuit notabile vulnus, quoties ejus oræ dilatandæ, quoties aut amputandum aliquid ſuperfluum, aut apponendum quod deficit. Primùm interdictum atque ipsâ rei naturâ prohibitum eſt exercitium quodvis, nullus enim eſt motus qui

Epigeneſes ab ipſis neceſſariis in Chirurgiâ cautelis.

Ab exercitii defectu necessario.

ſua non afferat nocumenta, qui in actuoſitate naturæ, & legitimo ejus inceſſu, moras non nectat. Imò ex ipsâ læſionis formâ, ante omnia poſituræ corporis cura habenda eſt, & ab ipsâ, quam ars ex inſtrumentis lædentibus organiſque læſis ſedulò inſpectis imperavit, recedere nefas eſt. Verùm iſtius poſituræ quanta ſint incommoda, & quàm diverſæ inde Epigeneſes naſci poſſint, ſatis intelligere poterit quicumque parumper attenderit quantùm machinæ noſtræ interſit ut partes motum & poſituram varient. Inde enim hìnc fit tarda humorum ſecretio, illinc ſecretorum humorum accumulatio, ſtagnatio, & induratio. Et hæc eſt una de cauſis quare poſt operationes & poſituras chirurgicas toties tardior ſit reconvaleſcentia & virium acciſarum reditus vix integer. Primò enim partis in quam decumbunt ægrotantes miſeri compreſſio dolores in eâ immanes concitat; unde fit ut ægri eâdem poſiturâ decumbentes, vulgò ingentibus ad talos cruciatibus ita divexentur, ut periti Chirurgi de hoc malo ſublevando ſeriò laboraverint; imò ſæpe pueris, quos longa in ſtatu illo contrà naturam detinuit mora, ipſa corporis rectitudo vitiata fuit & immedicabili diſtorſione deturpata. Inde quoque rachitidem & partium etiam diſtorſionem natam vidiſſe me ſi dixerim, nihil novi proferam, cùm ſimilia omnes viderint. Nec rarum eſt præpeditâ perſpiratione cutim deturpari univerſam, dùm calli naſcuntur in

partibus quas aut laquei affligunt, aut lectus detinet hærentes & fixas. Verùm non in externis tantùm ſcena tranſigitur : nam, poſtquàm longâ quiete ſtagnans induruit bilis, fiunt ſæpiùs calculi bilioſi ; & icterus ægros, jam per ipſam quietem ad cachexiam proclives, longis faſtidiis atque tædiis, imò & cruciatibus vexat. Notum eſt colicos, ut aiunt, bilioſos dolores à Chirurgiâ jam liberatis eſſe familiares, & longum imperare ſæpe aperientium uſum. Sed nihil frequentius eſt, poſt decubitus longos, quàm calculos in renibus aut pelvi urinariâ, aut in urethrâ, aut demùm in veſicâ naſci, quod ſaltem tormenta importet nephritica calculorumque ejectionem duram & difficilem, imò cruciatibus atrocem. Sed ſævior adhuc metuenda ſupereſt Epigeneſis, ſi nucleus ille lamellatim increſcat, novaque expoſtulet operationum tentamina, ſuis etiam Epigeneſibus metuenda, ut ſunt urinarum ſtillicidia, ſtranguriæ, ulcera, mucoſæ in veſicâ concretiones, & earum ejectus impoſſibilis. Quid quòd ab hâc causâ, calculi ſcilicet præſentiâ, toties remaneant ani procidentia, hæmorrhoïdales tumores, quos ipſa loci poſitura inducit, & quibus favet longa in hepate ſtagnatio ſanguinis, reditus ejus per motum impeditum tardatus, biliſque ſecretio ſtagnans ? His etiam cauſis, ut & omnibus chirurgicis manum præcipuè poſtulantibus affectibus, addendus eſt animi terror, metus, mœ-

Ab animi mœrore.

ror. Qui omnes animi affectus, tempore ingruentis ſuppurationis mechanicè aucti, fortunam operationum ita aliquandò mutavere, ut, ſpaſmo violento ab hâc causâ illato, ægri quaſi ſubitò & improvisò pereant, ſine ullâ aliâ notabili mutatione vel in ſolidis vel in fluidis. Spaſmus enim in partes debilitatas irruens loco actionis legitimæ à naturâ requiſitæ, gangrænam & ſphacelum inducit, dùm ſimul motum cordis & vaſorum ſupprimit. Sicque miſerrimi ægri ſuffocatione ſubitâ è medio tolluntur, quòd aliquandò, vel in ipsâ operatione, inter cruciatus accidiſſe viſum eſt.

Epigeneſes in graviditate & partu.

At natura ipſa Chirurgiæ ditioni miſeras ſubjecit mulieres, impoſito onere geſtandi atque poſt ſtatum tempus fœtum emittendi atque parturiendi. Quæ quidem operatio, ſi in ſuâ ſimplicitate ſpectetur, Epigeneſes in geſtatione moleſtas efficit, ſed nullâ ratione metuendas, à compreſſione partium & diversâ corporis poſiturâ oriundas. At ſi vel præviſa mulieris debilitas, vel animi terrores, vel nervorum irritabilitas ſumma hîc ſymbolum aliquam adjiciant, proh quantæ quàmque funeſtæ Epigeneſes miſellis impendent! Aliæ quidem à mechanicâ impreſſione, deturbato vaſorum & circuitûs ordine oriuntur, dùm geſtat quotidianæ mutationi objecta mulier; aliæ à nervorum mutato tono pendent & ab eâ facultate prorſùs alteratâ, quâ ſenſationes in vitæ ordinato ſtadio excipiuntur. Porrò in variabili

1°. Tempore geſtationis.

Preſſione mechanicâ.

Nervis affectis.

illâ vitæ conditione, quantùm etiam ab institutâ secundùm nativam constitutionem indole differre debent humores ipsi, sive in proportione, sive in naturâ elementorum, dùm jam longâ morâ secretio lactis à naturâ præparatur? Præterea verò primis mensibus exuberat sanguis, nunc caput impetens, nunc thoraci & partibus in eo contentis infensus, nunc hepar & cætera viscera opplens pro nativâ harum partium debilitate. Hinc sæpe gravidis comata, hæmoptyses, hæmorrhoïdum eruptiones, anhelitus, imò & hepatitides, singultus, vomitus, dùm nausea ipsis quasi in habitum vertitur, partim à nervorum irritatione, partim à sanguinis regurgitatione. Intereà verò sero alluitur parùm cocto aut potiùs semi-cocto sanguineus latex, qui, acido redundans spontaneo, dolores invehit osteocopos, præsertim verò dentes & gingivas inficit, unde per totum gestationis tempus, imò & post partum, dentium dolorifica caries sæpissimè obversatur. Nec aliam ob causam sæpe gestationis tempus dentium amissione notatur. Ab eodem fonte oriuntur tam sæpe pica & malacia, imò absurdorum alimentorum cupido, adjuvante præsertim imaginationis debilitatione. His jungitur, compressionis partium auxilio, icterus, ad usque partum invalescens, quem viridem, porraceum, imò & absolutè nigrum vidi. Si desit universalis icterus, at maculæ saltem corpus

Mutatis humoribus.

Sanguine refluo.

Vitiatâ coctione.

Vitiatâ bile.

deturpant, & huc feruntur vel illuc: ne loquar hîc de crurum femorumque tumefactione, quæ tam sæpe mirum in modum augetur, ita ut nihil de pristinâ formâ remaneat. Uno verbo gestatio est cachexia cum suis sequelis, effectibus & Epigenesibus, quas si numerare velis, inutilem luseris operam, cùm fatendum sit ipsis vix aliam competere curam præter expectationem, cùm symptomata illa omnia partu solvantur, aliisque locum cedant non minùs gravibus, sed acutie suâ magis reformidandis.

2°. Epigeneses ab ipso partu.

Partus verò, inter operationes quæ nixus vehementes postulant solutionemque continui efficiunt recensendus, nòn solùm Epigeneses multas chirurgicas inducit, quæ pendent à partium continuarum fracturâ & rupturâ, ab earum decidentiâ, à non integrâ secundinarum aut extractione aut vacuatione: sed etiam spasmo violento, nunc fixo, nunc alternis vibrante & oscillante, vel symptomata in maximè dissitis partibus nervea concitat, ve in ipsâ parte inflammationes horrendas, torminibus, singultu, vomitu, ventris tumefactione, & mammarum decidentiâ metuendas, quibus brevi jungitur aut phrenitis aut apoplexia. Verùm sæpe ipsa vacuandi humoris indoles putridas febres invexit, in quibus effusi humoris crudi sola quantitas, potest perniciem alioqui certam accersere. Quid quòd sæpe negligunt minùs cautè sabur-

ræ delitescentis, & ab ipsâ intestinorum positurâ multiplicatæ, reliquias artis auxilio vacuare; unde putridus fomes novus exurgit. Intereà verò, dùm status intestinorum mutatur, flatus glomerari necesse est & tormina sentiri, quo quidem parvi momenti tormento paucæ sunt mulieres quæ careant, nec quidem aliquibus sine periculo transiguntur.

Jam verò si lactis, jam parciùs post paucos dies fluentis, refluum in mammas impetum, atque etiam in alias partes præcipuè cellulosas intueamur, tùm quibus de causis cohibeatur illud in his illisve partibus, & quos inducere possit effectus in corpore prædebilitato, quod regit nervei toni fracti tumultus, mille Epigeneseon Metastaseonque causas inveniemus, quæ, cùm ad acrimoniam aut plethoram referantur superfluam, ad alios titulos aut jam tractata aut mox tractanda referri debent. Unde priori huic mutationum in morbis inductarum tractationi finem imponemus.

3°. A lactis secretione.





PARS SECUNDA.

De Metaptosi.

METAPTOSIS, de quâ nunc, argumento prorsùs difficili atque intricato, dicendum incumbit, morbi quamlibet mutationem designat, quâ positâ, forma morbi atque ipsius symptomata novam accipiunt indolem, nova oculis phænomena subjiciunt, ita tamen ut novus morbus à præcedenti pendeat, & alter in alterum translatus videatur : unde à πίπτω & à μετὰ vox ipsa derivatur.

Quid sit Metaptosis? In quo differat ab Epigenesi.

Differt Metaptosis ab Epigenesi de quâ mox tractatum est, in eo quòd additur in Epigenesi malum malo, morbus morbo, veteri causæ nova accedit eique jungitur, sua inferens sibi propria symptomata. In Metaptosi mutatur prior ipse morbus, & in novum affectum transit, prorsùs à priori degener. Dùm huic ultimo curas affert ars sedula salutares, totum tollit morbum quod in Epigenesi non semper sperandum est. Differt etiam à Metastasi, quæ tamen maximam Metaptoseon partem comprehendit, ut genus à specie : nam Metastasis fit semper à naturæ nixibus, criseosque speciem sive bonam, sive malam comprehendit : Metaptosis verò nil nisi mutationem morbi sinit apprehendere, à quâcumque occasione orta fuerit illa. Hinc omnia

In quo differat à Metastasi.

quæ corporis conditionem, & organorum facultatem immutant, pro Metaptoſeon fonte haberi poſſunt; adeòque pendere debet Metaptoſis quæcumque à variabilis & parùm conſtantis naturâ cauſæ, à rerum non naturalium influxu, à corporis alteratione aut præviâ aut ſuperveniente. Poteſt ergò Metaptoſis aut arte, aut mechaniſmo corporis effici: unde Metaſtaſis quæcumque Metaptoſis dici debet, ſed non omne Metaptoſeon genus Metaſtaſeos titulo poteſt inſigniri.

Duplex Metaptoſeon conſideratio.

Ex hâc ſimplici & univerſali rerum in morbis ſupervenientium conſideratione naſcitur prima partis hujuſce operis noſtri diviſio, quâ Metaptoſes aut Metaſtaticæ ſunt, aut non Metaſtaticæ. Altera ſcilicet ſimplicior eſt, eſtque mechanica morbi organorumque mutatio. Altera vim vitæ ſupponit morbo adverſariam, & cum causâ morbi decertantem; cōntinet ergò aliquam criſeos aut perfectæ aut imperfectæ efficiendæ ideam. Verùm ut hæc poſterior Metaptoſeos ſpecies, Metaſtaſis, magnam & longam ſymptomatum obſervationumque ſeriem ſibi vindicat, & propter agentis naturæ conamina proprium verè impreſſum ſibi character gerit, propriam quoque ſibi habebit operis hujuſce partem in quâ tractabitur.

Metaptoſis ſtrictè dicta.

Nunc verò Metaptoſis quæ non fit à viribus naturæ, ſed ſimplex eſt, pendet à cauſis eam concitantibus, aut eam inferentibus accidentibus. De hâc, ut à ſimplicioribus ad magis

compoſita procedendum eſſe ratio indicat; primùm agemus, hujuſque & naturam & varietates aſſequi conabimur.

Metaptoſeon natura varia.

Metaptoſis eſt morbi mutatio. Adeſt eadem quæ noxam functionibus intulit cauſa hoſtilis, ſed, aut mutatâ indole, aut priore ſede relictâ, ceſſant quæ priùs perniciem minabantur ſymptomata; exurgunt alia, à prioribus prorſùs diverſa, nunc pejora prioribus, nunc minorem incutientia formidinem. Ita, ſi pleuritis mutatur in phrenitidem, ſi eryſipelas quod extùs erat ad interiora vertatur, ſi febris quæ intermittens erat, mutato ordine, in continuam evadat, totidem nobis apparent Metaptoſeos ſpecies. Ut etiam à chronicis affectibus exempla petamus, ſi qui priùs aderat herpes, relictâ cute, pulmones laceſſat, ſi quæ gonorrhœa fluebat, virulentâ concitatâ inflammatione, aut teſticulos invadat, aut deſæviat in inguina, cauſa remanet eadem, forma morbi mutata eſt, adeſt Metaptoſis. Sic etiam multa & varia Metaptoſeon ſymptomata æmulantur affectiones hyſtericæ & hypochondriacæ, ita ut nunc deliria, nunc ſopores inferant, nunc colicis doloribus vehementiſſimis corpus concutiant, nunc verò epilepticos inſultus mentiantur. Eæ quidem Metaptoſeon ſpecies quantumvis, cùm ab ipsâ naturâ morbi pendeant & ab ipsâ repetantur, primariam morbi indolem vix mutare dicendæ ſint, adeòque Metaptoſeon nomine

nequeant ſtrictè deſignari, certè tamen nullo alio nomine appellari poſſunt, ſi ſymptoma morbo familiare & pluries redivivum jam alii ſymptomatum ſeriei locum cedat. Quæ quidem obſervatio, cùm ad nerveos illos famoſos affectus præcipuè pertineat, tamen etiam ad illos omnes refertur qui non in parte organicâ ſedem fixam ita cepere ut ejus organiſmum adoriantur, ſed pendent à causâ fugaci, aut ſaltem mobili & volatili quâcumque, ut ſunt humores acres, alienigeni, venenati etiam & peſſimi. Hinc ergò Metaptoſeon illarum duplex diſtinguenda ſpecies: alias enim ipſa morbi natura à fugaci & volatili causâ pendens intulit, inferetque quoties eadem cauſæ actuoſæ facultas aderit. Aliæ verò naſcuntur ab accidentibus quæ in corpus adducta cauſam per ſe fixiorem trahunt & revellunt à parte priùs occupatâ, & in novam anteà integram derivant. In utrâque hâc Metaptoſeon origine multæ occurrere debent mutationum harumce differentiæ, quarum aliæ ab obſervatione conſtanti potuerunt prævideri, aliæ quaſi ex improvisò ſuſcipiuntur. Sed ut in tantis tamque variè ſeſe multiplicantibus phænomenis, quæ ſæpe Medicorum ſpem fallunt, ad aliquam poſſimus lucem emergere, omnia quæ ad hanc noſtram Metaptoſin referri poſſunt, accuratâ ſedulitate perpendenda ſunt. Hinc intereſt ſciviſſe quinam ſint morbi qui Metaptoſin pati poſſint, & quid ab illâ ſperandum

Species Metaptoſeon duplex.

Partis hujus diviſio.

ſit aut metuendum; quænam morborum cauſæ poſſint mutabilem illam ſcenam ludere atque incautos fallere, & quibus diſtinguantur phænomenis; quænam pariter mutationes morborum trahantur ab illis rebus quæ perpetuas nobis ſtruunt inſidias per eventus accidentales, ſeu per cauſas extraneas atque occaſionales quæ ſuperveniunt; demùm propoſito operi abundè fuerit factum ſatis, ſi ex his collegerimus quæ ſigna, mutandos fore morbos cùm ſignificent, nobis aut inducunt fiduciam, aut diffidentiam incutiunt.



CAPUT PRIMUM.

De naturâ morborum qui Metaptosin pati possunt.

UT nobis veram & ex rationali naturæ obſervatione natam morborum illorum qui per Metaptoſin mutari poſſunt ideam & diagnoſim poſſimus ſtatuere, facile erit conſentire, 1°. nullam eſſe ſperandam aut expectandam Metaptoſin in illâ morborum ferociâ quæ partes, quas facto impetu adoritur, deſtruit atque dilacerat. Quippe, rupto organiſmo & deſtructâ partium conjugatione, nulla ſalutis ſpes emergere poteſt. Nulla eſt ars quæ creationem novam efficere poſſit, &, ut cum FERNELIO loquar, illius eſt recreare qui creavit. 2°. verò non magis ſpei ſupereſſe poteſt in illâ humorum tenacitate, quæ partes in quas decumbunt omni fraudat ad actionem facultate; omnis enim, quæcumque ſit, Metaptoſis actionem aliquam ſupponit. Qui morbi Metaptoſim non admittant.

In priori caſu, qui venenatas atomos & verè lethales ſupponit, id activitati naturæ ſupereſt ut deletas partes extrà naturæ centrum propellat, & mortuas à vivis ſecernat & ſeparet ut pondus inutile, adeſtque naturæ inſtrumentum præſens, ſola ſalutis anchora, Quinam horum morborum ſit exitus?

Suppuratio. ſuppuratio, quæ partes organiſmo ſeu vitâ privatas à vivis & actuoſis ſeparet & eliminet, ſed hæc non ſemper poſſibilis eſt, at ſæpe etiam infelices conatus exerit, quoties interna depaſcitur viſcera. In altero caſu, qui chronicorum morborum claſſem maximam adimplet mortis feraciſſimam, pars corporis, per morbum iners reddita, extrà centrum vitæ ponitur, reſtat moles inutilis, deeſt functio, vel per vias aut ſimiles aut analogas ſupplet ejus defectum natura ad perficiendas quibus dedicata erat functiones: id in renibus, in liene, in uno ex oculis, auribus, naribus quotidianâ experientiâ obſervatur. At compreſſione, obſtructione vicinarum partium actioni nocent organicæ illæ partes obliteratæ, vitam difficilem & anxioſam efficientes: quippe ſanguinis circuitui impedimenta ſtruunt eò majora, quò ſanguis aut vaſa magis implet, aut illa eo rarefacto magis turgeſcunt, quod mulieribus impedito periodico menſtruæ vacuationis reditu familiare eſt. Verùm aliquandò, nec rarus ille caſus eſt, moles illa, jam motui vitali inepta & prorſùs inutilis, humeſcit, & ſpontaneum motum concipiens, putredine afficitur mechanicâ; tuncque acredine inficitur tetrâ & horrendâ, quæ, per omne corpus delata, non Metaptoſes ſed Epigeneſes facit ſæviſſimas. Caries ab hoc viru cancroſo, nam illud ei nomen competit, doloreſque per omne corpus ſparſi & partibus

Partis inertia.

Sæpe in cancrum degener.

partibus destruendis idonei, huc & illuc invadentes phthisim accersunt. Imò &, mutatione detestandâ, pars illa, quæ vitalem motum non potest exerere, sensum acutum, quasi excitatis è sopore nervis, concipit, lancinantique cruciatu pars anteà sensu carens symptomata suscitat Metaptosin æmulantia non veram, quippe centrum mali non mutatum est, sed tantùm diffuso veneno extensum atque propagatum: fiunt verò symptomatum Metaptoses, seu potiùs multiplicantur illa, nam partem cui virus adeò virulentâ vi præditum semel affixum est lues pristina non deserit, sed grassando alias atque alias invadit, donec oneratum malis corpus occumbat.

Unde aliqua Metaptoseon oritur species.

Ab hoc simplicissimo intuitu, sine erroris metu, pronuntiare poterimus, nullum omninò existere morbum per se feralem atque exitialem, qui non symptomata exerat Metaptoseon æmula, imò & veris Metaptosibus inducendis idonea, licet causa per se immota, fixa & immutabilis sit. Scilicet illa atomos exerit virosas huc vel illuc deferendas; nec fixa illa sunt symptomata, donec partem in quam decubuêre prorsùs in intimâ suâ substantiâ adorta fuerint, eique noxam impresserint immedicabilem.

Hinc patet Metaptosin ad illos prorsùs pertinere morbos, qui pendent ab humore quovis aut superfluo atque supervacaneo, aut per se

Veræ Metaptoses oriuntur in materiâ mobili.

malo atque ad nocendum apto, ſed mobili, qui reſpuat, aut coctionem illam quâ poſſit in ſubſtantiam noſtram converti, aut aliquam ſaltem quâ cum excrementis ſemel conſtitutis & ſecundùm naturæ ordinem excernendis acquirere poſſit analogiam, ſicque formam naturæ conſonam queat accipere. Donec igitur hanc aut illam ſpeciem morbi induxerit, ſæpe vagatur, huc aut illuc defertur; nec priùs ceſſat, quin organo in ſuâ intimâ ſubſtantiâ læſo fixam ſedem acquiſierit, labemque inuſſerit non expellendam. Tunc demùm immobilis evadit.

In organis actuoſis & celluloſis.

Verùm ſi organum illud cellulare fuerit & hujus generis quod poſſit etiam impellenti cauſæ cedere, nec ab illâ lacerari prorſùs atque deſtrui, facile eſt intelligere quâ ratione Metaptoſis ab hoc viſcere in aliud fiat, dimotâ atque avulsâ cauſæ in hâc parte adhæſione. Undè id perſpicuè concludi & pro demonſtrato haberi debet, quòd, ad Metaptoſes prævidendas atque præcavendas, primò quidem & ante omnia natura morbi ponderanda ſit atque perpendenda, poſteà verò partis in quam decumbit irritabilis atque actuoſa indoles & fabrica mechanica prænoſcenda.

Quinam morbi Metaptoſibus obnoxii ſint?

Ut autem de morbis quibus, aut familiaris & prompta, aut etiam poſſibilis, utut rara, Metaptoſis incumbere poteſt agamus, illorum origo in claſſes diſtribuenda eſt, quanquàm variare Metaptoſis poſſit pro corporis variatâ

conditione, corporiſque mutatio poſſit etiam actuoſitatis efficaciam variè dirigere.

Morbi igitur omnes illi accidentarii, qui à conſuetæ vacuationis defectu aut imminutione pendent, Metaptoſin experiri poſſunt, ipſiſque illa familiaris eſt,, ſi tamen non deſit excernendus humor ob penuriam partium illum conſtituentium, aut ejus principia in alios uſus non amoveantur. Sic urinæ defectus à nimiâ ſudorum vacuatione pendens Metaptoſin vix efficiet. Nil pariter metuendum ſi perſpirationis illius inſenſilis Sanctorianæ imminutio in corpore ſano & illibato accidat, nec naſcatur ab humorum jam malè affectorum vitio quocumque. Impunè enim in ſanitate augetur, imminuitur, tollitur. Verùm ſi, quâcumque de causâ in organo poſitâ, aut à toto corpore pendente, ut ſunt res non naturales quæcumque, ſupprimatur perſpiratio, refluus excrementoſus humor Metaptoſin in quaſcumque partes efficiet, variaque concitabit diverſi prorſùs ordinis ſymptomata. Præterea, ut norunt Medici omnes, differentia ingens intereſt inter perſpirationem in ſuo impetu protinùs ſuppreſſam, & illam cùjus exitus tantummodò tardatur. Hæc enim vix corpus turbat, atque ad alias partes, v. g. vel ad urinæ vias, vel ad alvi patentia intùs excernicula defertur innocuè. Symptomata in primo caſu, ſcilicet in ſubito ſupprimente impetu, vulgò erethiſmum & criſpationem

Claſſis prima morbi à ſuppreſſis evacuationibus.

Morbi à ſuppreſsâ ſubitò perſpiratione.

vasorum & important & supponunt. Hinc inflammatio & erysipelas nascentur. Si cum partiali & nerveo erethismo in partes membranosas atque tensas decumbant, rheumatico, ut aiunt, more sævient. Si sine ullâ irritationis specie in partem aliquam feratur humor ille, fit catarrhodes congestio, quæ præsertim ad tardiorem perspirationis imminutionem pertinet. Patet inde omnes morbos catarrhales dictos, quos antiqui à fluxione pendere pronuntiabant, nos verò à vitiatâ aut imminutâ perspiratione repetimus, omnes, inquam, Metaptosin pati posse, non exceptâ ipsâ phlogodeâ inflammatione, quæ, nisi partes laceraverit, tumultuosè & vividè illas impetens, suppurationemque sibi sequacem vindicans, sæpe delituit subitò ad alias delata partes, mutato etiam charactere & in erysipelas, aut œdema dolorificum converso. Scilicet cellulare tomentum, irritatione lacessitum insolitâ, novas sibi vires contractiles assumit, unde nondùm satis fixa & mutata illa materies deturbetur. Imò, in raris admodùm casibus, suppuratio ipsa, tenuatis partibus constans, in alias partes, priore sede mutatâ, defluxit, non sine anhelitu, non sine ingentibus articulorum doloribus; imò, notante HIPPOCRATE, cum renum doloribus novis & insuetis, per urinas, sub formâ criseos, effluxit. In primo morbi impetu, ut Galeni verbis utamur, fluxio in phlegmone revincta tenebatur;

Catarrhalium cum inflammatione Metaptoses.

phlegmonis erethismo laxato & composito materies hostilis mobilis fit, novasque inire vias apta, Metaptosi, Metastasi, imò & artificiosæ curationi locum dat. Catarrhodes morbus inflammationem sibi adsciverat comitem: sedatâ illâ, nova quidem symptomata induit; at materies evidenter catarrhodes, screatu, sputis, urinarum turbidò fluxu, glutinosi muci vacuatione quâcumque sese facit manifestam.

Catarrhalium cum saburrâ Metaptoses.

Quid si, ut sæpe sæpiùs fit, dùm improvisò morbi isti adoriuntur incautos, cum primarum viarum saburrâ complicentur atque combinentur? Novas inde nasci noxas observatio demonstravit. Nisi enim hæc causa subsit, raró nocet legitima benèque præparata perspiratio, etiam suppressa subitò. Tunc enim vel in validioribus subjectis per urinam, vel in infirmioribus per diarrhœam quæ nasceretur suppletur; & inde cachectica plethôra vacuatur, & sine ullo detrimento amandatur, notante SANCTORIO. Nonne igitur morbi omnes illi, à perspiratione suppressâ, sive acuti, sive à chronicâ congestione, pro complexis atque à composito causarum fonte pendentibus habendi sunt? Tunc simplex solutio vix sine sudore in viris etiam robustioribus, si delictum semel senserint, absolvi potest. At Metaptosis in eis ita speranda casibus, imò ita expectanda est, ut Medici labor in eo reponatur ut rimetur & scrutetur attentè quas sibi vias na-

tura affectet. Alia enim eſt Metaptoſis furente ſyrio & æſtuante cœlo ad cutim devehenda; alia per frigoris acredinem in alvum rapitur, & colicis torquet doloribus morbus, qui per æſtatem pruritibus fuiſſet importunus. Illis omnibus via curationis differt, imò aliquandò cum variis & complexis phænomenis plures ſimul vias ingreditur. At omnibus communis cruſta illa ſanguini ſupernatans ritè effuſo, aliquandò congeſtiones lentiores intra viſcera efficit: unde pluribus gravibus morbis præluſere coryza, anhelitus, dolores articulorum, vocis raucedo, imò & ſurditas ipſa, cui, notante HIPPOCRATE, diarrhœa eſt pro Metaptoſi.

Quod quidem hîc de perſpirationis vitiis dicimus à quibus pendet tam multiplex Metaptoſeon proſapia, quæ veteres ſub morborum à defluxione pendentium titulo annotaverunt, imò quibus in acutis affectibus univerſalitatem tribuerunt; idem, authore poſt HIPPOCRATEM GALENO, dicendum eſt pariter de abolitione, aut imminutione cæterarum quarumlibet vacuationum. Illæ duplici ſub intuitu debent diſcerni atque dividi. Alii enim humores nutritii ſunt & partem œconomiæ animalis conſtituunt, à quibus & copiam & propriam indolem expoſtulat natura. Alii verò excrementitii ſunt. Hos vacuare decet, & quidem ſecundùm ordinem à naturâ præſcriptum: ſin minùs Metaptoſis horum ſup-

Aliarum evacuationum ſuppreſſio.

preſſorum corruptelam continebit, ut priorum cohibitio plethoram invehit aut excrementorum copiam. Plethoræ non unum incommodum eſt, Metaptoſis non una; nam plethora rarò ſimplex eſt ſine erethiſmo, unicum producens effectum gravandi comprimendive. Sed ſi, quod ſæpiùs evenit, malè conſtituti & ordinati fuerint humores, compreſſioni addunt infarctum in vaſis, pro nativâ vel adventitiâ debilitate diſpoſitarum ad hæc mala ſuſcipienda partium. Quòd quidem duobus verbis, pro brevitate aphoriſticâ, SANCTORIUS expreſſit; neceſſariò infert *cachexiæ veſtigium, vel febrem.*

Quid efficiant mali periodicæ illæ ſanguinis menſtruæ vacuationes, fœminis neceſſariæ, cùm aut tardant, aut minuuntur, aut ceſſant, etiam in ſtatu vix morboſo, imò & ſecundùm ſexûs naturam neceſſario, longum foret enumerare; ut certè ſtare ſanitatem ſine illorum proventu ubere non poſſe in id conſentiant omnes. Sed præter omnia mala quæ à plethorâ, febrili erethiſmo, aut contrà à veſtigiis mox inducendæ cachexiæ pendent, mille alia incommoda repetenda ſunt ab affectu nervorum, & uteri cum cæteris partibus ſympatheiâ. Ab hoc duplici fonte ſæpe Metaptoſes, imò & Metaſtaſes exundantis ſanguineæ plethoræ emicant. Brevi plethora degenerem efficit humorem, quandoquidem legitima proportio partium cruorem conſtituen- Suppreſſa evacuatio menſtrua.

tium, ſine actione ordinatâ vaſorum organicorum ipſum efficientium valere & concipi non poteſt. Sic præclara Metaptoſis miſeros ſolabitur, ſi capitis inde enatus dolor, aurium bombus, oculorum caligo, mammarum imò & hypochondriorum dolorifica & anxia intumeſcentia, hæmorrhagiâ narium aut ſputis ſanguineis ſolvantur. At pedum intumeſcentia, at crurum gravitas, at hæmorrhoïdum exitus torquens non deſunt; aut, languente naturâ, ſtomachi inappetentia, nauſea, pica, ſingultus, vomitus, pondus in pelvi, tardique vel ipſius mentis motus, ſocordia, inertia, imò & paralyſis cachexiæ prænuntiæ ſunt Metaptoſes. Vidi in muliere, aliundè nervosâ, menſtruam dimidii corporis hemiplegiam tres integros dies occupantem, quam quarto die erumpentia ſolvebant menſtrua. Verùm nulla alia cauſa adeò violentè nerveum ſyſtema concutit atque convellit, ſive aliquis impetus mechanicis non explanandus legibus, nec obſervatione deprehendendus, ſanguini refluo inde concilietur, gaſque aliquod hinc natum miſceatur ipſi, ſive demùm compreſſio ſimplicior illud convulſivæ actionis genus exerceat in nervorum principium; certè affectiones omnes hyſtericæ atque hypochondriacæ, tanquàm à causâ feraci, oriuntur à ſuppreſſo vacuationum ordine, &, quod notandum maximè, ſi mechanicis regenda legibus febris exarſerit, ſi inflammatoria Metaptoſis accidat,

nullo alio in casu adeò protinùs quæ anteà summâ vi ferociebant convulsiones, rebus ad simpliciorem vim mechanicam adductis, conticescunt. Nullum in hoc casu temporis punctum caret Metaptoseos metu. Quæ quidem Metaptosis, causâ non cessante, imò integrâ permanente, sed nonnisi per effectus parti ipsi extraneos cognoscendâ, dùm symptoma aliud ab altero prorsùs differente excipitur, Metaptosis est symptomatum, non verò ipsius morbi, aut causæ quæ variabilem symptomatum scenam concitare potest; immobilis ipsa & constans. Vera morbi Metaptosis erit si ab utero irritato inflammatorius impetus feratur in mammas, imò, quod non rarò in tenellis puellis observatur, si irritatio illa, rheumatismi inflammatorii instar, in omnes deferatur successivè articulos, non sine tumore erysipelatode & inflammatorio.

Metaptoses, aliæ morbi ipsius, aliæ symptomatum.

Verùm præter præsentes in hisce casibus Metaptoseon causas, alia semper subest quibuscumque vacuationibus suppressis, aut imminutis, ut rectè & experimentis & observatione quotidianâ SANCTORIUS deprehendit, vitiata perspiratio. Etenim quoties alia quævis causa lædendo apta corpus quâvis ratione adoritur, vacuationibusque infensa est evidentibus, toties etiam suppressa, aut imminuta perspiratio censenda est, licet minùs sensibus pateat, quæ omnibus responsat vacuationibus, nec unquam aut plenaria aut legitima censeri potest, cùm

Perspirationis vitia conjuncta Metaptoses conduplicant

vitiatur, aut pessumdatur coctio, quæ integra stare nequit, vel unâ è functionibus secundariis læsâ aut pessumdatâ. Hinc Metaptosis semper præ foribus adest symptomatica, omnibus morbis imminens & causam non attingens, sed mutandis apta symptomatibus; ita ut, quod summè notandum est, in morbis etiam per se maximè à Metaptoseon casu remotis, suppressa illa atque læsa, aut imminuta perspiratio, possit facilè Metaptoses invehere. Licet enim cocta non possit cum morbo stare perspiratio, coctione scilicet destructâ, vapor tamen à corpore vivente indesinenter exhalans in partes redire potest, corpori noxas inferre, & sæpe, catarrhi formâ, medio in certamine ægrotantes invadere. Intumescunt scilicet frigore accepto palpebræ; in mediâ febre nascens coryza vertit febrem in coma somnolentum, & tussis importuna faciem morbi mutat: qui alius desinit quàm incœperat.

Metaptoses ab imminutione liquorum digestivorum.

Si verò suppressiones aut imminutiones liquorum digestivorum, aut ad concoctiones primarum viarum inservientium consideremus, certè ingens nobis Metaptoseon ilias enasci videbitur à quisquiliis saburræ intestinalis, quæ jam corruptioni spontaneæ relinquuntur obnoxiæ, cum bilis reliquiis & muci illius qui per totum intestinorum tractum exundat undequaque. Hæc porrò, cùm in mediâ ipsâ sanitate, mala longè à sede mali dissita

inducant, quidni in morbis & Epigeneses & Metaptoses afferant? Et certè ante omnia id etiam, sine ambiguæ theoriæ subsidiis, evidenter patet, vix digestionem lædi, vix alimenta, aut difficilè coquenda, aut putredine aliquâ laborantia intromitti, quin illicò caput doleat, nec priùs dolere cesset, quin non solùm primaria, sed etiam secundariæ coctiones peractæ sint, vacuatusque aut mutatus fomes ille, aut per vim vitæ auctam abactus omninò fuerit. Si tamen, ut non rarò fit, per vomitum aut per diarrhœam abigatur violenter, caput ut plurimùm illæsum remanebit, aut læsum sublevabitur. Nec prætermittendum illud HIPPOCRATIS effatum, quo pronunciat, quòd ab insuetâ plenitudine ventriculi, coryza nascatur subita. Verùm hæc semel posita non semper ab ejus vacuatione discutitur, effectuque mechanico semel posito, augeri & invalescere potest. Quod etiam extendendum est ad gingivarum inflationem, ingurgitationem tonsillarum, aut etiam suffocationes, non sine importuno frigoris aut caloris sensu. Quæ quidem symptomata Metaptoses & morborum mutationes possunt ita inducere, ut jam nullæ exoriantur de ventriculo morbi causâ querelæ, omnes verò ad partes posteriùs affectas referantur. Præterea verò non prætermittendum est quòd in prædispositis corporibus ab hoc solo sæpe ventriculi abore pruritus enormes atque in cute titillationes vix

vincendæ oriantur, quæ posteà, vitio neglecto, possunt in Metastases facessere, & abscessus furunculosque multiplices tandem invehere. Id in ætate provectis convalescentiam morbi ferè ingressis quotidie observare est, si immorigeri fuerint illi, & falsâ spe virium per pleniorem victum instaurandarum alliciantur ad ingurgitationem. Illa etiam Metaptosis ad eos pertinet qui ante morbum herpetibus laborabant. Quid hîc sputa & excretiones plethoram malè coctam & ferè cachecticam probantia commemorem? omnia jam vulgata, at Metaptosi per se apta inducendæ, si jam causa subsit in vitium aliquod inclinata. Vix enim ullum dari in affectibus illis qui corpus accidentaliter invadunt affectum simplicem aut non à pluribus pendentem elementis facilè observatores omnes fatebuntur: tantus scilicet est partium inter se consensus, tanta conjugatio atque connexio! Quin etiam febrium inde multiplicem complexum efficientium catervam pendere evidens est, quæ omnes possunt, si vacuationes ritè & ex ordine naturæ post præparationem illam quam coctionem vocavit HIPPOCRATES non fiant, per crisim atque Metastasin absolvi, nec minùs in ipso morbi decursu Metaptoses experiri, à quibus prorsùs & in formâ & in incessu immutentur.

Metaptoses à vitiis organorum concoquentium.

Nunc verò si ad diversa quæque organorum concoquentium instrumenta attendamus, unaquæque functionum huc concurrentium læsa,

ut varia infert vitiorum phænomena, ita etiam & variis ſubjicitur Metaptoſibus. Liquor ille quem gaſtricum vocant, pancreatis ſuccus quocumque modo vitiatus, dùm molem intrà inteſtina ab alimentis inductam ſuâ imbuit qualitate, vitiis etiam inficit; unde, ut cauſa morborum multiplex inde infertur, ita etiam perſpirationi legitimæ nova nectuntur vincula, novaſque morbi primarii qui intrà ventriculum inſidet Metaptoſes minitantur. Hinc & lymphaticarum glandularum ingurgitationes pendent, & repetuntur plurima diarrhœarum genera, aut contrà, ex deficientibus liquidis iſtis, aut muci in morem glutinoſi compactis, conſtipationes oriuntur quarum ſequelam atque Metaptoſin nuntiant hæmorrhoïdes vaſorumque venoſorum intrà inteſtina varices. Nec prætermiſerim hîc varia torminum & dolorum, ut aiunt, colicorum genera, niſi ipſa ſæpiùs pro principe morbo cauſæ latentis effectu, quàm pro Metaptoſi habenda forent. Sed quid hîc addamus de acido in inteſtinis puerilibus, forſan & ſenilibus decrepitis prædominante, quod varias ſæpe Metaptoſes efficere videtur, nunc in articulos qui ita violenter à ventriculi ſympatheiâ torquentur, ut difficile eſſet iis inhærentem materiam non admittere, niſi vel minimi cathartici efficacia dolores quaſi prodigiosè diſcuteret; nunc in muſculos à genere nervoſo in convulſionem actos: quæ pariter ſymptomata à

vomitorio, si non tolluntur, mitigantur saltem evidenter; cujusquidem morbosi effectûs ad Metaptosin referendi mille exempla congerere facile foret.

Colici doloris Metaptosis in paralysim.

Verùm nulla sævior Metaptosis, nulla evidentior, quàm quæ mutatâ formâ fit colici atrocissimi doloris in artuum paralysin & resolutionem: quæ quidem Metaptosis, quanquàm in colicâ pictorum frequentior sit, tamen in aliis colicorum dolorum generibus occurrere potest, ut sæpiùs epidemicè contigisse testantur AETIUS, HUXHAM, aliique complures.

Biliosæ Metaptoses.

Enim verò in Metaptoseon quæ à ventriculi peccatis pendere possunt historiâ, primum certè locum sibi vindicat bilis secretio, aut aucta, aut imminuta, atque natura prorsùs immutata. Tenuissimus scilicet humor, non tantùm pro universali tenuatarum sanguinis partium excremento habendus, sed etiam recrementum vocandus utile; præ aliis quibuscumque corporis humoribus exundat undequâque, & sæpe huc atque illuc colligitur, ita ut prima cutis, textui superposita cellulari ipsum excipiat, posteà verò cæteræ corporis partes etiam ipso irritentur, sive collectim, sive separatim. Quin etiam, si, quod observatio satis antiquis demonstraverat, & quod ipsa natura bilis indicat, pro principio poni potest, videtur facillimè cumulari bilis per totam corporis latitudinem, quâ præcipuè adeps extenditur, vertique humor alter in al-

terum, & per hepar ſuperfluus in inteſtina deponi; unde quoties aut ſpaſmo partes illæ ſtringuntur, aut compreſſione laborant, aut obſtructione obſtipantur, ne refluant principia bilioſa periculum præſens eſt. Icterum ſolâ vaſorum ſtrictione ſpaſmodicâ naſci videmus, veræ Metaptoſeos ſub formâ, poſt colicos dolores convulſivos, poſt ventriculi irritationes, imò in capitis vulneribus; ſed nullo alio in caſu promptiùs atque evidentiùs quàm in animi affectibus triſtioribus, aut in ipſo iracundiæ furore. A quibus quidem cauſis quàm facilè ſpaſmus in veram inflammationem vertatur obſervatio infelix edocuit. Certè in violento furore, maculæ virideſcentes flavæ & luridæ exoriri viſæ ſunt, quibus neceſſarium fuit ut puſtulas efformarent ſuppuratione ſolâ ſanandas. Symptomata etiam illa à bile pendentia, quoties ſæpiùs exardent, principia bili efformandæ & conſtituendæ idonea vitiantur, prædominante forſan aliquo ex elementis bilis, ſive ſpiſſeſcat illa & in mucaginem non ſatis actuoſam vertatur; ſive induretur, deficiente, aut alibi rapto principio aqueo; ſive acrior & nimis ſolvente donata virtute ubertim tota inficiat incernicula & per omne corpus, jam intrà vaſa contineri impos, diffundatur, ſimulque exteriùs effluens, hominem univerſum bilioſo intingat charactere. Sic vertitur cholera in icterum, alvo intereà bilioſa fluente, conſpicuum. Unde patet

quàm facilè, quàm universim Metaptoses varias inferre possit. Hinc sputa biliosa, tussis, pruritus, urinæ mordax in vesicæ meatus sæviens acrimonia, & dolores in senioribus diuturni: nec enim semel facta ab acrimoniâ biliosâ impressio & nata Metaptosis, bile vacuatâ, aut in pristinum statum restitutâ, facilè deletur. Quid ampliùs agamus de varicosarum hæmorrhoïdum tumefactione & fluxu? magnum certè in morbis hepatis levamentum, quæ depuratorium organum constituunt, quarum absentia non solùm plethoram, sed morbos cutaneos, sed vultûs guttam roseam, sed anhelitum, vomitum, nauseam infert, ac demùm infarctus, scirrhos, & hydropem immedicabilem.

Hæmorrhoïdes inde metaptoïcæ.

Cæteros humores & ingesta vitiat vitiosa bilis.

Præterea verò ea est recrementi hujus utilitas ita demonstrata, ita usibus quotidianis responsans, ut ejus vitia omnibus intrà corpus introducendis communicentur. Abest ergò, eâ vitiatâ, quævis concoctio; residuaque alimentorum introductorum recrementa aut excrementa novam prorsùs induant naturam necesse est. Amarorem tetrum, solventem, saponaceum concipit bilis asservata; spissata præ ardore, quem notabiliter auget, resinosa fit aut calculosa. Imò ardore simul violento effervescente, & coctione præ illis vitiis impeditâ, degener bilis it in resinosam diathesim, simul cum aciditate acri principia ejus formante & venenatam illi impertiente

indolem. Porrò, quot mala inducere poſſit, quæ nullatenùs ad priſtinam & primævam mali cauſam pertineant, ſentiet ille qui hoc nomine veterum atram bilem comprehendi atque deſignari intellexerit. Quid hîc addam de Metaptoſibus illis bilioſis ſubitis, quas accipit humor ille à ſympatheiâ nimium intrà corpus exercente imperium, quam nec phyſice, nec cognita nervorum diſtributio divinandam reliquit? Quæ Metaptoſis vel in ipsâ illâ ſanitate quâ bilioſæ fruuntur conſtitutiones ita ſæpe accidit, ut videre ſit homines qui, animo præſertim affecti, pluries in die colores vultûs immutent. Et certè, ſive bilem in ſtatu ſanitatis ſpectes, ſive in morboſo ſtatu, nullus alius eſt humor qui tot ac tantas Metaptoſes facere poſſit, imò tot morbos, quorum nullus eſt qui factam Metaptoſim excipere non valeat.

Atra bilis in Metaptoſim ruens.

Quod verò de bile hîc, maximè univerſali Metaptoſeon causâ, pronuntiatur, ad alios pariter humores ſupervacuos, exundantes, & aliâ quâcumque de causâ intrà retentos pertinet. Nullus alius humor adeò evidentem efficit Metaptoſin atque urina, quæ, ubi retenta fuerit, nauſeâ vomituque hominem ita afficit, ut inter ſymptomata renum, aut obſtructorum, aut compreſſorum, aut coercitorum vomitus ille contineatur; imò ſudor ipſe prolicitur urinam redolens: quippe refluus humor odore ſuo vel maximè diſſita inficit.

Metaptoſes ab aliis humoribus, v. g. urinâ.

Metaptoses ab humoribus à morbo efformatis.
Pure.

Verùm si à naturalibus humoribus ad illos quos ipse morbus efficit inquisitionem nostram feramus, certè nullum alium Metaptosibus inducendis adeò feracem reperiemus quàm pus ipsum. Nam, omni sublatâ theoriâ, observatio demonstrat in omnibus inflammatoriis morbis, catarrhalibus præsertim, nasci intrà ipsa vasa sanguinea humorem puri analogum, qui, in partes delatus etiam à malo, ut videbatur, immunes, ibi abscessus efficit quasi illicò natos, à quibus etiam in urinam felici successu visus est refundi; quod nisi contingat, partes in quas decubuit, tandem sibi quærens exitum, dilacerat, & spem resolutionis omninò tollit. Nec non sine ullâ curationis spe potest Metaptosis, & quidem mala, effici, cùm scilicet pus, remanente tamen pristino malo, ad partes vicinas, aut etiam dissitas jam prædebilitatas defertur : unde multiplicantur ulcera, accersitur phthisis, longisque cruciatibus fatum ineluctabile supervenit. Nonne vulgare est, in extremo phtiseos illius pulmonalis agone, videre homines pure undequâque exundantes & quasi in illud conversos : quod etiam in variolarum redundantium suppuratione occurrit. Pus exire vidi per multiplices abscessus, universum urinosum laticem adimplere, imò per oculorum angulos erumpere : unde sæpe, jam crustis variolosis detersis, morboque ut videbatur peracto, sustulit ægrotantes è medio muci

omnis animalis in purulentam ſaniem converſio. Verùm non inauditum, aut in arte incognitum eſt, pus etiam ulceroſum partem aliquam deſeruiſſe, in alias delatum, cùm certè fluctuationem videatur ſubitus ille refluxus ſuſtuliſſe, ſi tamen uſque fidendum ſit illi cuicumque fluctuationi : non enim rarum eſt fluctuationes in textu cellulari ſimulari, à quibus pus nunquam defluit. An aër, an aliquod πνεῦμα cellulas inflare & extendere videtur ? Certè illa qualiſcumque fluctuans partis alicujus non rarò obſervata tumefactio, degenerem arguit humoris mucoſi indolem. Unde poſt longas aliquandò moras, pus tandem erumpit, quo tempore illum jam non metuendum ſperare fas erat : viſus eſt vel ipſi Hippocrati, pro criſi, fluxus humoris per veſicam, cocti, formâ lacteâ æquali & lævi inſignis; qui ſi finem morbo non imponat, ſpem noſtram in hoc uno repoſitam relinquit, ut tandem longo & redivivo abſceſſu ſalus tardior affulgeat. Certè quâ ratione in internorum abſceſſuum curatione cicatrix fiat vix intelligi poteſt, partibus laceratis atque diſciſſis; at ſaltem præviderì poteſt remanſuram in parte priùs affectâ infirmitatem quæ omnibus malis ipſam reddat obnoxiam; imò in cadaveribus ægrotantium poſteà alio caſu pereuntium, veſtigia cicatricum duriorum inventa ſunt : nec non in hepate & pulmonibus.

tophi inorganici visi sunt partem priùs ulceribus affectam adimplevisse.

Ex his porrò observatis, patet primam morborum illorum classem quæ pendet ab humorum retentâ aut vitiatâ excretione, quamcumque partem affectaverit morbosus ille fomes, posse & Metastases & omnia Metaptoseon genera experiri, iisque peculiariter eò magis subjici partes corporis, quò majorem analogiam secundùm acceptum naturæ ordinem cum humoribus atque organis priùs affectis servant. Quò enim plus illa cum coarctatis organis aut fluidis peccantibus consonant, ipsisque secundùm naturæ ordinem in officio peragendo supplent, eò magis de vitio participes fiunt, excipiendisque morborum causis & eorum communioni accommodata sunt; quod quidem omnibus Metaptoseon generibus commune est.

Dispositio partium ad suscipiendas Metaptoses.

A variis causis oritur.

Præterea verò hæmorrhagiæ quæcumque, quæcumque vacuationes nimiæ favent Metaptosi faciendæ in partes in quas fluxus dirigitur. Hinc sæpe à catharsi emicuit dysenteria, à fluxu urinæ immodico stranguria, à sudoribus nimiis pustularum in cutem congeries, imò ipsa aliquandò miliaris eruptio, &, in pessimis etiam morborum putridorum generibus petechiæ. Observationes circà hasce Metaptoses multiplicavit in insulis Americanis J. Hillary. Sed prætereà cùm ab hisce humorum fluxibus debilitas inducatur, tardatur

coctio, languor ejus effectibus inducitur, deponuntur huc & illuc materies quæ fuerant expellendæ, fitque morbi acrisia, ejusque & diuturnitas & mutatio nascuntur.

Classis altera morborum Metaptosim admittentium.

Morbi ab introducto venenato miasmate.

1°. Acuti.

Altera affectûum Metaptoses simul atque Metastases admittentium classis eos comprehendit, qui pendent ab introducto, quâcumque de causâ id fiat, miasmate venenato, sive causâ extraneâ mobili, quæcumque fuerit illa. Hoc certè sub titulo comprehenduntur morbi omnes contagiosi, aut etiam epidemici quicumque, à causâ pendentes incognitâ, nec satis ad evidentes aut aëris aut rerum quarumcumque non naturalium alterationes referendi. Huc ergò pertinent venenatæ atomi quæcumque erodentes, putredinem inferentes, & in nervos suam exercentes actionem. Quippe, referente clarissimo TISSOT, etiam ad nerveum systema pertinet Metastasis. Uno verbo, nullum est affectionum genus, quod ab extraneis partibus pendet, quod non possit Metaptosim pati, nisi organum in quod decubuerit ictu violento nec restituendo eroserit. Tunc enim mors ineluctabilis fieri non patitur Metaptosim, nisi inter Metaptoses frustrà & prorsùs incassum recensere volueris petechiales illas maculas merè gangrænosas, quæ aliquandò, etiam post mortem, in cadaveribus subitò erumpunt. At ubi adeò violenta datur causa, nullâ ratione concipi potest quâ viâ queat aut imminui aut destrui morbus, quàm

per violentam atque causæ tantæ correspondentem Metaptosim, quæ possit totum virus prosternere atque eradicare. Nec ullibi alibi tam multiplicata reperitur aut Metaptoseon aut Metastaseon caterva, quarum alia aliam excipit; quippe superregurgitans causa in varias, vi quâcumque naturæ, partes disjicitur. Sæpe, malo omine, à causâ solâ id efficitur; sæpe etiam inutilibus concitatæ naturæ viribus Metastasim mentiuntur. Quæ quidem symptomata, cùm evidenter atque terrore incusso in pestilentibus morbis ferociant; minoreque tumultu, nec mechanismo dispari, in variolis atque morbillis agant & agantur; in genere ad omnes quoscumque morbos intulerit causa externa pertinent atque referuntur. Vidi variolas insertione concitatas, eruptione factâ, per sudorem fracidum, copiosum, olentem ita abiisse, ut vix una jam apparentium pustularum ad suppurationem abierit. In casibus magis metuendis, exempla similium malorum pessima congessit in tertio Epidemicorum libro HIPPOCRATES, dùm pestilentialem constitutionem tantâ curâ descripsit.

2°. Chronici. Nec in acutis solùm Metaptoses fiunt: mechanismus idem ad chronicos pertinet. An alia datur lues adeò Metaptoseon capax atque ipsa arthritis, quæ acutas etiam Metaptoses efficere potest, omninò à pristinâ formâ alienas, imò etiam & peracutas? Hæc ab artubus, subito ictu incusso, caput comate plectit aut

violentâ phrenitide, uno in alterum abeunte ſymptomate; thoracem anhelitu vexat, aut ſuffocante catarrho perimit, cruciat inteſtina, veſicam & renes inflammatione afficit, imò &, dolorificæ indolis oblita, intrà glandulas ſeſe agglomerat deliteſcens, ſcirrhoſque efficit, & morbos chronicos tenacitate horrendos invehit, niſi jam inſperata nec expectata ex inſidiis arthritis prorumpat. Ab hujus autem frequentibus inſultibus quanta in omnibus organis naſcitur debilitas, unde tandem, acciſis viribus, fatiſcant omnia? Hinc ipſam in ulcera converti aut herpetes ſenioribus notum eſt. Epigeneſibus patet ſcorbutus, Metaptoſibus arthritis, rheumatiſmus, imò & omnium generum herpetes, qui morbum quemvis ſimulare norunt & diſſimulare.



CAPUT SECUNDUM.

De variis Metaptoseon causis & speciebus.

QUIS sit Metaptoseon mechanismus, à quo pendeant mutationum fonte, facilè ex præcedentibus eruitur. Adest hinc causæ lædentis impulsio, adest illinc partis læsæ resistentia reactionem actuosam in illâ supponens. Verùm in omnibus de quibus agitur affectibus, ad quos pertinere potest Metaptoseon doctrina, quoties illa aut timenda aut expectanda est, morbus præ naturâ dominium exercuit, quæ tamen, viribus sibi insitis imò & auctis, ipsi resistit. Quotiescumque igitur causa morbi viribus naturæ non devicta, non prostrata est, sed à parte in quam decubuit in alteram defertur, causa potuit non mutari, sed pars morbum excipiens debilitata priùs est: quæ contrà morbum acceptum repulit, viribus suis mutationem hanc induxit. Quæ quidem virium differentia inter varias corporis animalis viventis partes, tùm in acutorum morborum furore, tùm in chronicorum morborum inertiâ, quotidie per observationem deprehenditur.

Metaptoses enim tùm in acutis, tùm in chronicis morbis æqualiter occurrunt. Semper causam

caufam morbi integram defignant. In acutis aut perniciem, aut diuturnitatem morbi præfagiunt. In chronicis contrà aliquandò fpem roborant; imò, in elanguefcente priùs morbo infperatum poffunt exitum fpondere.

At, five in acutis appareant, five in chronicis, poffunt Metaptofes dividi in primarias ex indole ipsâ morbi pendentes, & fecundarias quas infert accidentalis quælibet caufa. Priores efficit ipfa partium inter fe affinitas & communio, five ratione officii, five vaforum communione, & viciniæ jure nata, five demùm debilitatis nativæ, aut acquifitæ interventu promota. Secundariæ verò ad neglectum rerum naturalium referuntur. Suum fibi caput habebunt. Primariæ Metaptofes rurfùs in plures æquè claffes fubdividendæ funt.

Metaptofes primariæ & fecundariæ.

Prima eft fomitis morbofi indoles quâ per fe multiplicari valet. Secunda ejus eft copia quæ vires profternat atque funditùs adoriatur. Cui caufarum claffi ea addenda eft quæ pendet à virium imbecillitate. Tertia quæ à corporis vitiosâ conftitutione ita nafcitur, ut pronum in vitia corpus illatam luem in partem aliquam combibat & ad eam advocet, dùm à reliquis repellitur. Quarta demùm eft ea humorum conditio quâ ipfi depravati, huc, aut illuc ad morbofos effectus per Metaptofim eliciendos, ab occafionalibus, five accidentariis caufis determinantur. Porrò, de his caufarum capi-

Caufarum capita quatuor.

tibus singulatim agendum est, quippe quæ causas omnium Metaptoseon comprehendant.

§. I.

Causa prior Metaptoseon; fomes multiplicandi se capax.

Fomes Metaptoseon ferax in peste & variolis.

Nasci intùs atque ibi quasi educari, inde verò multiplicari partes naturæ admodùm adversas ita in confesso est, ut probari res non indigeat. Adsit exemplum pestium, seu febrium contagiosarum quarumcumque, quæ, corpori illatæ, spatium temporis aliquod quo quasi alantur intrà corpus sibi postulant; nec priùs erumpunt & vim machinæ inferunt, quàm multiplicatæ furias conceperint atque nocendi facultatem: at si dubitantes animos aliqua incessat, utut malè illa fundata sit, hæsitatio, omnium demonstrationum locum sibi vindicabit famosa illa variolarum insitio. Ex hâc porrò constabit delitescere posse innocuum omninò & vix functionibus lædendis aptum fermentum hostile, depositumque ad arctos glandularum infarctus, ibi, tùm calore loci, tùm actione vitæ intumescere, & ita multiplicari, ut jam spargendis undequâque atomis nullus finis assignari possit, aut concipi: nam, naturæ indolem sibi comparare & mutari impos, partes sibi analogas mùcumque omnem immutat & in se convertit fomes ille, multiplicatur malum, febrem concitat, cujus efficaciâ ad cutem feratur multiplex jam materies, indeque suppuratione solâ abigatur.

Huc usque adest tantùm Metastaseos idæa simplex, cùm scilicet expulsus ad cutem morbus corporis viscera à veneno sinat intacta & immunia. At omnia sæpe subsunt primis diebus in corpore prædisposito pericula, quæ inflammationem etiam comitantur vehementissimam. Posteà junguntur metuenda suppuranti parti cuicumque incommoda; putredo, vel à primarum viarum saburrâ inducta, vel ab ipso corporis fundo nata, vel ab exundantis materiæ copiâ fota; acrimonia, aut ab extraneis illata, aut à fomite jam præexistente pejorata venereo, scorbutico, herpetico; unde perpetuæ minantur & caput & thoracem insidiæ.

Quod autem in acutissimo & ferali morbo, sive ars, sive natura molitur, quotidie etiam efficit in chronicis morborum cutaneorum formis, scabie, herpetibus, &c. Verùm, hâc semel Metastasi constitutâ, quot Metaptoseon species materia hæc ad cutim deposita induit? Sæpe, & id omnibus vel simplicissima observatio demonstravit, vertuntur in ulcera pustulæ herpeticæ, illa quidem aliquandò per ambitum rodentia, aliquandò etiam excavantia fungosaque. Tussis ferina, & acredine notanda, & anhelitu insignis scabiem retròpulsam excipit. Maniam vidi, & quidem insanabilem, à retròpulsâ tineâ oriundam. Spasmos asthmaticos, colicos dolores vehementes, hæmorrhoïdes ferocientes, (In chronicis malis.)

ſtranguriamque ipſam ab herpetibus intùs ſævientibus quis non vidit? At, ſine evidenti retropulſione, in guloſis & edacibus viris, quam ſæpe putridæ primarum viarum colluvies, illi junctæ quod ad cutem deferebatur fermento, Metaptoſes inferunt formidini inducendæ pares? Quippe quod virus fermenteſcentis indolis ſpeciem exhibebat, putredini conjungitur, atque cum ipsâ coit; quæ brevi, dominatum obtinens, corruptionis ſpeciem propriam ingenerat, priſtinoque veneno nova addit ſymptomata: ſic ab artubus in oculos, in genitalia multiplicato, & ſævitiem nacto fermento hoſtili, fit Metaptoſis. Sæpe vidimus in morbis varioloſis totum corpus adipe defraudari, & verti in ſceletum, corruptâ & peſſumdatâ mucosâ materie; at ſæpiùs, in articulares glandulas graſſantes morbi reliquiæ, ægros gravi plectebant anchyloſi, vix poſteà medicabili. Quid ſi, ad hiſtoriam Metaptoſeon ab hâc causâ pendentium ampliorem efficiendam, hîc mirandas illas veneni peſtiferi in varios artus corporis Metaptoſes, quas in libro epidemicorum tertio ſcriptis ſacravit HIPPOCRATES referam? Quid, ſi diverſas herpetum in chronicis phaſes atque Metaptoſes recenſere foret animus? Omnia jam tractata. Satis ex hiſce exemplis patet multiplicari interiùs fermenta morbis concitandis idonea; imò, cùm morbi iſti à materiâ pendeant extraneâ, perfectæ concoc-

ctioni vix aptâ, patet ipſos plurimùm omnium poſſe in concitandis atque efficiendis quibuſcumque Metaptoſeon generibus. Et in his quidem hoc notandum, quòd in animato corpore poſſint longo tempore deliteſcere hoſtiles illæ atomi, ſine ullâ nocendi efficaciâ, aut facultate; donec per liquidi adventantis, ſeque illis commiſcentis impetum, fluiditatem & motum in externa accipiant: unde ſæpe, cauſis à ſuâ indole & naturâ longè diſſitis, ſeſe comites adjunxêre fomites iſti latentes, ignoti, novamque actuoſitatem nacti, & inexpectatas imò nec prævidendas effecêre Metaptoſes. Sic ſæpe tardiùs hæreditaria, aut etiam conquiſita labes emicuit; quod in hæreditariis morbis commune eſt, imò in ipsâ rabie caninâ acciſſe narrant Authores, præcipuèque MEADIUS: herpetibus verò, aut etiam arthritidi maximè familiare eſſe nimis cognitum eſt. Et certè ab hâc causâ intelligitur cur morbi plures quibuſdam proſapiis magis infenſi ſint atque metuendi quàm cæteris hominibus: latet enim in hiſce corporibus lues quædam incognita, quæ ſe nondùm obſervandam præbuerat, at labem altè corpori impreſſerat, quæ, per accidentalem cauſam in actum elicita, ſeſe ferali omine manifeſtam facit. Vidi ſic numeroſam florentium puellarum proſapiam, phthiſi à matre & avo acceptâ pulmonali ad vigeſimum ætatis annum è medio tolli, unâ exceptâ, quæ connubia reſpuerat, ſobrietati

Morboſus fomes diu ſæpe deliteſcit.

& vitæ virgineæ dedita, ob insitam à sororum fato formidinem. Eodem illa erat corporis habitu donata, iisdem periculis obnoxia quæ sedulior vitavit & depulit. Ea inexpectata latentis fomitis explicatio, iis inter alios competere dicunt hominibus quibus rufus ardet capillorum & barbæ color, & gravis hircus ad alas & inguina redolet.

§. II.

Causa Metaptoseon altera Morbosi veneni copia naturam gravans.

SECUNDA causarum Metaptoses efficientium classis uberrima est, & ferè maximum morborum feralium numerum constituit, morbi scilicet gravantis exuberantia: quippe in hâc secundâ Metaptoseon causâ, prior, de quâ modò actum est, morborum sese multiplicantium classis comprehenditur. Morbus siquidem onus est, ut GALENI verbis utar, naturæ impositum: quod, si fuerit leve, morbum levem & facilè sanabilem constituit, sive solvi ipsum patiatur materiæ morbificæ mitior indoles, sive, concoqui impotens, crisin, aut Metastasin efficiat. Sed, in levi morbo & à paucâ pendente materiâ, Metastaseon, si fugax causa fuerit, ut in catarrho levi, potest varia & multiplex forma induci; at vix alicui Metaptosi locus datur.

In levi morbo vix ulla Metaptosis.

Metaptoses contingunt in gravi morbo.

Sed, si fuerit onus grave, non Metastases solùm, verùm & Metaptoses expectandæ sunt: quippe errans causa vires undique op-

primens nunc huc hæret, nunc illuc; & sæpe, cùm Metastases ante coctionem saltem inchoatam nullæ sint, &, secundùm HIPPOCRATIS effatum, in magno morbo nil paucum criticum sit, sæpe oboriuntur Metaptoses quarum unaquæque propriam sibi curationem postulavit. Ita in morbis catarrhosis sæpe videmus stanti atque subsistenti suffocationi sese jungere capitis dolores, deliria, vomitus, diarrhœas, puncta lateris, dolores ad articulos, &c. imò & nullum levamen afferentes suppurationes. Id etiam in variolis accidit, in quibus ita multiplicata materies corpus conficit, ut jam illi ad cutem hæsitanti locus non relinquatur. Hinc ipsam sub textu cellulari delitescere necesse est, atque ibi novas struere insidias. Mucus scilicet omnis, omnis adeps, pure admixto liquantur. Feruntur huc & illuc ulcera: imò ipsa ossa, ad articulos præcipuè, quo locorum spongiosa illa sunt, exeduntur, putrescunt oculi, stillant fistulæ, suppurantur interiora, & ni ocyor lethum attulerit gangræna, conficitur lento tabo æger, Metaptoseon victima. In hoc certè terminationis ferali exitu consentiunt omnes pestiferi morbi, ubi vires superat veneni exuberantia: nam qui rari supersunt, oculis destituti, simi naribus, cruribus claudi, aut mente hebetes incedunt. Quippe in hâc materiei exuberante copiâ non modò Metaptosis accidere potest, sed est veluti ne-

cessaria. Verùm, non uno modo exuberat morbi materies, & multiplices hîc oriuntur Metaptoseon differentiæ.

1°. In morbo exuperanti præ imbecillitate virium.

Sæpe onus grave est pro virium infirmitate, tuncque causa levior in gravem transit. Hinc qui à morbo vehementi viribus accisi sunt, qui, per vulnera confecti & jam actione vitali defraudati, si virus aliquod, aut molem extraneam intùs combiberint, vix veneni symptomata aut sentient, aut exprim: nt. Convulsivum erit per Metaptosin, quodcumque sese oculis offeret; nil rationale, nil non absurdum emicabit. Imò in gravi casu, & viribus præ debilitate fatiscentibus, oppresso vitali spiritu & circuitu interrupto, mors placida, obstructis & actionem recusantibus meatibus, supervenit, nullâ crisi, nullâ Metastasi, Metaptosi nullâ; aut, si quæ fiat, fit in viscera vitæ sacra, lethalis ipsa per se & quasi subitò perniciosa.

2°. In morbo gravi propter oppressum vitale virium principium.

At secundò si vires oppressæ sint, sive à veneno in caput delato & in hanc vitalem arcem decumbente, sive à quâcumque aliâ causâ; hic actio quidem vitalis naturæ, quæ interiorem actionem & excitat & fovet, aut perimitur, aut, omninò abnormis facta, salutares effectus non exerit. Hinc certè non solùm coctio nulla, sed & nulli nixus ad coctionem sperandi sunt; viget autem aut putrescens, aut fermentescens, aut quoquomodò liquores immutans actio morbi mechanica, silente

& inerti omni facultate vitali : tunc nec Metastasim salutarem, nec crisim quamcumque sperare convenit, sed solùmmodò mutationem Metaptoseωs malam illam & quocumque modo feralem, eòque magis quò magis recedit à naturâ morbus. Tales sunt tumores, indurationes, maculæ pestiferæ, hydropes generis cujuscumque, stases demùm, ut cutim, sic intima viscera depascentes. Sic agunt violentâ vi acredines putridæ; sic agunt plethoræ in cerebrum delatæ; sic & aqueus latex à cacochymiâ exundante in principium nervorum actus: imò effectus eosdem, sed lentiùs invehunt affectus omnes animi tristes, animam è pacato stâtu deturbare apti, & omnibus inertiam functionibus animalibus incutere idonei. Nam in his, omnis febris irregularis & abnormis, corde stricto, coctionem recusat & crisim repellit. Ut ergò prior illa, viribus scilicet omninò deficientibus, Metaptoseon origo & causa quasi necessariò promptam atque veluti necessariam mortem invehit; ita hæc altera ab iis compressis atque sub morbi pondere delitescentibus sæpiùs lentâ tabe peredit; modò tamen arte, nimis sæpe inutili, vires vitæ non exsuscitentur atque renoventur: tunc enim fieri potest ut, cæterarum partium facultatibus prædominium obtinentibus, & Metaptosi reliquum corpus liberante, venenum, lentiori, sed existente naturæ actione, in minùs momentosam partem deferatur, in

quâ, viribus actuositatem exercere jam idoneis, natura tandem ad conterendum hostem prævaleat.

3°. In exuberantiâ materiei per ipsius naturæ actionem evolutæ.

Verùm non sine magno medentium timore natura ipsa intùs allaborans multiplicem sufficit Metaptoseon materiem, summâ Medicorum attentione dignam; hæc à longinquo sæpe fundamento orta, nunc per varia ingruit fortuitaque accidentia, nunc in ipsâ corporis idiosynchrasiâ natalia invenit. Universalis hæc est & vix devitanda causa. Sæpiùs illa, in flexilibus juvenum corporibus, quasi ex naturæ constitutione, etiam sine morbosis partibus admissis, sed in novos nixus mutationesque corporibus necessarias nitente prætermodùm naturâ, contingit. Scilicet materiæ nutritiæ exuberantis, sed crudæ acrimoniamque inde facilè concipientis fieri videtur Metaptosis. In articulos sæpe fit, aut in oculos, in parotides, in genas, in organa digestionibus inservientia. Sæpe brevibus ab ipso ortu intervallis manifestus fit uberrimus ille Metaptoseon fons in dentium eruptione, & in dispositione illâ convulsivâ quam ventriculi spontanea vitia inferunt. Sæpe tardiùs, hanc materiæ nutritiæ mutationem præmatura chlorosis puellarum invehit. Varias enim minatur insidias, & quibus vis supervenientibus morbis novam impertit indolem, novas complexiones addit Metaptoseon feraces, nunc hydropi & cachexiæ adscribendas, nunc ad

In evolutione corporum.

In infantiâ.

In pubertatis limine.

phthifin inflammatoriam referendas. Quod æquè in muliebri fexu, nondùm erumpentibus menftruis, & in mafculâ vi necdùm evolutis ad generationis officium infervientibus organis accidit. Tunc temporis languet non evolutæ actio naturæ fub humorum jam abundantiùs exundantium pondere, fed per vices atque periodos, præ juventæ fervore, exafperatur, febriles motus fibi fæpe expoftulans. Hinc nulla alia ætas adeò Metaptofibus patet fcenam ludentibus variam, & nunc huc, nunc illuc multiplicatis actionis naturalis effectibus: nullâ enim in aliâ vitæ periodo tantam corporis organifmus fubit mutationem. Cùm pili enafcuntur, vox mutatur, totum corpus ad novos ufus accommodatur. Porrò in eâ utriufque fexûs conditione, ut novus excrementorum recrementorumque ordo nafcitur, ita deftruitur veterum glutinum vix fpiritibus fœtorum farrago: refiftendi vim edidicêre glandulæ; priftinæque Metaptofes, ab ipsâ olim inductæ corporis muco prægnantis conditione, jam vincuntur. Sic ad aures faniem ftillantes nullum præter ætâtem invalefcentem potentius fubfidium, ad oculorum lippitudinem, ad puftularum ulcerofarum eruptionem, ad cruftas illas lacteas, ignem fylvaticum, faciei maculas; quid plura? ad ipfam epilepfiam & convulfivas difpofitiones. Imò, robore illo afflato, vifæ funt erigi partium ipfarum, ab infantili natæ

Metaptofeon puerorum ætati propriarum, à pubertate diffipatio.

vitio, diſtorſiones, modò ſtructuram ipſarum partium organicam non fuerint adortæ penitùs. Hinc tot mala totque Metaptoſes ab ætate ſanatas numeravit HIPPOCRATES.

Metaptoſeon cauſæ ſexui fœmineo propriæ.

Tùm porrò naſcuntur maximæ inter utrumque ſexum differentiæ, morborumque inter ſe diſcrepantium proventus Metaptoſeon maximè ferax. Jam quantùm à virilibus muliebres morbi diſcordes ſint quis neſcit? Morbus muliebris ferè ſine Metaptoſi nullus datur. Corpus habile & fluxile nunc huc, nunc illuc cauſam eò magis defert, quò magis cum nervis tenſis atque vibratilibus & flexilibus fibris res agitur; ſemper minas intentat plethoræ veræ metus, muliebris ætatis progreſſus: ſemper nervi actionem moliuntur inordinatam. Adde hîc humorum extraneorum ex ipſo naturæ ordine naſcentium exuberationes, deliteſcentias, eruptiones inconſtantes. Idem morbus fit catarrhus, eryſipelas, rheumatiſmus, ſuppuratio, hydrops. Unde vitam illæ in doloribus tranſigunt, quos & patienter tolerant & cum minori periculo.

Cuilibet ætati & conditioni ſuæ Metaptoſes.

Nec certè deeſt in utroque ſexu cuilibet ætati, cuilibet vitæ conditioni, ut diverſitas in morbis, ita & in Metaptoſibus varietas: quarum aliæ, neceſſariò cum morbo junctæ, ad ejus naturam pertinent, aliæ accidentariæ tantùm dici poſſunt. Singulas enarrare impoſſibile eſt: alias edocet Phyſiologiæ ſimplicior inſpectio; alias inexpectatas nec prævi-

dendas infert vis animata insita & abscondita, cuique subjectò peculiaris. At illas ullâ vix comprehendere possibile est enumeratione, licet, de sympatheiâ loquentes, KAW-BOERHAAVIUS & REGA, rem immensæ inquisitionis quâ fieri potest sedulitate descripserint, sed maximâ sui parte non valuerint attingere.

§. III.

Tertia Metaptoseon causa; à vitiosâ partium corporis constitutione.

Ruit in debiliorem partem Metaptosis.

In caput.

HINC porrò patet quanta sit seges expectanda Metaptoseon à perversâ solidorum constitutione, sive connata sit illa, sive conquisita, si quandò morbus inciderit. Si enim v. g. fracta sit illa quæ inter partes convenire debet proportio, tunc vires morbi in illam præcipuè desæviunt, quæ volumine, aut structurâ aliis nullâ ratione proportionalis est. Sic in illis in quibus caput volumine alias partes exsuperat, dolores capitis præcipuè concentrantur, & quibuscumque in morbis horum caput periclitatur, delirium minas præsentes intentat, & convulsionibus præ aliis tentantur. In hanc partem ne humores Metastaticum in morem decumbant caveat Medicus: at illorum ad nares, ad oculos fluxiones congeruntur, facili de causâ intumescunt glandulæ, inestque iis quasi præsens semper catarrhus: in hâc dispositione lippitudines expectandæ, aurium bombi; & in genere mala quæcumque à plethorâ impendent, in has partes de-

cumbunt, fitque, reſpectu proportionis fractæ, cachexia localis: adde quod morbi cutis, quicumque caput adoriuntur, iis præcipuè impendeant; quippe vaſa magis capacia magis tranſmittunt humorum, iis verò ex capite expellendis obſtat ex ipsâ partium fabricâ pendens thoracis proportionalis anguſtia. Hæc quidem omnia non eundem metum incutiunt, ſi caput fuerit anguſtius. Sed hoc in caſu functiones minùs validè exerceri neceſſarium eſt, defatigationemque maximam levibus ſuccedere laboribus pronum eſt. Unde vulgò ii pro imbellibus, imò pro imbecillis habentur, ſive quòd minùs generetur humorum ad haſce functiones neceſſariò conferentium, ſive quòd capacitas minor graciles nimis partes contineat. Certè cerebroſæ ſubſtantiæ ad partes ſubjectas proportio multò major eſt in homine, quàm in cæteris quibuslibet animantibus, eâdem cæteroquin ac nos mechanicâ vi vigentibus atque degentibus. Nec etiam prætervidenda colli proportio, quæ, in variis hominibus diverſa, eos qui brevioris colli ſunt, morbis reddit ſoporoſis & in genere omnibus capitis morbis obnoxios. Arguti verò colli atque proceræ cervicis longitudo thoracis vulgò arguit anguſtiam & depreſſionem. At nullâ in aliâ corporis pravâ conditione adeò metuendus Metaptoſeon proventus quàm in eâ quæ pendet à thoracis perversâ ſtructurâ. Quo quidem vitio frequentius nullum, præ-

In pectus.

ſertim in infirmis & mulieribus, ſi à parte ſpinæ dorſi, ſi à ſterni poſiturâ, ſi à coſtarum incurvatione variâ vitiari thoracem ſpectaveris. Ipſa quidem, heu! ſtructuræ deformitas Epigeneſis, ſeu potiùs Metaptoſis fuit, ut plurimùm vitii à parentibus accepti, rachitici illius, aut etiam degeneris venerei, aut demùm ſcorbutici veneni, vel efformati per ſuccorum alimentariorum penuriam & pravam à nutricibus hauſtam humorum craſin. Imò ſæpe convulſiva dentitio, dùm tenerorum humorum proportionem frangit in infantibus, ſimul inæquali muſculorum tractione metuenda, ſæpe articulos torſit & ſpinæ rectitudinem fregit: nam rarum omninò, imò monſtroſum, naſci infantes diſtortos; ſed vitium illud recens ablactatos, & pravè educatos ſæpe adoritur. Imò ſuperveniſſe rachitidem ictibus, fracturis, luxationibus, violentiſque corporis concuſſionibus experientiâ notum eſt. Quippe corpus inde ſummâ agitatum violentiâ chylum, ſanguinem, ſuccos omnes è nativâ proportione deturbat: unde in tenellâ ætate ad oſſa uſque, mollia illa, cartilaginea & epiphyſibus inſignia, pervenit irregularis ſucci mollioris appoſitio. Succus ille devius, dùm hinc protuberat in dies, inde deficit, ſtructuram, uſum, nixus, puncta muſculorum fixa mutat, emollit, intervertit: unde varia corporis forma naſcitur, nec uſibus apta, nec vincendis irruentibus reſiſ-

tentiis per ſe capax. Hinc etiam, reſtitutâ ſanitate, tot gibboſorum ſpecies, tot poſituræ deformes, quibus ſemel conſtitutis, nullus eſt catarrhus qui non anhelitus ingentes importet, qui non humorum colluvie gravet thoracem, qui non in levi causâ graviora importet ſymptomata. Quod quidem Metaptoſeon ſpeciem conſtituit gravem illam & ſuffocationi proximam, iis verò ita familiarem, ut pro aſthmaticis illi jure habeantur ſæpenumerò, totque experiantur ſuffocationum formas quot ſunt & eſſe poſſunt vitiatæ in oſſibus conditionis ſpecies. Verùm ſi in tali rerum ſtatu, aut febris, aut morbus alter ingruat, primò quidem duplicantur omnia ſymptomata, ſuffocatio fit enormis, linguæ pharyngiſque ariditas ſumma comitàntur morbum. Hinc etiam per ſuffocationem præpedito ſanguinis reditu liveſcit vultus, inflantur jugulares venæ, fitque quaſi prioris Metaptoſeos altera in caput Metaptoſis. Rarò longioris ævi ſunt illi quibus tale quid in ſtructurâ thoracis piaculum inciderit, cùm vix ſufficiant ad uſus vitæ communes. Nullum eſt malum, etiam à thorace diſſitum, in hiſce caſibus, quod non circuitum intrà pulmones intervertat atque corrumpat. Sic à cordis polypo & impedimentis in magnâ vaſorum cordi proximorum capacitate natis oriuntur mediaſtini thoraciſque hydropes, qui, etiamſi caſu aliquo malum princeps tolleretur, exiſ-

terent per se; quod in coagulatione sanguinis catarrhosâ accidisse vidi, sive hydrops ille Metaptosis fuerit, sive Metastasis.

Præterea verò quot Metaptoseon species, quot sympatheiarum formas inducit mutatus plexûum nervosorum situs, à quo mutato usus atque directiones mutari necesse est? An non eadem longitudo, idem situs eosdem effectus exerit, diversus diversos? Longiores gibbosis sunt artus, thorax angustior, incurvata positio. Certè nerveis, & iis quidem vix prævidendis symptomatibus affectos vidi plurimos ex his, qui gibbo, aut thoracis distorsione laborabant. Longior foret horum symptomatum historia: at observatione etiam constanti in arte deprehenditur, eas quæ loricis in pueritiâ abutuntur fœminas & arte sibi elegantem & justam conciliare quærunt posituram, debiliori brevî notabiles esse nervorum systemate. Verùm, ne longiores simus in evidenti illâ exponendâ Metaptoseon origine, notasse sufficiet distorsionem spinæ non ad solas thoracicas vertebras pertinere, sed etiam ad lumbares illas; unde etiam hepar, lien, renes & universa abdominis viscera sua etiam patiantur discrimina. Et certè si ingentem illum apparatum quem sibi vindicat bilis secretio consideraveris, in quâ nullus vasorum angulus pro indifferenti haberi potest; si pancreatis atque lienis situm, si renalem lotii secretionem perpenderis, quàm varia inde

Metaptosis per malam partium conformationem.

In nervos.

In viscera contenta.

expectanda ſunt ſymptomata? Lumborum dolor, in his qui inverſam habent lumborum ſtructuram, nullum non comitatur morbum. Nec dubium eſt quin partes, aut volumine ampliores, aut poroſitate debiliores, aut infirmitate magis obſequioſæ, faciliùs venenum accipiant, fiantque ſæpiùs in haſce partes, ut Metaſtaſes, licet Metaptoſes. At nervorum variata actio Metaptoſes facit ſymptomataque his tantùm nota, cæteris verò mortalibus incognita. Porrò dolor in aliquam partem delatus, & ibi quâcumque de causâ ſæviens, novas morbo ſedes, ſecundùm HIPPOCRATIS effatum, invehit, novaque conſtituit complicatorum morborum, aut etiam Metaptoſeon genera; hâc ſæpe actione ſolâ profuere phænigmi, exutoria, veſicantia. Sic iis qui anguſtiorem habent thoracem familiare eſt, ut diſſitâ etiam de causâ facilè ſanguinem exſpuant. Porrò à ſanguinis ſputo puris ſputum, à puris ſputo tabes, ex HIPPOCRATIS edicto, multiplicatâ Metaptoſi oriuntur. Sed, etſi non ſemper à ſputo ſanguinis, imò nec à puris ſputo tabes oriatur, remanet ſæpe anhelitus, ſæpe pulmonum dolor, imò & vocis quaſi perpetua imminutio. Vomitus virideſcentes bilioſi eos levi de causâ torquent, qui hepatis ſedem mutatam à naturâ nacti ſunt. Hæc omnia non ſolùm morbi accidentia ſunt, ſed etiam novam ei formam inferunt, ſuntque veræ Metaptoſeon cauſæ, &

veram Medicis crucem conſtituunt; quoties nec ineundam viam indicant, nec etiam à ſcopo deterrent, cùm vinculum nullum, nullam connexionem cum causâ ſervent, ſed ſymptomata inferant nullâ arte prævidenda. Quod quidem, cùm in omnibus malè moratæ internæ corporis conſtitutionis caſibus evidens ſit, verum præcipuè eſt in iis quæ ſuſpicari nefas, nec tamen ita raræ ſunt corporis conditionibus, ut eſt, v. g. ſi lien deſit, aut alieno loco ſitus ſit, ſi renes pariter locum alienum occupent, aut aliquo tumore comprimantur, ſi adeps locum ſibi non permiſſum invaſerit. Cætera de hoc genere præterire licebit ſilentio, quippe quæ ſolâ cadaverum obſervatione deprehenduntur, eâque ferè inutili, cùm nec præcepta, nec regulam ſufficere poſſint.

Per latentes intùs partium deformitates.

At certè nulla pars adeò infamem & jure timendam cum aliis partibus ſympatheiam exercet quàm ea quæ ad uterum pertinet. Nec prætermittenda ſunt in hâc claſſe ipſa etiam virorum genitalia. Porrò, ſi eas quæ ab ipſorum evolutione jure repetuntur mutationes diligentiori examine perpenderis, circà vocem, in maribus præcipuè, in ſequiori ſexu circà mammas, & in genere circà omne glanduloſum genus, pronum erit concludere quantas in morboſâ conſtitutione vices ſibi ſumere debeant organa hæc momenti maximi. Nulla in ſequiori ſexu intrà abdomen concipi, aut

Per deformia genitalia.

In mulieribus.

intelligi poteſt circulationis norma, ſi deſit; aut quâcumque ratione laboret vacuatio illa naturalis, quâ ſexus impunè carere non poteſt. Imò inde quot anhelitûum formæ, quot cachexiæ veſtigia pendent, quibus inertia ſpaſmodica & irregularis novos motus & abnormes conciliat, nunc infarctus immedicabiles inferens, nunc etiam per febrilem motum eryſipelata, maculas, œdemata? Sed ſæpe ipſa laborat imaginatio: nec minora patitur ſymptomata ventriculus, vomitum, ſingultum, nauſeam, picam, malaciam ab hâc causâ ſibi aſſumens. Imò ipſum hepar, dùm laborat viridi illo ictero, ſatis probat nullum ab hâc labe viſcus immune dici poſſe. Verùm quot & quanta in hiſce partibus, aut irritata, aut quocumque modo peſſumdata nervorum actio poſſit inferre ſymptomata, jam alibi ſatis enarratum eſt. Dolores capitis, clavos hyſtericos, oculorum, labiorum, maxillæ inferioris dolores, aut convulſiones, nemo eſt qui ignorare poſſit. Tùm verò ſpaſmorum alii durabiles ſunt, ut ſunt, aut colli, aut artûum retractiones, quæ ſæpe per annos duravêre, imò & inteſtinorum ſubingreſſus. Alii ſunt fugaces & ſcenam quidem mutant, ſeu potiùs locum ſcenæ, ut videre ſæpe eſt ſtrangulationes, ſuffocationes, ſingultus, dolorum ſpecies vix enarrandas & ejulatibus miſerarum tantummodò cognoſcendas, quæ uteri mala comitantur. Forſan hæc omnia

inter Epigeneses malo Proteiformi superinductas, aut tantùm inter ejus symptomata locum sibi vindicant. At datur sæpe in nervorum & uteri morbis revulsio : sæpe observatur morbum motibus spasmodicis formidandum illicò conticescere, & per spasmum in aliquo artûum situm & eum pertinaciter retrahentem morbi formam mutari. Præclarè sæpe actum secum ægrotantes sibi gratulantur ; at longa pertinacis spasmi fastidia brevi tædio miseros afficiunt ; & dùm conamina ad eum curandum exerimus, sæpe redit nova spasmi forma, aut succedit tremor semi-paralyticus. Præterea, ut omnis nervorum morbus causam aliquam sibi nanciscitur, sæpe nulla potior emicuit curandi methodus, quàm si per suppurationem morbus nerveus sese in inflammatorium versum esse arguat.

Veræ nerveorum morborum Metaptoses.

Vividior est virorum mala conditio in organis genitalibus, ad caput & imaginationem vulgò delata ; nec ignota tamen convulsifica horumce organorum actio, in quâ belluarum more feruntur in objectum amatum mares ; quos nec virtus, nec legum fræna coercere valent. At nihil hæc ad Metaptoseon doctrinam conferunt, nisi tamen advertimus vehementem illam horumce organorum titillationem aliquandò in manias abire atque melancholias, imò in imbecillitatem, tremores, phthisimque siccam, si præsertim desit nutritio : de quibus omnibus cùm abundè Cl. TISSOTUS

In viris.

tractaverit, nulla nobis ratio est cur iis insistamus diutius. Nec diffitebimur quidem, imò & cum HIPPOCRATE consentiemus, quòd, febre regulari semel positâ, nervorum morbi isti sæpe conticescant, & reverâ quoties inflammatorium quid in corpore emicat, Metaptoses nerveæ rariores sunt. Attamen non adeò infrequens est in febribus intermittentibus nerveas fieri Metaptoses. Imò atrocia symptomata, quæ, licet febre cessante vulgò cessent, tamen diras sui etiam in intervallis linquunt reliquias, ut sunt lumbago rheumatica, tenesmi, anhelitus, dolores coxarum, cruciatus capitis, &c. Vidi non unâ vice, quartanis silentibus, quartanarium in morem accessus prodire convulsivos, febremque magno herclè pretio redimere. Sæpe etiam debilibus thoracibus inflammatorius ardor relinquitur, qui primam sedem à spasmo mutuatus est. Quidni enim spasmo constringente fiat congestio, quæ, semel facta, etiam sublato spasmo, illicò non tollitur. Nec desunt sæpe, etiam in hystericis observandæ febres, quæ, desinente, aut imminutâ febre, per intervalla spasmos relinquunt assiduos: quod etiam aliquandò epidemicum fuit, & id præsertim post ingentes æstus atque calores observandum venit.

Nervei aliis affectibus sæpe alternati.

At verò, licet causa Metaptoseon sæpe evidenter à nerveâ pendeat dyscrasiâ; ut anno 1780 in febribus autumnalibus passim ob-

Nerveæ Metaptoses à causis sæpe non nerveis.

ſervavimus, cùm ſæpe nunc hemicraniæ in morem, nunc ſub formâ colicorum atrocium paroxyſmi emicuerint, imò & ipſam ſint mentiti arthritidem, &, ceſſante paroxyſmo, diras ſui reliquias depoſuerint; advertendum tamen eſt nerveam hanc diſpoſitionem, qualiſcumque fuerit illa, ſæpe ſæpiùs pendere à dyſcraſiâ intùs reconditâ & cauſis verè ad mechanicem referendis. Ita quoties uterus quâcumque de causâ obſtruitur, phlogoſi tentatur, humore impetitur herpetico aut venereo, ſymptomata emicant hyſterica ab utero latè longèque diſſita. Imò ſæpe, ſublatâ per artem causâ, non tolluntur illicò effectus, ſupereſtque ſæpe miſeranda Metaptoſis; quippe diſtractis convulſiſque partibus, remanet non ſemper reſtituenda dyſcraſia, ab atoniâ per erethiſmum præcedentem inductâ pendens, ipſique proportionalis. Mutatur ſymptomatum forma, morbi tenor diſſitos à prioribus effectus exerit, Metaptoſis adeſt.

Quod autem hîc de utero obſervamus, ad omnes æquè partes fibris donatas nerveis, quas ipſa regit ſenſibilitas, pertinet. Ita ſæpe, poſt longos atque cruciantes capitis dolores, ipſe functionum animalium tenor infirmatus ſuccedit. Imbecillitatem nacta eſt imaginatio, imminutionem memoria, judicium remanſit debile; in junioribus quidem, menſium aliquorum ſpatio, res reſtituta eſt; at in vetulis impreſſa labes, per totum vitæ reſiduum re-

Nervea imbecillitas ſuperſtes; in ſenioribus durabilior.

mansit. Ita sæpe videre est à febribus, quæ capitis arcem, aut saltem functiones impetiisse visæ sunt, ægros convalescentes in compitis deambulare, bellè comedere, delirare tamen circà plurima objecta, non sine propinquorum metu; at vulgò sensim res ad pristinum rediit statum, viribus omninò restitutis. Id autem in senioribus raro admodùm contingit, & semel delirus senex semper delirabit. Idem anhelosis accidit; idem stomacho fractis atque ictericis; idem etiam omnibus morbis non adeò numerandis commune est, cùm ad omnes hujus prosapiæ affectus, idem periculum eodem modo pertineat, possintque huc omnia illa referri, quæ in Aphorismis vocavit HIPPOCRATES τὰ καταλιμπανόμενα. Hæc & novos sæpe efficere morbos & eorum accersere reditus demonstratum est, nunc in debilitato corpore majores, nunc in restituto & complicationibus libero minores. Illæ quidem reliquiæ, in Medici non merentis vertuntur opprobrium, injustorumque ægrorum querelas concitant. Quis ex artis practicis multa ventriculi mala, post morbos, ad usum tartari stibiati, ad kinamkinam, ad cathartica quævis referri nescit? Silendum est. Sibi ipsi præmium referet virtus conscia.

Ortæ inter morbos deformitates, sæpe Metaptoseon superstitum causæ.

Nunc præter fomitem illum antiquum & in ipso fixum corpore, quantùm valeat ad illum adaugendum, prava solidorum constitutio satis apertè patet; imò & in morbis ipsis vitiantur

tiantur connexiones omnes, omnes posituræ. Unde in acutis, & præcipuè post acutos, remanent hinc adhærentiæ & concretiones, illinc laxitates & atoniæ; unde à malâ illâ viscerum & fibrarum diathesi symptomata oriuntur anomala, discordia, sibi repugnantia, crucem Medicis, tormenta ægris, stuporem assistentibus inducentia. Nec raró, notante sic FONTENELLIO, Observationum redactore accuratissimo, in internis partibus, aut nativæ, aut casu quovis efformatæ dyscrasiæ atque deformitates, morborum species novas attulêre, quas, aut ars prævidere, aut præcavere, non satis admonita nunquam potuit. De iis Sepulchreta videantur, aut etiam varia Academiarum Acta.

§. IV.

DATURNE etiam in fluido usque adeò mutabili, scilicet liquorum animalium systemate, nativa aliqua formæ mutatio atque impressa fermenti more labes, quæ ut morbos inferre, ita etiam Metaptoses inducere possit? Res certè facilè observatione deprehendenda, id saltem secum affert solatii, quod prævideri, adeòque aliquâ ratione præcaveri queat. Cùm enim omnia rapido cursu vehantur & auferantur, ut aliqua possit inuri labes fluidis quæ permanens sit atque fixa; supponere licebit dari intrà corpus receptacula à

Quarta causa: humorum depravatio latens, in Metaptoses prona, datâ occasione, erumpens.

Danturne in corpore fomitis morbosi latibula?

rapiditate illâ circuitûs prorſùs immunia, quæ, cùm fomitem morboſum poſſint intùs retinere, corpus queunt ab eo aliquandò ſervare immune, unde, datâ tantùm occaſione, in actum erumpit fomes, morboſque efficit varios pro ætate, conditione, imò occaſionalibus quibuſcumque cauſis. Qui ſemel liquor ubi in actum elatus eſt & ferociam ſuſcepit, tùm mutari, alterari poteſt, novam induere naturam, & varia Metaptoſeon genera inducere. Nec ſatis eſt de cognitis & quaſi evidentibus rerum proprietatibus fuſiùs diſſerere: certè ea eſt in materiâ & motu proprietas, ſi præſertim calor hîc concurrat, ut volatiles indè eliciantur atomi, aëris formâ, aut ſimplicioris etiam, ſi quod aliud eſt, fluidi, qui quidem poſſint functiones immutare, ordinem naturæ jam in morbis ſtabilitum evertere, & phænomena illa concitare quæ Medicis theoriis vix poſſunt comprehendi.

Quænam ſint hæc latibula?

Porrò dari in corpore animali hujuſmodi diverticula, in quibus tanquam ab ipſo circuitûs tumultu humores excepti quaſi conquieſcant, motum actionemque amittant, imò & attractione firmâ partium inter ſe ſolideſcere poſſint, facilè patebit per univerſum œconomiæ ambitum diſquirenti, imò & leviter functiones intuenti. Ipſe enim textus cellularis, quâcumque extenditur, in cellulas variæ formæ, varii ordinis, diſpoſitionis inter ſe prorſùs diverſæ diviſus, poteſt exitum

Textus cellularis.

liquoribus denegare, ita ut illi in eo comprehensi, atque stagnantes, jam novas facultates exerant, adjuvante porrò calore, compressioneque partium vicinarum novas acquirant formas atque proprietates, quæ, quandiu in motum non aguntur, nullos exerunt effectus. Præterea verò, in ingenti illâ glandularum ubique diffusarum familiâ, quot possunt in diversiformibus meandris, in cellulis etiam primariis fermenta delitescere, quæ aliquandò actionem non concipiunt, nisi à variis ætatum, diætæ, atque locorum circumstantium varietatibus in motum agantur, tuncque datâ operâ erumpunt: tantus est insidiarum in nos proventus, tanta tamque legitima formido! Tales sunt plures hæreditarii morbi, qui tamen, nisi per ætatis decursum, non erumpunt, nec emicant, ut arthritis, ut sæpe etiam hæmorrhoïdes, quasi usque ad senectutis tempora delitescentes, aliique plures morbi. Fieri talia plura periodicè nec novum nec insuetum in corpore; quales sunt menstruales hæmorrhoïdes, annua erysipelata, semestres arthritidum paroxysmi; imò hæc in illa mala desinunt, ut hæmorrhoïdum fit transitus in erysipelata, arthritidos in herpetes: quæ quidem diversitates varia Metaptoseon genera in eodem humore constituunt. Igitur servari posse intùs in corpore morborum fomites, conticescereque ad tempus in demonstrato est. Porrò, jam in motum acto

Glandulæ.

Fomitis evolutio Metaptoses facit.

& universam humorum massam fomite illo occupante, quantæ quàmque variæ Metaptoses expectandæ sint non minùs patet, si præsertim debilitas se morbo junxerit, nec permiserit ut nativas crises morbus humoralis adipiscatur. Hinc sæpè loco cruciatûum arthritidis in pedes aut manus desævientis, quot capitis dolores, quot anhelitus, quot tormenta colica, quot etiam atroces pruritu cutis morbi emicuerint nemo nescit? Quæ quidem singula pro Metastasibus forsan haberi possent: at, superante malo, Metaptoseon etiam naturam induunt, ita ut, in vetulis præsertim, sæpè crudeliter sævienti jungantur arthritidi, ab ejus insultibus olim enati proventus. Quid varia hîc luis venereæ fata revolvam? Quid reliquias variolarum, sive insitarum, sive naturalium prosequamur, præsertim in pueris? Cum his omnibus bellè actum est, si chronicas tantùm labes inferant & Metaptosibus locum relinquant: nam aliquandò sævitie insigni miseros peremerunt, occupatâ scilicet parte principi. Verùm nihil magis, inter humorum vitia, Metaptosibus aliquandò acutis, sæpiùs chronicis subjacet, quàm scorbuticum virus, quod, præsertim in nautis longâ navigatione laborantibus, in aëre præprimis uvido atque frigescente, emicat. Quippe mortes subitaneæ, apoplexiæ, paralyses sese quotidie produnt; modò colicis illudit doloribus scorbutica lues, modò vexat

Fomitis evolutioni accedit naturæ debilitas.

Accedunt & ab exactis morbis non extincti fomitis reliquiæ.

A scorbuto.

anhelitu, peripneumoniam ſimulat, cæteroſque morbos omnes ſummæ jungit debilitati atque inertiæ naturæ ; nec Metaptoſibus tantùm infamis eſt, ſed aliquandò Metaſtaſibus miteſcit, referente EUGALENO, in gingivas atque crura impetum faciens ; artus omnes occupans, ulceraque efficiens quibus reliquum corpus ſartum tectumque remanet. Certè in caſibus iſtis Epigeneſes atque Metaptoſes inter ſe confundi licet, cùm ſcilicet, remanente causâ eâdem, ſæpe ſymptomata mutentur, fiatque unum prædominans cæteris conticeſcentibus. Nec metuendæ minùs mulieribus quæ à lacte degeneri pendent Metaptoſes, quod ſcilicet in textu cellulari adipis locum occupans, ibi concreſcit atque coagulatur ; inde verò motum concipiens per putredinem ſæpe adhuc aceſcentem nunc in cutem deponitur, nec peſſimum illud eſt ; nunc degener occupat viſcera in atrabilem verſum, omniaque effera melancholiæ atque maniæ non facilè delendæ efficit ſymptomata. Hîc videre eſt maniam vix ſanabilem ; hîc anhelitus convulſivos horrendos, hîc icteros virideſcentes, ſcirrhos, hydropes, præcipuè verò omnia convulſionum hyſtericarum vel maximè metuenda ſymptomata. Reverâ quidem fateri cogimur ſæpe Metaptoſes illas rectè inter legitimos atque phyſicos mali effectus recenſeri : ſed, cùm morbi ipſi novum characterem imprimant, ſæpeque à præte-

A lacte degeneri.

ritis ſymptomatibus ſublevent, novaque ſibi conſilia poſtulent, jure inter Metaptoſes recenſendi ſunt. In quo quidem notandum eſt, poſſe plerumque illos nondùm maturo morbo præcaveri, quod, ut in ſcorbuto, ſic in lue venereâ verum: quia horum fomitum non tam natura quàm curatio noſcitur; nec æquè in aliis circà quos titubat adhuc artis efficacia, poteſt, aut prævideri, aut præverti Metaptoſeon natura, ut in hoc dicto jam genere malorum, quæ id ſibi peculiare & proprium habent quòd ſua ſibi vindicent remedia ſpecifica. Quid, v. g., de ſcrophuloſo fomite prævideri poteſt, ſi verè & ad naturæ normam obſervata afferre in medium volumus? Perire phthiſi pulmonali pleroſque eorum qui ſcrophulis pueritiam habuere lubricam videmus, aut, lue in ventrem depoſitâ, ſcirrhis eos laborare, tandemque hydrope confici, non ſine verſi in cancrum mali doloribus atrocibus. Quid de fermento herpetico agamus, cujus ut non una natura, ſic effectus non unus, ſic Metaptoſis diverſa? Hypochondriaca peſſima ſymptomata, hyſtericarum convulſiones, melancholiam, ſcirrhos, hydropes, phthiſinve ſiccam & per virideſcentem diarrhœam vitæ infenſam, ab hâc causâ ortas quis non vidit? imprimis ſi ars incauta atque veræ methodi neſcia eruptionem molienti naturæ obſtiterit; quod quidem in junioribus mulieribus familiare eſt atque vulgatum;

A fomite ſcrophuloſo.

A fermento herpetico.

imò ſæpe latuit hæcce cauſa per plures annos, nec ſeſe videri paſſa eſt, donec emicuerit fato, aut quâdam potiùs felicitate, modò non ad hunc gradum invaluerit cauſa, ut ſuperflua tantùm ad cutem ſeſe ferant, nec minùs prædominans labes intùs deſæviat. Tunc enim eruptio auctum tantùm malum atque magis ac magis invaleſcens demonſtrat, nec jam criſeos, nec Metaſtaſeos, ſed ſoliûs Metaptoſeos capax.

Quæſtiones ad humoris morboſi ejuſque Metaptoſeon diagnoſim pertinentes.

Quòcircà illud præcipuum apud Medicos ſtudium fuit, ut latentis atque ſeſe diſſimulantis mali diagnoſim obtineant, duplexque inquiſitio ipſis præcipuè viſa fuit in propoſito, an morbus, ille quicumque ſit, totam imbuat humorum molem, in omnemque habitum ſparſus totam corporis ſubſtantiam vitiet? An contrà, cæteris intactis, ſanoque cæteròquin corpore, alicubi hæreat malum, ibique uni tantùm parti infenſus, unique immixtus humori deliteſcat?

1°. An morbus ſit totiûs ſubſtantiæ?

Circà primam quæſtionem, primum & univerſale Hippocratis præceptum eſt, ut ea omnia, quæ ſub excrementorum nomine ejicit natura accuratè, & per plures temporis moras, inſpiciantur. Ea enim in univerſali morbo peſſumdari, vitiari, & prorſùs immutari neceſſe eſt. Quod in morbo parti alicui proprio non reperitur. Sanum hominem nunquam poſſis dicere cui ſigna vitii omnia ab excretis petenda concurrant. Igitur, ſi nulla ſit

functio peculiari affectu læsa, sed malum universale omnes æquè adoriatur, nunc hanc, nunc illam, pro ratione loci atque fabricæ, cruciatibus torquens; ita ut simul omnes signa dent indolis vitiatæ, quod in scorbuto familiare est, nec integra perstet ulla, aut concoctio, aut excretio, massam humorum universam vitiari patet: &, si symptomata hæc conticuerint, resque ad statum sanum & naturalem reduci videantur, aut sine crisi, aut sine vacuatione aliquâ quæ vitio præcedenti proportionalis fuerit, aut demùm sine legitimâ specifici remedii administratione, tunc signum est Metaptosi quâdam, aut Metastaticâ depuratione, vitium humorum in aliquod viscus depositum fuisse, ibique latere, novas moliturum insidias ex improviso assultu. Quod rarum est in universali morbo, nisi tamen mutatâ formâ, sed non mitificatâ indole, eò adacta fuerit lues, ut solida possit ipsa alicubi corrodere; fit enim tunc ulcus internum, omnia brevi spatio depascens, & perimens: quod, in morbis pestilentialibus frequens atque promptum, in putridis minùs atrox, in scorbuticis affectibus lentum ubi comparuerit vitium, cujuscumque fuerit generis, lethale est.

2°. An sit alicui peculiari parti proprium malum?

At in alterâ quæstione scena omninò diversa expectanda est. Omnia vulgò sana apparent, non ut in priore casu vis vitalis prostrata est atque dejecta, residet huc, vel illuc

causa decumbens, & sæpe quas invaserat primùm partes posteà sanas relinquit. Si sese fixiorem fecerit, quod nunquam in suis effecit primordiis, symptomata quidem atrocia ibi concitat, & eò quidem atrociora quò cæteris partibus intactis magis emicant illa, & habent quidem hæc symptomata peculiaria secum semper aliquid aridi, incocti atque convulsivi: quippe natura inest acris, incoctilis præ suâ ipsi innatâ tenacitate, & effectus causæ depositæ correspondent. Morbum merè nerveum credideris; &, si morbo aliqua jungatur, aut ex animi, aut ex corporis parte causa melancholiæ procathartica, erroris metus adest. Verùm historia vitæ præcedentis, symptomata anteà alias partes vexantia, sanata atque definita, morbi indolem dissimulari vetant, & præcipuè semper sub horrendo malo perstantia residuæ sanitatis indicia.

At conditionis humanæ infelicitas illa est, ut, malo perstante, sæpiùs accidat ut quod fixum priùs atque peculiare erat, dùm causa in motum agitur & sese multiplicat, tandem cæteras in partes ipsâ suâ multiplicatione invehatur, fiatque ex morbo alicui parti proprio affectus universalis; periculosum id sanè, imò certi periculi indicium est. A centro enim proprio quæ cæteras partes causa invadit, dominatum se in corpore obtinere testatur; &, si radios illos debellare nititur

Ex morbo peculiari sæpe morbu oritur toti û substantiæ.

Medicus, adſunt novæ veneni vires à fixiori malo ſuppeditatæ; quod quotidianâ obſervatione videre eſt: unde ars infelix curam ludit inanem, niſi ſuccurrerit natura mortem differens, ſed malo tollendo impar. Sic aliquandò peſſimâ mutatione humor ille adipi mixtus, vi corporis inflammante, in tabum purulentum verſus fuit. Quæ ultima degeneris cujuſcumque humoris mutatio vires adhuc in corpore ſupponit; ſecùs omnia in gangrænam abibunt, aut in ſcirrhum vitalibus viribus privatum omninò, iners quidem, ſed lentè periculoſum.

Variæ Metaptoſeon claſſes ex effectibus deſumendæ.

Patet porrò ex hâc cauſarum inquiſitione Metaptoſes à morbo ipſo oriundas, à memoratis & expenſis fontibus eſſe derivandas, quæ omnes, aut vitæ debilitatem ſupponunt, aut fomitis morboſi ſuperredundantiam, & ad plures effectûum claſſes poſſe referri. Aliæ enim & nuntiant & efficiunt mortem; aliæ periculoſa ſymptomata inferunt, acutoſque morbos quoſcumque ſimulare poſſunt atque invehere, nunc thoracem, nunc caput aggreſſæ, nunc ventriculo, hepati, inteſtinis infenſæ; aliæ ſcirrhum inertem, lentè perimentem & vertendum in hydropem, in organa glanduloſa deponunt. Aliæ plures & varias exanthematum ſpecies trahunt in cutem, ut aliquandò vidi mulierum menſtruas vacuationes hâc ratione deliteſcere. Plurimæ verò, nec infeliciter, ſæpe ſæpiùs, mutato tantùm diſcri-

mine, vertuntur in ſuppurationem , quæ nec ſemper ſimplex , nec ſemper uniformis, aut ejuſdem indolis, actionem naturæ quam ipſa concitavit, & à quâ traxerat originem , vanis deſtruit & irritis , adeòque nocuis conatibus ; attamen plus vulgò ad Metaſtaſim referenda eſt ſuppuratio· quàm ad Metaptoſim. Cùm autem Metaptoſis poſſit aliquandò in morbis , vi illâ vitali necdùm accisâ , datâ occaſione erumpere, ſupereſt jam ut circà non prævidenda quæ poſſunt ipſam invehere accidentia , noſtram dirigamus tractationem.



CAPUT TERTIUM.

De causis Metaptoseon accidentalibus & earum effectibus.

Cum omnia in corpore animali, ut in universo terrarum orbe, statis nec infringendis regantur motûs legibus, lex eadem imperat ut illæ quas motus ipsi infert varietates diversa inferant phænomena, & in machinâ organorum multiplicitate conspicuâ, levis etiam causa effectus multiplices atque vix prævidendos inferat. Hinc ea omnia quæ in nos aliquâ donantur actione, nunc insidias prætendunt, nunc afferunt juvamenta; hæc porrò corpora barbarâ, sed philosophicâ loquendi formulâ, Medici *res non naturales* vocavêre. Sed ut causæ omnes illæ morbis inferendis aptæ natæ sunt, ita, illis semel constitutis, varietates inducunt, & afferunt mutationes. Certum enim est, nec ullâ ratione non demonstratum, quòd, morbo semel constituto, naturæque viribus in unum occupatis & consentientibus, si non ex rebus non naturalibus remedium statui præsenti quæritur, illud ante omnia exoptandum est, ut per totum mo bi decursum res illæ non naturales in eodem statu permaneant, nec

Res non naturales Metaptoseon causæ.

ullam accipiant mutationem. Quippe omnis mutatio in morbis, quæ cum naturâ in eumdem ſcopum non collimat, per ſe nocet, dùm mutationem facit, & ordinem interturbat certum atque debitum laboris pariter ſtatis directi legibus, à quibus certi ac determinati pendent effectus. Ad hunc laboris ordinem omnia, tùm interna, tùm externa dirigi debent, referrique & revocari. Certè quidem ad hunc ſcopum omnia Medicorum inſtituta referuntur.

Atmoſphæra cauſa Metaptoſeon.

Quantas porrò partes agat, tùm in morbis concitandis, tùm in variis inducendis Epigeneſibus, prima & maximè neceſſaria rerum non naturalium quibus vivimus atmoſphæra, jam nimis abundè notum, ut inſtitutionum Medicarum atria ampliùs pulſare non poſſit utilitatis aliquid afferre. Jam verò quantùm Epigeneſeon ab hâcce causâ poſſimus metuere alibi ſatis expoſitum eſt. Verùm nemo eſt qui non probè intelligat quantas Metaptoſes afferre poſſit aër in morbis jam conſtitutis, ſive è chronicorum, ſive ex acutorum claſſe fuerint illi. Sed, antequàm Metaptoſes illæ ad certas reducantur claſſes, obſervaſſe non fuerit inutile, ab atmoſphæræ vix per artem dirigendæ facultatibus imperioſis, pleraſque errantes morborum cauſas ad hanc illamve formam dirigi. Errat v. g. herpeticum virus nunc huic, nunc illi parti infenſum. Illud à frigore acri ad thoracem & thoracis vicinas partes di-

Atmoſphæræ calor & frigus.

rigitur, adſunt peripneumoniæ, pleuritides, anginæ ſalſæ, acres, æruginoſis, incoctis fœtæ ſputaminibus, malè coctionem accipientes, triſteſque relicturæ reliquias, quippe quæ à causâ pendebant per ſe errabundâ, nec per naturæ efficaciam ad hanc vel illam partem inclinatâ. Rectè actum erit à viribus naturæ, ſi devictis atmoſphæræ facultatibus, aut calore aëris ſuperveniente, quippe id ſalutaris habet ejus conſtitutio quòd perpetuò ſit variabilis, ad textum cellularem atque cutim humor extraneus exuberet, quod juventuti flexili illi familiare magis eſt. Nec thorax tantùm atmoſphæræ inſultibus patet: ſed ut inter externa nullum aliud medium eſt, quod perſpirationis coctæ impetum & phaſes adeò potenter dirigat atque atmoſphæra, quot ab ipsâ cauſarum errantium directiones in abdomen devehantur facile eſt intelligere. Hinc tot Metaptoſeon titulo dignæ diarrhœæ, dyſenteriæ, fluxus ſuperflui aliarum ſuppreſſarum vacuationum vicarii, imò hæmorrhoïdes ipſæ ab impeditâ perſpiratione pendere viſæ ſunt. Multos occurrere aſpicias quos ætate vigente pruritus enormes cruciavêre, rubor oculorum lippus, genarum gutta roſea: accedentibus frigoribus ſymptomata hæc omnia conticeſcunt; vexant, mutatâ ſcenâ, hæmorrhoïdes, articulorum dolor rheumaticus, alvi fluxus teneſmodes, & alia mille mala, ex quibus cauſariis vulgare

eſt, ut hiemem æſtate exoptent, æſtatem hieme requirant.

Verùm ut in hiſce omnibus actio phyſica & mechanica pro organi ſuſcipientis ſenſibilitate ſummè variabilis eſt, impetus ille à ſenſatione dirigi debet, quæ ſola corpus gubernat & ipſi imperitat. Summè, & ante omnia, in expendendis morboſis aëris effectibus, diſtinguenda eſt actio aëris, in ſubitam & impetuosè, aut inopinatò agentem, & eam cui corpus aſſuetum ita eſt, ut ab illâ vix impreſſionem aliquam experiatur. Hæc enim lenta variatio, ſenſibus diverſimodè accepta, maximas quidem animalium differentias & temperamentorum gentilitiorum varietates conſtituit, ſed vix in Metaptoſibus inducendis aliquid efficere poteſt; non enim commovemur aſſuetis. De ſubitâ igitur & impreſſionem afferente atmoſphæræ converſione intelligendum eſt quidquid HIPPOCRATES Obſervatorum primus, quocumque ſenſu nomen hoc intelligamus, de variis & caloris & frigoris effectibus edixit, quibus breviſſimis aphoriſmis hos evidentes effectus ita tractavit, ut tùm morbos, tùm Metaptoſes indè, vel in chronicis, vel in acutis morbis, repetendas poſſimus augurari, præſagiaque ab evidentibus hiſce qualitatibus efformanda queamus conſtituere. Ex hiſce mihi principiis liceat quaſi corollaria ex præceptoris noſtri demonſtrationibus proſequi.

Subita in calorem friguſve mutatio.

Atmosphæræ vis ad Metaptoses faciendas in contagiosis morbis.

In iis morborum classibus in quibus præcipuas sibi partes atmosphæra vindicare potest, pessima certè & maximè acuta est morborum contagiosorum classis, qui non solùm epidemicè sæviunt, sed ab aliis in alios communicantur, qui primo quidem morbi insultu nec crisem, nec Metastasim patiuntur, vitam quasi ictu subito auferentes: sed brevi utrumque finem sibi affectant. Illa autem classis in triplicem resolvitur naturam, quarum prima putridos effectus exerit. Altera inflammationem parit. Tertia vires opprimit & spiritum vitalem obtundit. Tres Metaptoseon species ibi metuendæ sunt. Ut putridorum morborum Metastasis fit per liquatum adipem & poros biliarios, ita etiam propensio humoris putridi in hasce partes ab ipsâ humoris constitutione sæpe pendet. Tuncque, manca & inutilis mutatio, nec in naturæ subsidium à viribus ejus concitata & efformata, sed ex solâ vitiosi humoris indole nata, ex propriâ cum organis turgentibus analogiâ fertur in ipsa, viasque elementis suis familiares affectat & sibi vindicat. Hinc hepar, ventriculumque invadit, brevique tabus per dysenteriam defluit, emicante simul ictero; & gangræna partes illas præcipuè, & ante omnes alias, tabefacit & colliquat, promptamque mortem quasi ab hepate afflicto invehit. Nulla enim pars adeò promptè plectitur in hisce morbis, ut hepar, cujus corruptelæ non dubia signa occurrunt in ca-

1°. In putridis. Horum Metaptoses in partes varias.

daveribus intemptorum. Nec tamen diffitendum tabo illo putrido accipiendo & fovendo, nullam partem non obnoxiam esse. Textus cellularis adipe scatet qui putrescentiam biliarem facilè suscipit, unde tot maculæ, vibices, petechiæ cutem diffluere faciunt, nec criticæ, nec Metastaticæ. Nec minùs intelligitur unde ab hâc putridâ totiùs machinæ indole, putrescentes partes versùs renes & vesicam Metaptosin faciunt. Ibi jacet ingens adipis copia qui stagnare per ipsam cellulosi textûs fabricam debet, unde tot nascuntur fistulæ, aliquandò ad exteriora deferendæ, aliquandò rupturâ internâ viscera omnia proluentes; quæ, si vires naturæ valerent, legitimo nomine Metastaticæ vocarentur. Etsi verò in morbis ipsis putridis, Metaptosis possit secundariò in pulmones irruere & caput ipsum oppetere, patet attendenti rem non esse ex naturæ ordine, nisi jam provecto & ad finem lethalem sese vertente morbo, cùm demùm putrida labes inficit & corrumpit partes, accipiendo tabo minùs obnoxias. Tunc enim labefactatas esse omnes partes satis edocent symptomata. Secùs verò symptomaticè tantùm læduntur partes illæ, &, sublatâ semel ex hypochondriis labe illâ lethiferâ, quæ oborta erant, cessant deliria, anhelitus, hypochondriorum laborantium affectibus semper responsantes.

At in morbis illis omnibus quantas partes

Atmosphæræ vis ad has efficiendas Metaptoses.

agat ad concitandas Metaptoses atmosphæra evidens est, quippe quæ morbos ipsos protulit, eorum vehementiam adauxit, adeòque & Metaptoseon sævissimarum causa est. Porrò, quid in hisce, aut minas intentantibus Metaptosibus, aut semel constitutis, noceat non renovatus & vietus aër, ipsâ respiratione putridus effœtusque redditus, norunt omnes. Nec Medicorum, in hisce pessimis casibus, circà aëris efficaciam, novæ sunt annotationes. Imò, si aliquid putridam illam labem in pulmones atque caput determinare posset, aër est, cujus efficaciâ atque absorptione semel vitiatâ, pulmones actione privari, ingurgitari, intumescere necesse est, reditumque adeò à capite tolli, à quo reditu impedito cerebri sinus ingurgitantur, rumpuntur, fitque lethalis, in morbo jam per se lethali, veternus putridus, & insolubilis apoplexia. Hic quidem causarum concursus verè Metaptosin efficiens, eò magis certè funestus dici debet, quò causæ jam vires debilitanti addatur altera vix debellanda debilitatis origo. Quod carceribus, locisque angustioribus in quibus hominum numerus ingens coacervatur & aëris usurâ defraudantur, commune nimis in vitâ civili sæpiùs occurrit, imò in arctiore lectulorum, camerarumque usurâ à Medicis jampridem exprobratur adversùs gentilitias præjudicatas opiniones. Hinc increscentibus sic causarum effectibus certa atque prompta,

imò ad diem ferè & horam, ſecundùm methodum Hippocraticam, inſtitui poteſt prognoſis, quam tardare vix poſſet liberior atmoſphæræ jam non putridæ uſus; cujus tamen ſubitâ mutatione, ſymptomata maximè lethalia vidi pluries evanida & deleta funditùs.

Forſan nec ſpes omninò fallax habenda eſt (non experta loquor) ab aëris quem aiunt *dephlogiſticati* uſu quem adeò vitalem prædicant, poſſe olim miaſma, vel maximè putridum, in meliùs mutari, novas vires ægro ſufſici, & res in priſtinum ſtatum renovari. Quidni, cùm ab iſto aëre faces vividiùs & puriùs ardeant? Sed hæc ſeros manet cura nepotes. Spes ſola ad artem nunc pertinet. Saltem in hiſce morbis aër quærendus optimus; alioquin qui miaſma iſtud fugere poſſunt fugâ ſibi conſulant, aut ſaltem aëra, qui raro in noſtris felicibus oris vehiculum eſt horumce miaſmatum, vitent atque varient, aut quâquâ ratione corrigant. Cujus quidem emendationis inſtituendæ forma ſatis apud Authores prædicata eſt atque decantata, novumque lumen accepit à nuperrimis circà aëris analyſin experimentis.

Utilis in talibus aëris purioris admiſſio.

Nec minùs tamen aëris renovandi efficacia, imò & cautelarum circà illum neceſſitas demonſtratur in alterâ principe morborum inflammatoriorum, ſic jure dictorum claſſe. In hâc quidem omnia ſolida ſtricta, tenſa,

2°. In inflammatoriis.

dura habentur, ignis violentus ita accenditur ut omnia brevi fluida denſentur, concreſcant quaſi, à ſtricturâ & denſitate arctentur & alligentur; nec niſi laxatis vaſis, & fluidam adeptis minùſque inflammatoriam indolem concipientibus liquoribus, ſpes ſit reſolutionis: quæ ſi non fiat, hærentibus omnibus mors gangrænoſa ſupervenit, aut aliqua ſalutis idea emicat, mutato in pus denſo illo lymphatico tenore, qui dùm miſcetur adipi jam acrioribus prædito principiis, & per ipſam caloris aucti efficaciam ſolutionem adepto, dat undique cocta atque facilè putreſcentia excrementa, veras efficientia non Metaptoſes, ſed de quibus alibi dicendum erit, Metaſtaſes. Porrò, cùm hic calor non tantùm effectus ſit, ſed etiam cauſa, reſpiratioque, in medio inflammatorio igne pernix atque repetita aërem inhalet, quanti ſit pretii atmoſphæræ purior influxus, aëriſque placidior renovatio, hariolari facilè ſinit: quippe ut plus aëris conſumitur, ita plus eum renovari neceſſe eſt; alioquin ariditas, ſitis pharyngis exteriora vexabit, tonſillas, vulvam inflammabit; imò exſiccatâ aſperâ arteriâ atque bronchiis, tuſſis jure ſibi Metaptoſeos titulum vindicabit. Unde etiam rarum eſt in morbis inflammatoriis, jam ad ſolutionem tendentibus, ut ſputa non prodeant, non quidem critica, imò nec levantia, ſed pro reſolutionis ſigno habenda.

Aëris non renovati in inflammatoriis effectus.

Metaptoſes variæ.

Nam nulla datur inflammatio, aut inflammatoria diathesis, in quâ pulmones non aliquid patiantur: at sæpe sævissimas experiuntur Metaptoses; imò & ab aëris defectu & narium atque sinuum exsiccatione cerebrum ipsam labem aliquam suscipit, fitque à strangulatione aut anhelitu delirium. Prætereà verò universa corporis superficies miasmatibus infecta perpetuis, non renovatis atque excrementosis, tùm calorem undequâque spargit, tùm molem illam excrementitiam cumulat; unde malum malo additur. Hinc ægri aëris novi beneficium anxietate perpetuâ captant atque sibi quærunt. Hinc in locis calidioribus & siccâ atmosphærâ retorridis, vix ulla datur inflammatio, sine eruptione macularum, aut tumorum ad cutem miliarium. Aërem sibi inclamitant; negatum brevi mille sequuntur mala; imò brevi, Metaptoseos more, ipsa putredo inflammationi additur, fitque ex omnibus complicationibus pessima & maximè frequens, præsertim fervente syrio. Unde quæ stadium suum breviter decurrere debuerant febres inflammatoriæ, novis symptomatibus infames fiunt, cùm hinc inflammationis sequelæ, illinc putridarum anxietatum, nausearum, prostrationum simul agglomerata congeries, & ægro & Medico novum afferant sollicitudinum & curarum fontem, cùm jam non coctio tantùm inflammatorum excrementorum expectanda sit, sed & putridorum nova

Maculæ erumpentes & humorum putredo.

& ſæpe intempeſtiva expulſio : tantæ molis eſt in hiſce morbis puriorem atmoſphæræ uſum conciliare.

Metaptoſes in inflammatoriis ab aëris ſubitâ mutatione.

Verùm in morbis inflammatoriis maximus Metaptoſeon fons habetur ſubita atmoſphæræ mutatio; nullum enim eſt tempus, nulla morbi periodus in quâ ſubitus elementi illius vitalis impetus corpus ſubitò non immutet, illudque de ſtatu præſenti dejiciat. Porrò omnis ſubita in morbis mutatio mala, ſive jam natura vires actuoſas, ſed ordinatas illas atque regulares exerat, ſive opus ſuum vix incœperit, ſive demùm tantùm minetur incœpturum. Hinc metuendus à frigore erethiſmus omnia ſupprimens; hinc à calore humorum morboſorum rarefactio enormis, & putreſcentia quæ omnia colliquans, vires proſternit, capiti præcipuè infenſus, ut frigus pectori. Jampridem ex obſervationibus Hippocraticis notaverat Ballonius, morbos hybernos & autumnales minùs facilè coctionem recipere quàm vernos, aut æſtivos. Nec minùs frequenti conſtitit obſervatione quantùm incautè receptus aër in ægroto calente, imò & quaſi deuſto, erethiſmos ſæpe lethales effecerit, aut ſaltem ita naturam ab inſtituto avocaverit, ut quaſi novo plectendus ſit morbo ægrotans, Metaptoſeſque ſævas experturus ſit ad articulos præcipuè, in quos delatus morbi fomes, aut morbi longitudinem, aut abſceſſus efficit, aut etiam metuendas eodem

mechanismo in viscera Metastases. Semper aër imprudentibus obfuit.

Metaptoses in inflammationibus quarumdam singulatim partium.

At quod spectat particulares inflammatorios morbos, sive eos qui cum universali erethismo partem tamen aliquam occupavêre, ut sunt pleuritis, peripneumonia, hepatitis, &c. eò major atmosphæræ cura circà illos habenda incumbit, quò sæpiùs sub nomine catarrhorum, imò & communi cum illis causâ, adoriantur: unde etiam à veteribus catarrhales habiti sunt, & sub communi fluxionum acutarum nomine designati. Classis hæc morborum, maximè universalis ab antiquis Authoribus habita, omnium morborum genus illud comprehendebat quod ab humore pendebat per initia mobili. Id omni excremento, aut retento, aut suppresso commune est, sive huc feratur & illuc causa lædendo apta, sive uni & peculiari parti fixa inhæreat. Unde pro præcipuâ eorum origine impedita simul atque vitiata perspiratio habetur. Huc omnes vernales illi morbi, qui juventutem magnis afficiunt periculis, referendi sunt; pleuritis, peripneumonia inflammatoria, angina, rheumatismus, quibus sæpe Metaptosis ita communis est, ut pleuritidi phrenitis jungatur, delirium peripneumoniæ, sive ob extensionem causæ lædentis, sive ob morbi ipsius propagationes jure viciniæ & partium correlatione contractas, sive etiam, quod non infrequens, si causa universalis centrum novum

ſibi ſumat: unde etiam ad cutem & ad articulos Metaſtaſes ſperandæ, ſi vires vitæ prævaluerint, ſed ſpatium temporis ad ſolutionem ſibi poſtulaverint.

Metaptoſes ſuppuratoriæ. Verùm univerſim morbi inflammatorii valentiores ſuppurationem ſibi vindicant; quæ cùm jure meritòque inter Metaſtaſes numeranda ſit, Metaptoſin tamen efficit, mutato ſymptomatum ordine, nec depulſo, ſed accreſcente, imò cum certo periculo, ſi liber exitus puri collecto non pateat.

Polypi. At verò puris inter confectionem atque morbi ſolutionem, etiam deferveſcente erethiſmo, periculum urgens ſæpe conſtituitur à maſsâ concretâ & flocculentâ, quæ, cùm humorum locum occupet, membranæ nomen ſibi vindicare poſſit. Vulgato nomine hæc concretio, in vaſis majoribus polypi nomen uſurpat; hujus tamen lethalis atrocitatis ſigna in cadaveribus ſæpiùs evidenter deprehenſa, nobis ſatis enodant quâ ratione in morbis illis falſum levamen mortem inſtantem præcedat; cùm aliundè tamen in moribundis illis, de quibus HIPPOCRATES ait eos occultò mori, gangræna vix ulla ſui indicia præſtet, ſed anxioſi, vigiles, inter ipſam loquelam cadentes moriuntur, inſciis, imò mirantibus amicis, & aliquandò ipſis etiam Medicis. Porrò quantùm in illis inducendis cruſtoſis concreſcentiis confert vita in laboribus, & ſpaſmis anteacta, tantum etiam ſymbolæ ad-

dere poteſt aëris purioris defectus, aut ejus calor immodicus æſtuoſis in locis thoracem divexans, vaſa exſiccans, & cruorem latice ſeroſo exhauriens. Quæ quidem occulta nocendi vis nunquam frequentiùs, nunquam magis perfidè inſidias ſtruit, quàm in tertiâ morborum acutorum claſſe, de quâ nobis dicendum jam incumbit.

3°. In malignis.

In hâc ultimâ morborum lethalium claſſe omnia per Metaptoſin fieri dicenda ſunt: naturæ incertæ ac titubantis & ab ordine virium dimotæ nulla obſervatur periodus: ipſa labantium virium exordia nil regulare offerunt. Non decertatur in corpore, ſed ceditur. Omnia Medicis cæcutientibus occulta apparent & improviſa. Vitale illud vinculum, quodcumque fuerit, obſcuratum atque vitiatum eſt. Symptomata tardè gliſcentia, vix ante ſui notitiam tradunt quàm inſanabilia evaſerint. Aliena miſeri & inconſona loquuntur antequam de dolore capitis queſti fuerint: oculi errant, & tamen rectè omnia vident; pulſus tremit, antequam febre affectos crediderіs; de frigore conqueruntur; vix caloris ſenſum attingunt, illumque incertum, &, ut ita dicam, partialem: nulla coctionis nota datur; aut; ſi datur, fugax illa eſt & incerta. Concutienda eſt & ad ſe revocanda machina ſui oblita officii, donec, concitato demùm impetu, aut mutentur, aut augeſcant ſymptomata illa. Proh quantum eſt Medicis circà

illam calamitatem decertantibus infortunium! Morbus à viribus naturæ derelictus atque desertus quot Metaptoses facit, quæ omnes conaminibus sæpe infelicibus Medicorum adscribuntur. Motus tremor est, respiratio anhelitus, admissa alimenta in pondus fatiscunt, aut vomitum, singultum, atque decolorem diarrhœam concitant. Plaudunt sibi si alicubi tumor emerserit; spes frustrat subitò evanidus. Aëris puri & renovati efficacia metum dissimulat, forsan & dùm novas vires sanguini atque nervis afflat, superare pericula aliquandò potuit, ut aër vietus, effœtus, vitalibus fraudatus partibus, illi, ut forsan causas, sic novas vires addit. Quantas vires huic morbo, quantas Metaptoses eâdem de causâ expectare fas sit satis constat, si attendas morbos illos ut plurimùm iis accidere, qui aëre, aut vitiato, aut non renovato utuntur. Castris, carceribus, navibus frequens incumbit. Loca uliginosa ventis non perflata iis præcipuè infamia sunt. Imò. & à contagio quod aër effecerat in incarceratis reis visi sunt similes morbi, non unâ vice defluxisse in populos atque Magistratus quos primos miseri afflaverant. Sola spes superest posse Metaptoses in Metastasim verti; quod per parotides in juvenibus aliquandò factum, per diarrhœam in adultioribus: nam vacuationes reliquæ, sine coctione emicantes, periculum augent, & nihil aliud nisi morborum longi-

Metaptoses in his ab aëre non renovato plurimæ.

tudinem declarant. Porrò cùm morborum illorum indoles ea ſit, ut quaſi per Metaptoſes incedant, & ſpectaculi varietate artem eludant, patet quantas in eis procreandis partes agat atmoſphæra, quæ ſi non renovetur, variis illis effectibus inducendis plurimùm conducit.

Atmoſphæræ vis in aliis morbis catarrhalibus.

Verùm quod in triplici horumce lethalium affectûum claſſe deprehenditur, nonne in aliis catarrhalibus rheumaticiſque morbis obſervatur, quos redivivos facit aëris inclementia, quos calor ad ſinus & membranam catarrhalem devehit, non ſine dolorum capitis periculo, ſurditatis, amblyopiæ diſcrimine, quos frigus ſæpe in dolores laterum vertit, coctionem quippe omnem intercipiens & præpediens? Nec certè licet purioris phyſices lumine imbutis aliquid addere iis obſervationibus, quas in capite tertii Aphoriſmorum libri congeſſit HIPPOCRATES de atmoſphæræ in morbis & inter ipſorum periodos effectibus, quorum plerique ad Metaptoſes referuntur.

Ejuſdem vis in chronicis.

In chronicis Metaptoſes eadem cauſa facit. Calore caput impetitur, frigore premitur reſpiratio, dolent articuli, coctio atque perſpiratio elanguescunt. Actiones calore adaugentur, frigore torpent. Laxatio à calore pendet, à frigore erethiſmus. Quæ cauſæ morbos invehunt, faciunt & Metaptoſes; unde jure meritòque aëris directio pro Medicinæ cura-

tricis parte habetur : unde toties cœli mutatio, peregrinatio, imò & navigatio inter Medicinæ instituta numerata sunt. Quid hîc exempla proferam à morbis repetita cutaneis, quos imprudentia aëris quæsiti frigidiusculi sæpe in thoracem & in pectus depulit? Arthritidem ab impositâ glacie suppressam in asthma metuendum abiisse novi. Quid hîc suppressa erysipelata referam, longis plectenda doloribus, nunc arthriticâ constantiâ, nunc scorbuticâ incertitudine huc illuc, mutato symptomate, errantibus? Sed etiam à sublato tumore, qui per se parvi videbatur momenti, nec ullum intulerat dolorem, & formæ vultûs tantùm oberat, apoplexiam & constantem enatam vidi paralysin. Quandiu viguerat æstivus calor res bellè se habebat; ad prima autumni frigora malum erupit. Nonne, notante HIPPOCRATE, frigus aliquandò in morbis convulsificum dici debuit, imò gangrænam inducens? In genere quidem constitutio hiemalis frigida & sicca minùs morborum parit atque calens & humida : sed omnes uno ore consentiunt Medici istos & concoctioni minùs aptos & adeò longiores esse.

Metaptoses à neglectâ diætâ.

Quid à neglectis magni nostri HIPPOCRATIS præceptis circà diætam Metaptoseon possit enasci, ut cognitum satis, breviùs exsequemur. Ingluvies scilicet onus oneri addit, & deficientes vires suffocat; verùm in

Ab ingluvie.

peracutis morbis, ſuadente ipſo horrore ciborum inſuperabili facilè evincitur, & præ faſtidioſis medicamentis effugitur. Aliundè demonſtratum eſt, vel ſoliùs experientiæ teſſerâ, quòd quæcumque vel leviſſima ventriculum occupant, naturam ab officio divertunt, & ad conatus efficaces reddunt imparem. Adde quòd & clauſo calido loco concluſa alimenta ſpontaneam putredinem concipiant, unde nauſea, vomitus, horrores irregulares, rigores, convulſiones oriantur in morbis inflammatoriis; deliria, ariditas horrenda, fœtor intolerabilis in putridis, brevique ſequantur maculæ emicantes gangrænoſæ. Quid ſi putridam ſervent hæc indolem, ſi malum malo addant, quod frequentiſſimum eſt, cumulantur omnis generis excrementa, novoque proventu terrificant animos. Bellè cum ægroto actum erit, ſi moles hæc in abſceſſus crudos faceſſat & apoſtaſes textûs cellularis incolas, ab ipſius ingurgitationis continuatione renovandas. Quid ſi puerili ægrorum cupidini obſequamur & acria permittamus ægrotis, aut nullo diſtincto habitu lacticinia, &c. certè non ſolùm ſymptomata morbi ſpectanda ſeſe offerent, ſed ventriculi etiam affectus, nauſeas, vomitus, anxietates, ſingultus, & in profundiore organorum ſyſtemate irregularia omnia, Metaptoſeſque puris acris aut potiùs liquidi corrumpentis & exedentis inducent. Nec

Ab acribus ingeſtis.

tutior erit diætæ medicinalis contemptus in chronicis affectibus; quippe qui aut malum chronicum vertat in acutiorem morbum, febrem concitet, aut minore metu, ſed periculo non minore, lentam febriculam arceſſat & ſtabiliat vix poſteà deturbandam; quippe quod in ſalutem inſtitutum eſt à naturâ, ab imprudentiâ in onus cachecticum vertitur, quo gravantur viſcera, eoque opplentur atque congeſtione fatiſcunt.

Moles verò illa alicubi feratur ibique deponatur opus eſt: quod etiam ſub pertinaciâ mali regiminis non ſperandum ſupereſt. In eo autem falluntur multi quòd ignem ſemper ſuppoſitum credentes, illumque incuſare prompti, potu nimio etiam aqueo & tepido ſeſe ingurgitant. Error autem hîc facilè deludens in eo conſiſtit quòd non ſatis attenderint potores illi coctionem quamcumque in mutuâ principiorum in ſe invicem agentium proportione conſiſtere, eamque toties lædi, quoties aliquod principium eminet, liquidumque, vel maximè per ſe innocuum, huic coctioni obſtare debere. Hinc, ubi moles excrementitia nimio illo liquido diluitur, jam impoſſibile eſt reſolutionem victricem fieri, ſed principia illa inertia atque ſine ſtatione, novas ſtaſes atque Metaptoſeon fontes parturiunt, & in hâc actione ſæpe diluentia cum acribus atque calefacientibus conſentiunt, mirantibus ſæpe ægrotis inſciis.

A potu nimio tepidoque poſt acrium ingluviem.

Nec minora verò, imò, HIPPOCRATE & BOERHAAVIO testibus, pejora expectare fas est pericula ab inediâ immoderatâ, & per sacras artis leges non directâ. Nutritio quidem ægrorum qui morbo peracuto laborant, in fluidorum renovatione industriâ consistit, cui quidem renovationi efficiendæ apprimè utilis est mucago illa, seu gluten tenerum quod vegetantia legitimâ præparatione tenuata sufficiunt; quod si defecerit, deterit ipsa actio vitæ à febre aucta quodcumque dulce facultate, ut cum HIPPOCRATE loquar, in humoribus reperitur : acria locum ejus sibi assumunt & solida vellicant. Verùm quæ ab inconcinnâ alimentorum directione nascuntur Metaptoses, per se pondus ventriculi, cacochymiam, aut saltem pravam plethoram, inferunt, mox diarrhœam. Cætera quæ ab alimentis superadduntur vitia, à naturâ morbi pendent; vitiosi enim regiminis effectus oritur à virium concoquentium imbecillitate. Eæ circà duplex objectum occupantur & utrique impares fiunt. Unà scilicet coctio ipsis naturalis alimenti incumbit & morbificæ materiæ coctio : quæ ultima, maximi momenti longior esse debet & difficilior. Inde suppurationes languidæ humorum vix coctorum refluxum inferunt, & resolutiones imperfectæ stases ad organa efficiunt. Prætereà destruitur inde æquilibris illa potentiarum agentium actuositas; nervi ipsi in convulsiones aguntur,

Ab inedi immo d eratâ

Diætæ pravæ in morbificæ materiæ coctionem effectus.

quas ſæpe à debilitate pendere arguit HIPPOCRATES ; naſcuntur & deliria & fatuitates : imò & ipſa reconvaleſcentiæ difficultas, hoſtiles demonſtrans reliquias nova mala producit, quibus facile eſt augurari quantùm jungi debeant & ventriculi & inteſtinorum aut debilitatorum, aut bile & ſucco animali undequâque in iis exuberante nec abſorpto turgentium ſymptomata. Nihil ergò hîc addendum eſt veteribus illis regulis quas tantoperè commendavit HIPPOCRATES, & quarum ſeſe inventorem glorioſè profitetur.

Metaptoſes ab excrementorum retentione.

De excrementorum quorumcumque retentione Metaptoſes efficientium quid dicamus quòd non præviderit Medicorum ſagax inquiſitio ? Ipſa excrementi cujuſcumque retentio Metaptoſis eſt. Quid alvi dura obſtipatio, contenta exſiccantis atque ſibi retinentis in caput præcipuè, poſteà in diaphragma totumque abdomen poſſit, impeditâ atque revulsâ ad ſuperiora humorum circulatione, nemo eſt qui non, aut ſenſerit, aut viderit ? In febribus deliria, cordis palpitationes, anhelitus coctionem præpediunt ; oculorum inflammationes, narium hæmorrhagias inutiles, icteros nocivos infert obſtinata alvi durities. Quid jam addamus de ſuppreſſis hæmorrhoïdibus quæ aliquandò criticæ emicuerant, quarum ſuppreſſio cum prædictis ſymptomatibus Metaptoſes maximè metuendas in hepar, lienem, renes effecêre, imò & veſicam & uterum mu-

Alvi obſtipatione.

Hæmorrhoïdibus ſuppreſſis.

liebrem adortæ eis phlogoſes intulerunt? Quid quòd & bilis ab hâc causâ ſuppreſſa colicis doloribus anſam dedit: imò &, bile undequâque diffusâ, cutem ipſam puſtulis, maculis, & herpetibus deturpavère hæmorrhoïdes ſuppreſſæ, aut aſſuetæ oblitæ depurationis. Quæ etiam omnia mulieribus malè menſtruatis accidiſſe nemo eſt qui non viderit: quibus quidem omnibus addenda ſunt quæ ad partes ſexui proprias pertinent. Hinc lumbis dolor ingens, hinc anhelitus, hinc ob veſtigium pendentis indè neceſſariò cachexiæ, artuum cruciatus, pallor, pica & malacia morbo ipſi ſuperſtites; hinc nervorum omnis tumultuoſus impetus, imò imaginationis & memoriæ vitia, deliria, metus, melancholia, & illæ quæ ab utero morbidè affecto nomen ſibi ſumpſerunt convulſiones, atque univerſa accidentium farrago quæ in mulieribus affectio hyſterica, in viris verò hypochondriaca dicitur. Uno verbo morbi nulli alii tot tamque varias Metaptoſes inducunt, partim à plethorâ, partim à cachexiâ, partim à nervorum vitio repetendas.

Difficili menſtruatione.

At perſpirationi illi quam corpus perpetuò exhalat pauliſper attendendum. Hæc, ſtrictâ & rigente per erethiſmum cute, locum vix ſibi vindicat: aret cutis, & ſi quid poroſa exhalat, id parvi admodùm momenti dici poteſt. Aqueus eſt vapor, forſan & aëreus. Sed remanet intùs miaſma illud ſtringens &

Perſpiratione ſuppreſsâ.

irritans, donec ſubſidiis efficacibus ars illud diluendum ita mitificaverit ut coctioni ejus poſſit natura vacare. In genere probatum eſt ab obſervatione plurimorum, perſpirationem veram atque coctam in ſtatu naturali alimentorum coctioni reſponſare, partibuſque ſcatere mucoſis, ponderoſis, quæ, coctione deficiente, aut nullæ ſunt, aut craſſioris & crudæ indolis, quæ nocent per ſe, & plerorumque catarrhorum, jure pro causâ habentur. Ut ergò perſpirationis illa materies meritò infamis eſt ad accerſendos morbos, cùm, conſtante morbo, nulla ſit, Metaptoſin nullam facere poteſt. At miteſcente erethiſmo & jam laxatis organorum vaſis, ſi ſupprimatur illa, quod in corpore, ſenſilitate per morbum auctâ donato fieri facilè poteſt, morbum facere debet redivivum & ſævas Metaptoſes. Catarrhus in rheumatiſmos, inflammatio in abſceſſus, & quidem in phthiſim abire poteſt; quod non ſemel triſtis experientia demonſtravit. Quot phthiſes quaſi epidemicè ſævierint à primariâ tabe catarrhali epidemicâ pendentes, nemo eſt qui, HIPPOCRATEM evolvendo non animadverterit. Imò metus ille omnibus impendet, qui ſæpè & leviſſimâ de causâ in affectus catarrhoſos etiam leves incidunt. Sudor verò aliquandò in morbis oritur, per vim extraneam, aut ſæpè nixus inutiles expreſſus; nocuus ille, morbum nunc deſignat, nunc auget, nunc triſtiſſimo fato

Præcipuè in morbis miteſcentibus.

Sudoris in morbis ſuppreſſio.

ſinientem comitatur. Supprimi quidem moribundorum ſudor vix poteſt; at, ſudoribus aliis quibuſcumque medio in morbo ſuppreſſis, anhelitus, anxietas, rigor, ſuffocatio, novam morbo formam induunt, ad interiora fomite delato. Nec verò res ita intelligenda eſt, quaſi utile foret ceſſantem ſudorem provocare; quippe acrimoniam, ſiccitatem, denſitatem poſſent corpori ægrotanti adeòque inflammationis pericula invehere, indeque & coctionem & criſim præpedire. Sed hos cauſa morbi violenter efficax intulit, nec unam didicit illa nocendi formam, &, ſi cohibeatur ejus ſudatorius furor, neceſſe eſt partes alias plecti. Præterea verò, cùm acre aliquod per habitum contractum in corpore exuberat & exundat, ad ſudorum illorum excretionem ſæpè ante ipſa morbi tempora familiarem ſemper Medicus attendere debet, quam non immeritò comparaveris cum fluore illo muliebri non minùs obſervando, qui toties inter naturalia excrementa debet numerari.

Plethoram acrem undequâque præbet mulieribus lacteus humor poſt partum per univerſi textûs cellularis ambitum diffuſus. Ille nunc inflammatoriam indolem capeſcit, quâ excuſsâ, rheumaticos morbos æmulatur; nunc in cutem vertitur, niſi illum abſceſſus exhauſerit. His ſudor familiaris eſt nullâ arte cohibendus quem fruſtrà medicamentis provocares; detraherentur ſcilicet utilia, nociva

Lacteus humor retentus.

remaneret moles ſolidior facta, & ſcirrhis & malorum iliadi producendæ apta.

Evacuationum vicariarum in his conſideratio.

Verùm in ſuppreſſionibus illis vacuationum quarumcumque, aut in earum augmentis ad alias quaſcumque attentio ſeſe vertere debet. Nam, v. g. ut ſuppreſſus ſudor alvum & urinas augere debet, & ad hæc incernicula morbum deferri ex ordine naturæ eſt, ita ab oppoſitâ causâ repetendum eſt quòd iis erumpentibus alvus dura jam à ſolidatâ bile non commoveatur, aut urinæ latex ſolideſcat & ſæpe in calculi granula vertatur. Idem de cæteris intelligendum; nec Metaptoſeon illa origo prætermittenda unquam. Inde enim ut ſupplicia, ſic ſuppetias expectare fas eſt, faтenturque Medici omnes nullam ſæpè aliam rationem dari immodicæ vacuationis pericula depellendi, quàm per correſpondentes vacuationes auctas. Suppreſſa autem incautè vacuatio quæcumque, ſive critica fuerit, ſive tantùm utilis, per ſe, Metaptoſeon, earumque chronicarum, ſæpiùs eſt origo, imò malo ſemel conſtituto, atque in partem aliquam fixo, incaſſum omninò illa reſtituitur. Id hæmorrhoïdibus, menſtruæ ſanguinis vacuationi quotidiano uſu accidere vel ſimplicior experientia demonſtrat. Aderat juniori fœminæ manûum ſudor, qui tinctas ad Minervæ opera lanas à colore deerrare faceret: ſupprimitur aſtringentibu : lentum illud tabum pulmones infecit. Nil non tentatum ad eam

reſtituendam fuit; ſudabant manus, ſed ſudore non eodem, non depuratorio. Quin etiam aliæ ferè omnes cauſæ de quibus, aut egimus, aut agendum ſupereſt, vix aliâ ratione agunt ad Metaptoſes ex ſuppreſſis pendentes vacuationibus efformandas, quàm dùm erethiſmum concitant in excretorio organo & eo conſtituto humorum legitimum fluxum repellunt, atque in alia deferunt viſcera præſenti ſemper diſcrimine.

Nil eſt quod dicamus de venereâ in morbis tentigine; quippe quæ aut morbi ſymptoma eſt, aut non exiſtet, naturâ aliò diſtractâ; quæ ſi adfuerit unquam, aut debilitando, aut nervos prætermodùm concutiendo, proſtratis ægri viribus & convulſivâ debilitate inductâ, morbum in infinitam longitudinem protrahit, & Metaptoſes pro vario morbi genere diverſas inducit. Capiti præſertim, ſensûum origini cauſa hæc inimica eſt, nerviſque, qui ab eâ tentigine ſubſultant. Tùm nutritio inde læditur, abitque corpus in maraſmum citiſſimè colliquantem. Venerea in morbis evacuatio.

Somnus atque vigiliæ quæ ſeſe toto vitæ tempore mutuò excipiunt, in morbis etiam vices alternas exercent. At protractiores vigiliæ pro ſymptomate vigentis & ferocientis morbi habendæ ſunt, & ſi qualemcumque in corpore mutationem præcedunt atque prænuntiant, factâ ſemel illâ mutatione, aut ceſſare, aut mitigari obſervantur. Vigilare Metaptoſes à ſomno & vigiliis.

diu & noctu semper malum; at aliquandò noctu atque interdiu stertere pessimum. Ut enim vigiliæ tensionem atque erethismum, actuososque hostes, nec inertem naturam indicant atque palam ostendunt, ita somnus languore & atoniâ prostratum corpus, infractasque aut deletas vires prænuntiat. Sæpe etiam somnus non merum symptoma est; sæpè Metaptōseos nomine jure vocatur veternus ille, ferreus, à quo surgere vix ægro datur, qui, ut cum HIPPOCRATE loquar, caput opplet, corpus debilitat, aut in paralysim, aut in apoplexiam degener. Præterea vacuationi cuivis mechanicè obstat, si sudationes solas exceperis, excrementa ad vasorum ostia congerit, ubi stent, hæreant, & cumulata corrumpantur; unde toties nocuit crisi, Metastasive salutari; sic etiam sensus obtudit sopor ille fallaci spe illudens, quem intulêre narcotica perversâ admissa administratione. Nec verò sola nocent artis præposteræ instrumenta; somnus ipse naturalis ab effectu suo mechanico, quo omnibus naturæ actionibus plumbea innectit vincula, multis in morbis nocuit, & in locum ordinatæ illius febris quâ vis naturæ agit & agitur, spasmos & convulsiones intulit, & in morbis convulsivis ita malum auxit, ut sæpè miseri ægrotantes ministros qui somnum arcerent conduxerint. Hinc ergò metuendas à somno esse Metaptoses, quæ hinc à compressâ nervorum

origine, inde verò ab actionum atoniâ repetuntur, multòties obſervatum eſt.

Metaptoſes ab animi pathematibus.

At quantùm in producendis atque inferendis morbis valent, tantùm etiam in iis efferandis atque evehendis poſſe curas animi mordaces viventemque ſub pectore mœſtitiam, omnibus in propatulo eſt: quippe nihil adeò fixum cordi, vaſis, & actuoſo vitæ ſyſtemati vinculum innectit atque animi pathema triſte; nihil adeò concoctioni, ſecretioni, excretioni cuicumque nocet, eam tardans atque ſupprimens. At in hiſce morbis, ſive animi pathema eos induxerit, ſive foverit jam natos atque crudeliter immutaverit, ſemper ad capitis arcem, ad cerebri functiones malum delabitur & illas ocyùs, aut tardiùs impetit. Hinc oculis, ore, genis, loquelâ tale malum deprehenditur. Sic in acutis peripneumonia vertitur aut in phrenitidem, in homine violento & irâ ferventi, aut in lethargum, ſi mœror vires proſtraverit. Latentes verò ſæpiùs cauſas in abnormem motum concitat furor & animi impotentia: ſic arthritis quæ rheumatiſmi formam irregularem ſibi ſumit leviori de causâ, & artus undequâque diſcruciat, in ſubito & inopinato animi pathemate ſæpè apoplexiam atque phrenitidem mentita eſt lethum inferens. Grave quidem illud & lethale; at, quæcumque cauſa exterior exarſerit, non rarò contigit ut vi rapidâ delatum virus arthriticum, aut acre aliud quod-

In caput.

Metaſtaſes arthriticæ ab animi affectibus.

cumque, dùm vitam non perimit, longos cruciatus attulerit, aliquandò perpetuos, aliquandò periodicè etiam tolerandos atque redivivos; & aliquandò, quod pejus eſt, fixum & ſtabile malum induxerit, delirii aut potiùs inſaniæ formam aut melancholiæ indolem ſibi aſſumens; quam vidimus ipſi per decem annos perdurantem, per unicum, ſed violentum arthritidis ad pedes delatæ paroxyſmum evaneſcere. Sæpe etiam in irâ, in metu ſubito morbus in hepar atque lienem fertur, & icterus etiam virideſcens, quem non poſtulabat morbus, cutem ægrotantium infecit. Hæc autem ſymptomata vivida & morbum immutantia quantùm metuenda ſint in morbis docet ipſorum effectus etiam in ſanitate, quo factum eſt ut bilem concitare & movere idem ſint atque iram accendere, & Pelidæ cedere neſcii ſtomachus pro proverbio habitus ſit. Rariùs admodùm & in prædebilitatum tantùm thoracem agunt animi pathemata, illaque vivida & quaſi vitam interrumpentia, cùm hæret vox faucibus. At diaphragma, nerveus ille muſculus, ſæpe ſpaſmo conſtringitur, & ſpiratio ab hâc causâ impedita poteſt humorum hærentiæ atque Metaptoſi locum dare, cùm præcipuè multi ita conſtituti ſint ut angor animi, cordis ſubſultus atque palpitationes inferat: nam nerveæ illi actioni atque inordinato tumultui cor ipſum miſerè ſubjacet; quod tamen febre

Metaſtaſis in hepar.

In pectus.

In cor.

ſemel conſtitutâ rarum eſt; niſi tamen febris illa per ſe nervea ſit, atque à causâ illâ occultâ de quâ jam mentionem injecimus oriunda.

Verùm non ſine ſummâ attentione unamquamque harumce cauſarum æſtimandam credimus, ut, dùm ad ſingulas attendimus, ſentiamus tamen rarum eſſe Metaptoſin ab illâ ſolâ atque unicâ causâ naſci; ſed ſæpiùs concurſus multarum ad effectus exerendos conſpirat: prædiſponit altera corpus; altera in corpus jam patens & apertum incidit; tertia à variis occurſibus mutatur & fit quid novum ſingulare ex multiplicibus conſtans elementis. Sic quod in eodem morbo corpus unius ægrotantis inficit, aliud corpus ſinit intactum & innocuum, verùm malis & malorum mutationibus obnoxia infirmitas eſt, corpuſque tenerum atque debile cauſas omnes & pleniùs imbibit & faciliùs ab iis commovetur.

Effectus illi raró fiunt niſi à plurium cauſarum concurſu.



CAPUT QUARTUM.

De signis tùm diagnosticis, tùm prognosticis Metaptoseon quarumcumque.

Metaptoses per se malæ, per accidens bonæ.

METAPTOSIN si seorsim à Metastasi, ut hîc postulamus fieri, intueamur, per se, ut jam diximus, mala est: fit enim à morbi prædominantis viribus, dùm vires intereà naturæ, aut inertes sunt, aut distractæ, vel à materiæ morbificæ prædominio accisæ atque prædomitæ. Potest tamen aliquandò, sed tunc, ut scholæ loquuntur, per accidens, salutaris evadere, si vim & ferociam morbi in partem minoris momenti deferat Metaptosis. Ita quotidiana docet observatio in morbis veternosis atque deliris attolli parotides, quæ, utut malæ sint & per se perniciosæ, arti illas occupanti auxiliorum occasionem præbent. Ita petechias quæ suppurationi tandem idoneæ evadunt, & morbi vim ad cutem pessimâ hâc eruptione transferunt, salutem attulisse narrant Authores. Ita etiam, in tertio Epidemicorum libro, unius ex artubus jacturâ corpus servatum vidit HIPPOCRATES. Metaptosin an hîc potiùs incusemus quàm Metastasin? At per abscessus quos sola cutis compressio effecerat fluxisse hydropicorum aquas libera-

tumque corpus viſum eſt. Verùm etiamſi non poſſet aliquandò à Metaptoſi ſalus pendere, ſummi certè momenti foret & Metaptoſes prævidiſſe atque quaſi præſenſiſſe, & quam perniciem poſſunt intentare advertiſſe: unde ſignis earum nos eſſe maximè intentos neceſſe eſt, ea undequâque rimari, iiſque aruſpicûm more inhiare.

Quantùm utilis ſit Metaptoſeon diagnoſis & prognoſis.

Deſumptâ autem primò diagnoſi à morbi naturâ & indole, & ab ipſius ægrotantis conditione, tùm demùm ex præteritorum recordatione futura augurari fas eſt. Poſteà imminentem Metaptoſin docet ſtatus ipſe & gradus morbi, qui tantum periculi importat, quantùm à naturali ordine recedit, & quantùm ipſa præcipuè læſa functio ordini vitali neceſſaria eſt. Aliquandò etiam à læſione communicatâ aliæ læduntur functiones, à quarum vitio ſuperveniente, novos eventus expectare fas eſt. Sic vicinorum ſuppuratio molem cancroſam ſejungere & expellere viſa eſt. Præthereà verò, cùm ad amplificanda artis quam profitemur pomœria, præcipuè ſit neceſſarium ea quæ ignoramus ingenuè fateri; revocanda eſt hîc obſervatio etiam minùs docta longævorum Medicorum, circà morbos qui epidemicè graſſantes id habent commune, ut eadem exhibeant phænomena, eumdem aſſequantur finem, eumque pro exitu ſibi ſumant. Iis enim ut communia ſunt idiopathica ſymptomata naturam morbi deſig-

Unde deſumantur.

A phænomenis mali perſpectis.

Ab experientiæ conſtantis analogiâ in epidemicis.

nantia, ita pares Metaptoſes, imò & decubitus Metaſtaſin æmulantes ſimiles incumbunt. Nec non endemicas lues obſervatione cognitas attentè perpexiſſe neceſſe eſt; ſiquidem agentium externorum actio pro diversâ locorum indole propria ſibi phænomena exhibet, quæ corporibus aptata, in habitum trahuntur. Hinc, poſitis hiſce omnibus conditionibus, ancipitem morbum in hanc illamve partem deducunt atque determinant ſupervenientia quæcumque prorſùs accidentia, de quibus jam fusè egimus & de quibus jam agendum non ſupererit. Sic plica Polonica Metaptoſis mali ancipitis apud Polonos habetur. Sic dracunculi, apud Indos poſt febres emicant. Sic icterus viperæ morſui ſupervenit; &, ut progrediamur ultrà, ſic apud Barbadenſes Americanos, in omnibus ferè acutis morbis, maculæ erumpunt. Sic apud Neuſtriæ atque Aremoricæ littora, in omnibus propè acutis affectibus exardent papulæ ſero plenæ, & miliares. Nec minùs pro corporum diverſitate diverſa expectare fas eſt phænomena. Rufos frequens angina premit, & in eam plurimi morbi delabuntur. Hiſpanos angit colicus dolor; Anglos rheumatici dolores præcipuè excruciant. Quid valeat corporum diverſitas in inferendis morbis, adeòque in Metaptoſeon formatione, ſatis inde deducitur, quòd juxtà Caium, in ſudore famoſo Anglis epidemico, externorum in An-

In endemicis.

In quibuſdam corporum conſtitutionibus.

gliam devectorum corpora illi non forent obnoxia, ut & quòd Romæ pestilentiâ divexatæ Judæorum corpora ab ipsâ forent immunia, teste Ramazzino. Non verò illa diversitas in omnes æquè causas agere potest, causæ ergò natura ante omnia spectanda est, eique præcipuè insistendum.

A quibus conditionibus mo borum pendeant variæ Metaptoses.

Non enim omnes æquè morbi Metaptoseon capaces sunt; at ipsorum Epigeneses facilè in Metaptosin abeunt. Verùm in omnibus affectibus spectanda, ut cum Scholis loquar, Metaptosis causæ, Metaptosis morbi, Metaptosis symptomatum. Verùm ut Metaptosis ad se morbum derivet duplex conditio requiritur. 1°. Causa quæ morbum parit non radicitùs fixa sit, possitque sedem mutare, & ipsa vel in pejus, vel in melius converti. 2°. Ea saltem, copiosa sit exundetque undequâque, ita ut feratur huc & illuc, imò, non desertâ primâ sede, aliam occupare & invadere queat, adeòque morbum complexum reddere & phænomenis inæqualiter sævientibus, obscurum, inconditum, & quasi absurdum. 3°. Demùm multiplicari possit illa & dato spatio invalescere, partesque sanas in se trahere; quod omnibus ferè epidemicis affectibus improvisis illis commune est, & omnibus certè contagiosis causis quæ à minimâ haustâ & inoculatâ moleculâ mirum in modum in-

tumefcunt, & nefanda producunt fympto-mata.

Sæpè fiunt in fixiori morbo Metaptofes fymptomatum.

Hæ quidem conditiones omninò feorfim penfitandæ. Nam, v. g., in morbo ab ictu, aut vulnere violento partem infringentibus aut contundentibus, morbi ipfius Metaptofin fperare abfurdum foret. In fcirrho pariter lapideo & tumorem efficiente rem fibi fpondere nefas : imò in ipsâ inflammatione partes lacerante Metaptofeos fpes vana; quæ, fi necdùm partem lues læferit, poteft occurrere. Scilicet caufa in hifce cafibus fixa eft & amoveri non poteft. Caufa ergò morbi intacta Metaptofin non patitur. Verùm fymptomatum Metaptofis in quocumque genere morborum metuenda maximè. Hinc, v. g., compreffio, prorogatio mali ad vicina, in inflammatione hepatis fingultum facit : inflammatio renum cum urinæ fuppreffione vomitum putridæ & urinofæ materiæ procreavit, genitaliumque dolores & alterutrius è femoribus fummè cruciantes retractiones. Ab hâc propagatione pariter vertitur angina in peripneumoniam, hæc in pleuritidem, utraque in phrenitidem. Sic etiam, in vulneribus, veram fymptomatum Metaptofin efficiunt convulfiones illæ, quæ fæpe, articulis vulneratis, nullo admiffo in diætâ errore, fæviffimè erumpunt, & ægrum paucarum horarum fpatio jugulant, dùm vix aliquid in vulnere deficit notatu dignum.

At, quoties causa mutari potest & gradum aliquem mobilitatis per se nanciscitur, causa simul, simul morbus atque symptomata tolluntur & alium morbum effingunt. Id catarrhalibus quibuscumque affectibus commune est, quos idcircò Antiqui sub nomine fluxionum designaverant, ex eo quòd, non mutato, imò ingravescente malo, ex unâ parte in aliam defluere videantur. Et certè, cùm maximas partes ad hosce morbos inducendos agat perspiratio illa quæ, coctione pessumdatâ, vel levi datâ occasione, supprimitur & refluit; cùm tunc suppressum existat excrementum illud, quod in pluribus regionibus & pondere & quantitate cætera superat; cùm tamen aliundè augeatur quotidie, necdùm constituto satis morbo, hujus excrementi non excernenda materies: patet eam levem primo intuitu morbum, solosque frontales sinus occupantem, oculis objicere, mox invalescente causâ musculorum omnium actionem impedire, indeque, multiplicato Metaptoseon fonte, gulam ejusque glandulas occupare, brevi etiam pulmones & eorum membranas, imò nec intacta relinquere primævi vitii fautores stomachum & intestina; unde nullo alio in morborum ordine tot observantur Metaptoses. Quid si degener humor ille, novamque & acrem indolem assumens, rheumatismos, & illos quidem inflammatorios induxerit; si sævam & multis infamem

In mobilibus causis morbi simul causæque Metaptoses. Exempla ex catarrhalibus.

Exempla ex catharro in alias acrimonias degenere.

erroribus arthritidem acuerit, quot ille Metaptoseon formas induet? Diversitas porrò illa prævidenda & præmetuenda erit, cùm sese notam fecerit causa quæcumque determinans. Sic arthriticas & rheumaticas quotidie observamus anginas atque pleuritides quæ à membranis in musculos proximos feruntùr, sæviunt abscessûum, anthracum & furunculorum more; unde rursùs in articulos, imò &, observante HIPPOCRATE, in genitalia ruunt; tùm inexpectatâ, nec prævisâ sævitiâ rursùs in relictos articulos invadunt: posteà sæpiùs per urinas, rariùs per diarrhœam alvinam ægri liberantur. Neque enim illud omittendum est quòd humor perspirationis incoctus, & cruditatem præ inertiâ naturæ servàns, aliquam etiam spontaneam, præ calore & motu, mutationem subire possit, &, nisi à viribus naturæ mutetur in melius, in pejus verti, & aliquam novam nancisci acredinem. Tunc bilis, urina, sudatio aliquam etiam alterationem subire debent; unde, inter catarrhales morbos, non solùm arthriticæ pestes, sed etiam erysipelata, pustulæ, & cætera hujusmodi vitia numerantur jure, cùm perspirationis vitia referant: quæ quidem inter hosce morbos affinitas facilè demonstratur, à quâcumque causâ repetantur illa, quòd, imminutâ, aut pessumdatâ perspiratione, illa etiam jam sopita recrudescant atque reviviscant, eadem sequantur fata, easdem

Ex sopitis malis suppressâ perspiratione recrudescentibus.

Metaptoses

Metaptoses subeant; quod in morbis plerisque hujus prosapiæ observatum est. Hinc, in hisce affectibus, pro Metaptosi frequentiori habentur gravedines, sternutamenta, tinnitus aurium, capitis gravitates, anginæ species non una, tussis, dolor laterum punctorius, icteri, nauseæ, diarrhœæ, tormina, ischuriæ, & præcipuè dolor articulorum, quosquidem comitantur phlogoses, pruritus, & cætera hujus generis symptomata. Nec mirum si horror ille & frigoris interni sensus importunus, imò & spasmodicus rigor, qui morbos istos invadentes comitatur, de novo & inopinatò media inter morbi phænomena assurgens, non Metastases solùm, sed & Metaptoses nuntiet & præsagiat plerumque.

Humorum morbis propriæ sunt Metaptoses.

Cùm verò ex eo intuitu pateat humorum omnium mutationes, eorum effectus in solida posse variabiles efficere, patet simul nullum esse morbum ab humorum mutatione pendentem, in quo non Metaptosis metuenda sit; exceptis, ut diximus, iis qui partes solidas lacerando atque corrumpendo vitium ipsis inusserunt indelebile; in quibus ad solam symptomatum Metaptosim nostra vertitur attentio. Ut verò crisis atque Metastasis ad eas tantùm pertinet causas quæ possunt coctionem suscipere, ita contrà Metaptosis ad quoscumque humores referri potest, qui corruptelam qualemcumque possunt induere. Cùm enim malefica earum actio adaugetur,

ad plures vitium inde natum extendi functiones debet. Sic summus scorbuti gradus Metastasin vix patitur; Metaptosis in hoc casu semper & quasi quotidiana metuenda est; hinc atque inde emicant abscessus; hîc ossium tumor animadvertitur; illic vibices, hîc herpetes defluunt; illic pruritus torquet; anhelitus, tussis, diarrhœa simul vexant. Res eadem advertitur in virulentis humoribus venereo, scrophuloso, rachitico, sed nullo alio in exuberante humore adeò violenter atque in atrâ illâ bile cancrosâ.

Quâ ratione infectis aliquo vitio humoribus Metaptoses fiant.

Hæc verò omnia satis apertè nos deducunt ad intelligendum quâ ratione omnes quas alibi recensuimus humoralium affectuum classes sibi Metaptoses maximè vindicent. Quoties enim humor aliquis corpori inditus in eoque habitans in melius mutari non potest, aut per actuosas naturæ vires expelli, res in eodem statu remanere non potest, notante HIPPOCRATE; sed, ut facultas rectè morata rectum producit, ita quæ semel malè constituta fuit, in cæteras omnes redundans & communicata, debet illas & vitiare & sui similes efficere. Remanet enim & vivit intùs causa, quæ non emendata, imò pejorata, vitium intulit: unde crescere vitia necessarium est. Ita in suppuratione internâ levi pus paucum, refluxus parvus, symptomata producit æquivoca, vix nisi sagacioribus deprehendenda oculis. At vivit intereà ulcus, bre-

ùque hos facit progreſſus ut pro uno ulcere deprehendantur multiplicia, eamdem formam, eumdemque characterem ſibi aſſumentia : vix aliqua datur phthiſis pulmonibus perimendis apta, quæ non ad externa etiam pus deferat, aut quâcumque de parte evomat. Nulla hîc ſperanda in corpore victo atque debellato Metaſtaſis : ſuperat pus undequâque, & exuberans humores facit verè Metaptoſin inducentes, imò aliquandò falsâ ſpe deludentes. Idem omnium humorum neglectorum, ac moderatiùs primò ſævientium, poſteà verò exaſperatorum, fatum eſt. Idem etiam eorum qui, dùm vacuabantur, aut ad cutem ferebantur, innocui videri poterant, aut ſaltem partem tantùm unicam lædentes, ſed imprudenti arte, aut infelici fato repercuſſi, jam interiora depaſcuntur. Id ſæpiùs obſervatum eſt in præpoſterâ agyrtarum ſedulitate, qui dùm in ſanando herpete occupantur, jamque ſibi inconſideratè plaudunt, viderunt totam cutim, imò & cellularem textum ſcatere furunculis, quorum fatum illud eſt ut, uno extincto alter, imò plures renaſcantur, ad viſcera tandem deferendi, unde certiorem perniciem intentant, per diſſimulatas inſidias. Si verò in univerſam humorum maſſam diffundatur nocens humor, plures fiunt Metaptoſes donec aut illum ars expulerit, aut natura per Metaſtaſin felicem ad emunctoria amandaverit. Hinc etiam in im-

perfectâ Metaſtaſi aliquandò reliquiæ humoris non ſatis debellati Metaptoſin efficiunt; criſimque jure imperfectam inde judicaveris, quòd ſanitas non ſit reſtituta; Metaptoſeſque eò magis timebis, quò plus de læſione functionum reſtitabit. Hinc etiam ſæpè accidit ut in obſtructione per Metaſtaſin factâ curandâ, cùm pendeat illa à quiſquiliis illis excrementoſis, in viſcus aliquod, v. g. hepar depoſitis, Metaptoſes novæ naſcantur; cutis, v. g., herpetibus fœdatur, fluor-albus in mulieribus concitatur, in viris hæmorrhoïdes, aut ſtillatio oculorum, aurium, imò & gonorrhϾ anteà illas non expertis naſcuntur: qui enim latebat immobilis humor in motum agitur, & cùm cauſa aliqua cognita morbum præceſſit, admonendi ſunt ægrotantes, ne nova illa, ſeu potiùs rediviva, nil tale ſuſpicantes terreat.

Metaptoſes per medicamenta inductæ.

At ſæpe etiam medicamentorum actio, ſi illa ex irritantium genere fuerint, Metaptoſes induxit, dùm motum febrilem accendunt, dùm humores movent, dùm corporis extranei perſonam agunt, in ſpem meliorem admiſſa pharmaca. Ita à vomitorio ſingultus, à cathartico diarrhœa, tormina, teneſmus, à cantharidibus iſchuria, ab aromaticis ſtimulantibus tuſſis, à ſpirituoſis vigiliæ, dolores capitis, pruritus, tentigines venereæ ortæ ſunt. At latebât aliquandò in medelâ non imprudenti prædiſpoſitio ad morbum corporea.

Verùm etsi omnium humorum illorum morbificorum ea indoles esse debeat ut vires, ubi semel intùs intumuere, sibi assumant, nullâ aliâ in morborum classe res adeò evidenter patet, atque in affectibus illis contagiosis, quorum ferociam quâ ab alio in aliud corpus truduntur negare impossibile est. At hîc demonstrare prorsùs inutile quâ ratione atomus intùs in corpus prædispositum accepta rapidè sese multiplicet, & certis ictibus violenta & semper eadem inducat symptomata. Leniore jam morbo Metastasis speranda, graviore putridæ ut plurimùm, at semper horrendæ Metaptoses assurgunt, in ipsâ etiam morte corpus deturpantes. Sic sphaceli, maculæ gangrænosæ, intestinorum tabum ejicientium graveolens effluvium, urinæ sanguineæ, sputa è pectore anhelo nigra, rubra, putida spontè diffunduntur. Hæc quidem omnia in morbis extremæ ferociæ pestilentialibus observantur, quæ mitiùs sæviunt in variolis aliisque hujus generis morbis, qui tamen naturâ ad pestilentiales referri possunt, & sæpiùs, ubi à corpore prædisposito putridam nacti sunt indolem, possunt non sine injuriâ ad pestem ipsam referri.

Metaptoses in contagiosis & pestilentiabus frequentiores.

Porrò ex hisce paucis accuratè perpensis patet quàm latè diffundatur Metaptoseon metus in morbis omnibus, qui accidentariò in homines incidunt, cùm nulla sit febris; nullus ex acutis morbis qui non illas pati

Quibus in morbis Metaptosis præ Metastasi frequentior fiat.

poſſit : &, cùm plurimi ex illis criſeos atque Metaſtaſeos ſint capaces leviore morbo, multò plures erunt qui, graviore illo & periculum inferente, poſſint Metaptoſin experiri : ſiquidem aliquis, imò qualiſcumque naturæ labor, ad coctionem imperfectam expectandus eſt, ejuſque viribus locus datur, qui nullus omninò, aut ſine nullo ſucceſſu apparet in Metaptoſi. Putredo, dùm ſeſe multiplicat, Metaptoſes facit ; at, vires proſternens & evincens, Metaſtaſin reſpuit. Præterea verò quotieſcumque, in morbis etiam localibus & uni parti addictis, cauſa morbi viribus infenſa eſt & actiones lædit vitales, ita ut earum obſtet efficaciæ, Metaptoſes à causâ illâ arceſſuntur, ut, v. g., hæmorrhagia in thoracis affectibus ; in doloribus capitis deliria, imaginationis atque memoriæ vitia ; manûum atque pedum inflatio in cordis palpitationibus, quæ præſertim pendere poſſunt à polypo, aut oſſificatione orificii vaſorum magnorum, ut ſæpe vidimus occurrere in animalibus vetulis fractis labore immodico. Maculas ab hâc causâ liveſcentes cum anhelitu demùm inſuperabili mihi vidiſſe contigit : ſymptomata omnia in lævam corporis partem acutiùs ſæviebant. Dolores laterum, imò & ventris hydrops, plus in lævam aſſurgens, pro Metaptoſi jure obſervabantur.

Si verò arguas hæc pro ſymptomatibus haberi debuiſſe, non inficias quidem ibo. At differt Metaptoſis à ſymptomate, quòd ſublatâ causâ, illicò tollatur ſymptoma; quod quidem de Metaptoſi dicendum non eſt. Debilitatem textûs cellularis non tollit illicò abſentia cauſæ; ſed ubi ad aliquem gradum increvit cauſa, ſolidiſque labem inuſſit durabilem, tunc ſibi curationem propriam vindicat affectus ille, qui jure in principiis pro ſymptomate habebatur. Sic curam ſibi expoſtulant propriam, ſuaſque ſibi proprias indicationes commonſtrant agenti Medico, hernia poſt vomitus, ſpaſmus poſt dentitionem, menſtruorum evacuatione ceſſante affectio hyſterica, &c.

In quo Metaptoſis differat à ſimplici morbi ſymptomate.

Suæ ſunt eâdem lege & eâdem conditione, morbis etiam maximè chronicis, Metaptoſes, quarum ſingula non licet percurrere ſymptomata. Quantùm enim Metaptoſeon efficiant phthiſes, ſive pulmonales, ſive hepaticæ, ſive à quocumque alio viſcere pendeant vix enumerare dabitur. Diverſæ illæ ſunt pro diversâ partis affectæ naturâ, & varia exhibent phænomena; quin etiam, morbo graſſante & dominium ſibi vindicante, quotidie novæ erumpunt. Poſteà verò puris acredine conſumptum corpus ulcuſcula, imò & ulcera experitur; undequâque exurgunt etiam narium, aut aliarum partium hæmorrhagiæ, diarrhœæ, inflationes ad uſque hydropem

Metaptoſes in chronicis affectibus phthiſi, lue, arthritide, vulneribus, &c.

devectæ, aliaque dira symptomata. Nonne totum Metaptosibus scatet virus venereum ad usque intimam ossium structuram pertingentibus? Arthritis etiam, ubi superexundat & totum corpus detinet, quam partem sinit intactam? Ne repetita toties de scorbuticâ lue, de herpetibus exsuperantibus, elephantiasi, aliisque intùs educatis venenis videamur, jam exposita sub Epigeneseon titulo, recoquere. Imò nec fracturis, aut casibus Chirurgicis suæ desunt Metaptoses, dùm vicinia intacta malum accipit, dùm quiete articuli indurantur & concrescunt, dùm supinus ipse situs & coactus in dorsum decubitus renes vesicamque calculi elementis inficiunt, dùm nervi subsiliunt, imò & in convulsiones rapiuntur, dùm nàtura, uni intenta operi, nec ventriculum sinit concoctioni incumbere, nec intestina agere, bilis fluxum impedit, nullaque aut coctio, aut excrementorum excretio fit, ut suo didicêre periculo quicumque minùs obsequentes regulis diæteticæ fuerunt, aut anteà saburrâ laboraverunt. Ne loquamur hîc de iis quæ sæpe accidere possunt externis complicationibus, quæ viris militaribus in vulnerum curatione nimis familiares, Chirurgicæ sedulitati sæpe insidias struunt, nullâ arte prævidendas; imò, si prævideri possent, non tamen idcircò sanarentur in corpore undique vitiato. Verùm de complicationibus illis hîc agere impossibile est. Has in classes redigere

ex dictis facile eſt : at alios tangit iſte labor, nec omnia omnes poſſumus. Certè ex his omnibus ſatis intelligitur quanti noſtrâ intérſit, ut ad ea omnia attendamus, quæ morbum comitantia, & Metaptoſes & fatum morbi poſſunt prænuntiare.

Igitur in excutiendis Metaptoſibus quibuſcumque nunquam præteribit Medicus quo tempore illæ exardeant & erumpant. Ut enim nulla criſis, nec Metaſtaſis poſſunt nos in fiduciam inducere, quæ non appareant poſt ſigna coctionis & morbo jam ad ſtatum pervenienre, quodcumque alieno tempore apparet, Metaptoſis eſt; pertinent ſæpiùs ad incipientem, nec adultum morbum Metaptoſes. Nam licet nondùm dominatum exerceat morbus, creſcit tamen viribus non reſiſtentibus. Hinc RODERICUS A CASTRO, Dux noſter, inter Metaptoſes recenſet ſymptomata quæ prædominantur, ut horror, rigor, ſudor in febribus, quæ cùm ſymptomata partem eſſentialem morbi conſtituant, vix Metaptoſeon nomen ſibi merentur. Sed febris helodes, ſeu ſudatoria, ſed quæ rigore eſt ſtipata erratico, ſed frigorifera, ſed quæ ſibi præſumit anhelitum & anxietatem, hæmorrhagias, ſudores, diarrhœam, hæc criſeos jura uſurpat ante diem: fit enim id per Metaptoſin ſuperexundantis materiæ, quod per naturæ vires fieri debuerat. Porrò judicatoriá non judicantia, ut ait HIPPOCRATES, partim lethalia, partim diffi-

Ex his eruuntur diagnoſis & præſagia præſentis Metaptoſeos.

Metaptoſe incipiente morbo.

cilis ſunt judicii. Sed in incipientibus morbis tumores ſæpe evanidi, ſemper inertes, morbum incoctum errantiſque humoris veſtigia deſignant, qui poſteà in caput aut pulmones fertur. Maculæ eryſipelatoſæ, nullo alio tempore morbi conſpiciendæ, non tanto apparent diſcrimine, ſed fiduciam de ſecuritate morbi auferre debent: nam ubi ſtatim emicuerint illæ, brevi fugientes, vulgò aut vomitus & nauſeæ per totum morbi curriculum torquent ægrum, aut tuſſis aſperrima divexat pulmones. Ita & vomitus & diarrhœæ ſpontaneæ, præſertim præmaturæ, aut latere putridam ſaburram, aut humoris incerti, nec Metaſtaſin adhuc facientis, huc illucve decurſum demonſtrant. Hinc, ſæpe in morbis eruptivis, ante eruptionem ſimiles nauſeæ advertuntur, quæ, ſi in Metaptoſes faceſſant loco eruptionis quæ fieri debebat, nec tamen erumpit, recuſante ſcilicet naturâ, ſummo verſatur æger in periculo, vitaque auferetur, aut longi ſaltem temporis faſtidiis erit illa redimenda. Sic etiam, ut à chronicis exempla repetamus, ante arthritidem ingens flatuum ſtomachalium eruptio vulgò morbum prænuntiat, aut, nondùm arthritide conſtitutâ, dolores huc & illuc torquent; ſæpe etiam eryſipelas ſeſe huic præcurſorem effecit. Cordis palpitationes, tremores indefeſſos pulſui & pulmonibus æquè inſenſos, Metaptoſin veræ atque legitimæ arthritidos extitiſſe

vidi, ſed deviæ, nec ſatis in articulos ſævientis. At ſi poſt inanes conatus, inſultus illi arthritici tandem in articulos non decubuerint, viderunt omnes inde hepatitidem, vidêre iſchuriam naſci, cujus reliquias tardiùs & per artem concitata arthritis ſuſtulit. Quid & quòd ipſam maniam, plures per annos durabilem, tandem ſublatam viderim, erumpente quæ priùs non extiterat arthritide. Idem de colicis doloribus dicendum; idem de eryſipelatibus quæ in habitum trahuntur. Imò etiam ſymptomata à ſtomacho repetenda, ſeſe febribus intermittentibus pro præludio ſtatuunt, & pro Metaptoſi, dùm paroxyſmorum intervalla occupant; dolores quoque oſteocopi dicti ante febrem pluribus diebus adoriuntur, ut & latentis obſtructionis pondus, aut dolor quicumque fugax: imò & vermes aliquandò apparuêre, qui, præter febres convulſivas quas inferunt pluries ſævientes, pluries ſopitas, ſpaſmis intereà ſuperſtitibus, quàm diverſa anteà ſæpe intulêre ſymptomata, quàm variè aſſilientes & vix prævidendas creavêre Metaptoſes, imò quas non aſſumpſêre morborum non duraturas ſpecies ac formas? Quid, ſi venenatorum atomorum variam indolem adeò diverſè in corpus agentium ſectemur, ſpaſmodicam agunt ſcenam per multiplices effectus, multipliceſque Metaptoſes, donec aliquem ſibi characterem aſſumant. Hîc certè Medico ad omnia circumſtantia

Metaptoſeon natura morbi futuri indolem prodit.

ſevero examine attendenti, in tantis tenebrarum umbris aliqua lux affulget ex ipsâ Metaptoſeon naturâ; nam in morbo putrido, etiam ſub inflammatoriâ larvâ, ſeſe diſſimulantes Metaptoſes putridæ illius atomi ſigna dant. Sic dyſenteria erumpens in morbo cujus ſymptomata phlogoſin exprimunt, latere putridum quid, hæſitantibus ſignificat; idem petechiæ, idem maculæ luridæ, idem milliares puſtulæ nigreſcentes, proximâ ſæpe morte conſpicuæ, incaſſum eheu indicant.

Metaptoſes morbo provectiori.

At conſtituto & invaleſcente ſemel morbo, & ad ſui faſtigium evecto, quodcumque Metaſtaſim non procreat in Metaptoſin vertitur. Coctionis defectus tunc tibi ſigna præbeat, quæ ex urinis nunquam fallaci augurio deſumuntur, niſi tamen Metaptoſes has pravarum Metaſtaſium titulo volueris inſignire. Hinc apoplexia ſibi convulſiones adſcititias aſſumit, & in paralyſin inde, hinc in convulſiones vertitur. Ipſa paralyſis, nativæ oblita inertiæ, ſenſu deſtitutos artus in motum agit violentum, ſpem prætendens fallacem. At lethargus in phrenitidem tranſit; vertitur intrò quidquid exteriùs emicabat, jungitur phrenitidi peripneumonia. Angina delirium ſibi pro comite aſſumit, aut pulmonalem inficit fiſtulam. Pleuritidem pariter infeſtat peripneumonia, imò & hepatitis. Quandòque junctus renum nephritico dolori vomitus nova concitat accidentia, & teſticulorum tumores

ſuſcitantur. Vidi ab anginæ eryſipelatoſæ radiis totam tracheæ ſuperficiem infici, delabi inde ad pulmones malum, oririque phthiſin à causâ, quæ primo aſpectu ſimplicior videbatur. At, utero læſo, quanta convulſionum agmina expectanda ſunt? Putredo adſcititia variolas infames efficit. Primum periculi adhuc latentis ſignum præbet anhelitus, imò reduplicata & offendens reſpiratio, aut, ut in phreniticis, nunc lenta, nunc incerta. Quæ tibi phænomena in jamjam morituris cumulavêre Obſervatores poſt Antiquos, maximè colendi DURETUS & PROSPER ALPINUS.

Metaptoſeon in putridis præſagia.

Quid jam ſectemur morbos ſic dictos putridos, alioſque quibus malignitatis nota inuſta eſt. Nulla eſt Metaptoſeon in putridis caſibus claſſis, quæ non naturam morbi deſignet, uti modo dicebamus. Diagnoſim morbi facit ipſa Metaptoſis, quippe extrà circuitum delata morbi pars, jam caret tumultu illo febrili qui ad plures, imò ſæpe oppoſitas cauſas pertinere poteſt. Sævit effera peripneumonia; putridam fore tibi ſputa præmatura, cruda, copioſa, cum virium defectu & urinis prætermodùm turbidis, imò olentibus, certò deſignabunt. Bilis præmaturus effluxus, icterus primis morbi diebus erumpens, quantùm terroris injicit HIPPOCRATI, tantùm ſolutionis putridæ in humorum mole latere ſatis edocet. Prætereà licet aliquandò in principio nondùm prævideri

possit qualis sit metuenda atque prævertenda Metaptosis, morbo jam adulto & ad extremum sui fastigium evecto dubium superesse non potest. Vicit quidem ille naturam : quidquid exoritur in ægri detrimentum apparet; attamen an omnis omninò spes abjicienda? Sæpe sub sphacelo externo vita emicuit & quasi pullulavit. Ecquid enim? Generalis in morbis illis universalibus & totiùs substantiæ regula est, ut à principibus visceribus malum avertatur, & ad sedes minùs metuendas dirigatur, dùm intereà jam evidenter cognitum, & sub oculis positum, per potentissima artis auxilia debellatur. Huc miram exeruere efficaciam acida potentissima : huc cortex Peruvianus, Medicis mirantibus, vitam revocavit pereuntem & quasi difflatam. Hîc quidem Metastaseos jura videtur capescere Metaptosis, cauterii ad instar revulsivi, quo cutis usta partes maleficas ad sese advocat & quasi imbibit.

In morbis sæpè datur specifica & quasi epidemica Metaptosis.

At non eâdem evidentiâ semper occurrit hæc salutis via, nec in omnibus adeò certò casibus indicatur. Sæpè enim ad cognitas morborum classes aliqui referri non possunt morbi. Quibusdam etiam, etsi evidentes mutationes cognitas faciant, inest latens quid quod feratur ad has illasve partes, & sibi propria procreet symptomata Medico non prævidenda : & id quidem pluribus morbis epidemicis accidit, quibus familiares sunt hæ

vel illæ Metaptoſes, nullâ ratione, ſed obſervatione ſolâ casûum ſimilium prævidendæ. Stat ſuus ancipiti fortunæ locus in arte noſtrâ, non ex ipſo naturæ vitio quam ipſa ſua creatio certam facit atque conſtantem, ſed ex humanorum ſensûum & artificum induſtriæ defectu. Huc afferat auxilium qualecumque titubans obſervatio. At quoties pluribus exemplis res conſtitit, tunc prævisa erit quæcumque Metaptoſis, quæ aut non deeſt, aut ſaltem aliqua nec indubitata ſui dat indicia. Id, jampridem à SYDENHAMO annotatum, quotidianâ confirmatur experientiâ. Ipſi nova morbo ſymptomata ver affert, nova indit autumnus phænomena : at nota epidemica ipſi morbo epidemico propria ſemper ſuperadeſt ; imò & in levibus ac vix notabilibus ejuſdem ſpeciei incommodis non deeſt illa epidemicæ indolis teſſera huic anno peculiaris, alii anno incognita : imò ipſam etiam aſſumunt quicumque chronici habent aliquid, aut putridi, aut inflammatorii, quales ſunt & ſcorbutus, & morbi rheumatiſantes atque arthritici, quorum origo & catarrhalis eſt & inflammatoria. Exempla in re notiſſimâ proferre inutile eſt, cùm nullus ſit obſervator attentus qui rem non viderit.

At eſt etiam Metaptoſis non una quam endemicam vocare poſſis, quæ Populis quibuſdam multò plus quàm aliis competit. Talis eſt ea Alepenſis puſtula, quæ iis ſolis populis

Metaptoſes etiam dantur quaſi endemicæ.

competit, referente & deſcribente RUSSELLO. Ita etiam & Aſiaticis & Afris proprius dracunculus ille, etiam ab Antiquis deſcriptus. Ita etiam febris illa Americana Siamenſis dicta, & Occitanis Medicis deſcriptus anthrax: quæ Metaptoſes plus metuendæ ſunt in climatibus quibuſdam quàm in aliis. Imò inter endemicos affectus qui ſibi proprias varietates vindicant, æquum eſt recenſere illos qui ad vitæ conditionem variam referuntur, imò & ad ipſas artes in quibus hominum variæ conditiones exercentur. Carcerum ille morbus febrilis, qui aliquandò peſſimâ contagione in populos victu opiparo & aëre libero utentes diffuſus eſt, quàm peſſimam intulit Metaptoſeon ſobolem, verèque peſtilentium bubonum, anthracum, petechiarum genera? Quod etiam evenit illis qui, ob fortunæ penuriam, in locis anguſtis & effoſſis agglomerati, aëris uſurâ defraudant ſeſe, & in minori ſymptomatum ferociâ ulcera cutanea virideſcentia experiuntur, rhagadeſque ore diducto hiulcas, quæ etiam, febre ſanatâ, ideò non ſanantur, aut etiam protuberantias adipoſas à vitio putrefacti textûs celluloſi pendentes. His omnibus ſi febris ardens emicet, ſi variolæ erumpant, tantùm accumulabitur putredinis ſanioſæ vixque ſanabilis, aderitque mixtus è putredine atque naturâ morbi morbus novus priori periculoſus magis. At ſedentariis quibuſcumque iiſque qui corpore incurvo

Metaptoſes quibuſdam conditionibus artibuſque propriæ.

allaborant, ad ventriculum & hepar anxietas ingens, malaque inde nascenda morbis sese jungunt: unde, morbo etiam sanato, reconvalescentia difficilis oritur, ob angorem vix extinguendum ipsius ventriculi. His abdominalis plethora & circuitûs tarditas metuenda sunt; his hæmorrhoïdum cruciatus facilè incidunt. Quid jam hîc referam quæ iis qui mineras excoquunt, & præsertim plumbatas malorum feracissimas impendent? Colicus dolor, funestâ Metaptosi, in paralysin abit, ut abundè notum est. Quid si arsenicales vapores naribus & per pulmones excipiantur? Quanta & quàm pessima mala advolabunt, si catarrhus aliundè accersitus partes jam affectas invaserit? At dùm atomi illæ intra sanguinem admittuntur, nervosumque genus, quâcumque pateat illud, afficitur, sæpe spasmus durabilis laryngem, gulam invasit, ventriculum ipsum coarctavit, imò & dùm nervos cordis impetiit, in massas abiit sanguis polyposas, longis perimentes palpitationibus; imò & vidi, potu immodico spirituosorum, concretiones ad radicem magnorum vasorum positas; unde motus cordis præpeditus suffocationes, vel ad minimum motum, efficiebat, & anhelitum cujus sequela demùm, motu impedito & sanguinis coarctato reditu, mortis nuntia, erat thoracis hydrops brevi in alias partes decumbens. Alia sunt innumera Metaptoseon genera, quæ diæta gentibus variis

Metaptoses à diætæ vitiis inductæ.

familiaris inducere poteſt. Sed nullâ aliâ in conditione majus periculum impendet quàm in ciborum inconcinnè adhibitâ mole, quæ ſaburram inteſtinalem procreat, fontemque uberrimum efficit in morbis acutis complicationum, in chronicis verò ingentem anomaliam infert, novaque procreat ſymptomata. Multi ſunt quos ab opiparis epulis ingens divexat pruritus, ſive univerſalis ille ſit, ſive in aliquam partem labes ſtatuerit imperium atque dominatum. Sæpe à ſolâ crapulæ culpâ arthritis renovata pœnitentiam edocuit, feram quidem illam, ſi relictis articulis lues in caput aut in reum ſtomachum irruerit. Pro cutaneorum affectûum fonte habuerunt multi piſcium & cochlearum uſum : certè nullâ aliâ in causâ tot in ipsâ cute diverſarum Metaptoſeon origo delituit. Longum certè fuerit miſerrimum affectûum noſtrorum campum decurrere : ſatis ſit ſi à præcedentibus obſervatis intellexerimus Metaptoſes quaſvis à morbi ferocientis violentâ vi natas naturæ ipſi penitùs adverſari; aliquandò etiam mortis eſſe prænuntias, ſemper verò aliquid mali præſagire ; has ergò aut morbi violentiam, aut vires acciſas, ut in inediâ, fame & malignitate cauſæ fit, aut demùm cauſarum complicationem indicare. Has igitur prænoſces hiſce omnibus conſideratis; ſcilicet perpenſis, 1°. naturâ morbi, de quâ abundè dictum; 2°. ratione communitatis functionum : ita ſi ren unus

Quid generatim conſtituto morbo Metaptoſis quælibet indicet ?

Judicia de Metaptoſibus ex naturâ morbi.

tentetur, alterius functiones præpediuntur, poteſtque ſæviſſima Metaptoſis in utroque calculum ingenerare, idem videre eſt in oculorum functionibus, utrique quidem alterutrius inflammatio nocet; quippe ſanum, dùm alterius laborem in ſe unum ſuſcipit, opprimi à cauſis influentibus par erit, ſimulque partem mali accipere. Idem in omnibus ferè morbis vigorem aſſecutis accidit, & in incipientibus ac nondùm conſtitutis hariolari licet. Quippe ita conſtitutum eſt corpus, ut nulla detur pars quæ non aliam ſibi vicariam habeat in functionis ſupplementum. Id obſervatur in catarrhis, quorum pleroſque membrana Schneideriana accipit, mox in pleuram, pulmones, inteſtina, rariùs in veſicam decubituros. Si porrò catarrhus in renes aut oculos inciderit, eadem prorſùs evenient atque in inflammatione ſimplici: laborabit uterque, nec ab illâ labe communicatâ, immunem eſſe in corpore partem crediderim ullam, præter ovaria mulierum, aut virorum teſticulos, qui dùm ſibi ſupplent, vix tamen ullam mali communitatem experiuntur.

Ex functionum læſarum notâ analogiâ.

Quid hîc addamus de lineâ illâ non ſatis obſervatâ atque cognitâ, quæ hominem in duas partes æquales partitur atque dividit; quâ fit ut ad dextri lateris partes, analogiâ quâdam ab HIPPOCRATE & Antiquis obſervatâ, propagetur malum, lævâ intactâ, niſi impulerit malum functionum paritas. Porrò,

Situ partium conformi.

ut Veterum more loquar, quæ καῖ' ἕξιν fit malorum communio boni ut plurimùm augurii, naturæque agentis teſtimonium, potiùs ad Metaſtaſin pertinet quàm ad Metaptoſim, in quâ omnia confusè & nullo certo ordine peraguntur.

Ex indole cauſæ.

3°. Ratione cauſæ: nam aliæ in quaſdam partes potiùs agunt, deſertis atque non oppugnatis aliis. Moles catarrhalis aëris ſpiramenta occupat, à quibus in articulos fertur & cum quibus conſentit, atque in junioribus genitalia invadit. Venenata quæcumque cauſa à capite in ventriculum & lumbares muſculos, inde ad cutem fertur in Metaſtaſi, in Metaptoſi univerſas ſimul occupat, & multiplicata non ideò priorem locum deſerit. Quid agamus hîc de atomis illis extraneis acribus atque cruciantibus, quæ habitu inducto, jus civitatis intrà corpus nactæ ſunt, & nunc ſilent, nunc etiam poſſunt huc illuc deferri. Porrò licet nulla ſit pars quæ non poſſit affici acribus atomis, tamen in partes tendineas atque membraneas plus exercent venena illa imperii. Imò licet vulgò nullâ ratione niſi temporis tractu immutari poſſint, viſa eſt aliquandò ipſa arthritis veluti fermenteſcere, atque inſtar atomorum contagioſarum multiplicari, increſcere, & omnes ſimul partes ſæviſſimè invadere, nec reſpirationi, aut capiti parcere, imò & in gangrænam abire feralem, atque etiam hydropem mentiri: quod

præſertim acciſis viribus in ſenili debilitate vulgatiùs, in viris tamen atque etiam ætate florentibus factum vidi, Metaptoſi unâ aliam primò quidem excipiente, poſteà etiam comitante & conjunctâ. Metuenda hæc eſſe atque prævidenda in ſenili debilitate facile eſt augurari. Viget ſcilicet hoſtis, deſtruit vires, & iis ſufficiendis materia impar vix affluit. In genere verò Medicus obſervator id ſibi antè oculos habere debet morbos chronicos quoſcumque, ubi in acutam vertuntur feroçiam, duplicia fata nobis expectanda relinquere, vel ſcilicet expulſionem morbi, viribus naturæ ad id unum vergentibus, aut mali per Metaptoſes repetitas augmentum; quippe vel majora viribus audet natura, quibus inutilibus factis, malum undequâque ſpargitur & invaleſcit acredine novâ ſibi per vim vitæ adſcitâ; vel malum ipſum per ſe novas vires aſſumpſit, novamque actionem, dùm intereà, cauſâ præcedenti nondùm abactâ, alligatur & quaſi conſtringitur functionum efficacia, quarum unaquæque pro vi peculiari habenda eſt, quarum ſumma ſimul conſpirans vim naturæ efficit.

4°. At, ut notandum etiam eſt, alia prorſùs phænomena morborum expectanda ſunt, ingenſque Metaptoſeon varietas pro variâ corporis conditione. Aliæ ſunt infantibus familiares, cùm pleræque in hâc ætate Metaptoſes ad ventriculum atque inteſtina vergant, Ex ætate & conditione ægrotantis.

humoresque stomachales incredibili rapiditate corrumpantur. Omnes verò ferè à partibus maximè dissitis ortæ causæ arcessunt in his convulsiones & spasmos, quorum sæpe sequela fuit artûum dislocatio atque disjunctio per totum vitæ peragendæ spatium duratura. Mox progrediente ætate aderunt tumores lymphatici : puellis verò brevi cachexiæ vestigium debilitatem nativam & testabitur & augebit. Jamque, minitante menstruâ eruptione, ventriculi omnia mala renovabuntur à debilitate pendentia symptomata. Simul verò nervorum æquilibri motu ob menstruorum penuriam fatiscente, quæ struuntur aut capiti aut thoraci insidiæ semper reformidandæ, semper prævertendæ sunt : nam nullâ aliâ in corporis conditione tot hæmorrhagiæ per pulmones aut per nares, tot etiam in acutis morbis deliria, tot in chronicis affectibus insaniæ metuendæ sunt. Inflammationes generatim in fœmineâ infirmitate, minùs ad suppurationem vergunt. Periculum hoc viraginibus plus impendit aut florenti virorum juventæ ; his crises per hæmorrhagias salubriter erumpunt ; his menstruorum loco hæmorrhoïdes sæpe aut Metastases aut Metaptoses efficiunt. At senili ætati & jamjam decrepitæ, quod in florenti ætate Metastaseon materiam præbuisset in Metaptosin vertitur ; deficiente scilicet naturâ, nulla est morbi forma, quæ non in illos glomerata inelucta-

bilem finem prænuntiet, donec iners gangræna vitæ miserrimæ terminum imponat. Hinc in variis ætatibus atque conditionibus ingens Metaptoseon diversitas; quæ tamen omnia subjiciuntur & naturæ morbi ipsius, & etiam epidemicæ illius indoli.

Metaptoses etiam morbo decrescente.

Ex his apparet quantas & quàm pessimas agant partes in morbis quæcumque sunt & dicuntur Metaptoses, quocumque tempore morbi appareant illæ; imò, jam decrescente malo, quæ priùs siluerant aliquandò apparent, sive regiminis perversus usus eas induxerit, sive malum in fluxione revinctum & sub erethismo quasi compressum rursùs enituerit; quòd, ut arthritidi scorbutoque non incognitum, plurimùm observatur in morbis cutaneis, præsertimque lacteis mulierum, imò, quoties cachexiæ vestigium atque alimentaris spontanea degeneratio per febris activitatem dissimulatur. Morbo etenim composito & silente fœdatur maculis cutis, aut œdema pedum hydropem minatur, vulgarem illam debilitatorum Metaptosin, de quâ SYDENHAMUS doctè & disertè nos admonuit. Imò quotidianum est in autumnalibus febribus intermittentibus lienem ipsum intumescere & in aliquod volumen increscere, quod solutâ febre etiam per longum tempus remanet, imò aliquandò per totam vitam, quod ipsemet vidi. At non raròo, in obstructionibus, si præsertim ab humore aliquo suppresso ena-

tæ fuerint eique debuerint originem, evenit ut quo gradu ſolvitur malum, puſtulæ naſcantur: quòd, ad Metaſtaſes etſi aliquâ ratione pertineat, poteſt tamen referri ad Metaptoſes, cùm ab ipſo malo pendeant, ipſumque ſæpe ferociùs excipiant.

Metaptoſes ex uſu remediorum prævidendæ.

Ad genus idem pariter referendæ ſunt quæcumque ab admiſſorum remediorum efficaciâ pendent. V. g., ea quæ à topicorum adminiſtratione ſæpe repetuntur phymata, papulæ, hæmorrhoïdes ab uſu aloëticorum natæ, iſchuriæ quas induxit cantharidum appoſitio, aut gingivarum tumor dentiumque vacillatio ab imprudenti mercurialium uſu accita & provocata. Quæ omnia, etſi à malo non pendeant, poſſunt prævideri per cognitam & experientiâ exploratam remediorum horumce actionem.

Cura ex Metaptoſeon conſideratione qualis.

Ex his porrò ſatis deducitur curanti ægrum Medico Metaptoſes quaſdam potuiſſe prævideri, plures verò improviſas aſſurgere: indicationes verò curatorias, iis admiſſis, ita eſſe variandas ut princeps morbi


In acutis.

cauſa ſemper ſibi præcipuam curam poſtulet, & eâ quidem ratione, ut in acutis morbis, præviſis Metaptoſibus, nulliſque circumſtantibus inſidiis neglectis, præcipua tamen hæc ſit quæ à naturâ morbi petitur ſollicitudo. Quotieſcumque pars quædam impetitur & præcipua imbibit ſymptomata præcipuam in ſe trahit attentionem, & Metaptoſis ferè

ſemper

ſemper Metaſtaſeos loco habetur. Huc forſan natura vergit; huc certè ſaltem cauſa morbi defertur; huc recludendam eſſe viam ipſa mali inclinatio demonſtrat. Certè ſi nihil ſibi petechiæ poſtulent in morbo per ſe ſummè peſtilentiali & putrido, at bubones, etſi non pendeant à criticâ diſpoſitione, in id incumbendum eſſe docent ut quò virus fertur, huc exeat. Via enim, ubi ſemel fuerit aperta, forſan ea erit artis noſtræ felicitas, ut impetu facto, naturam onere aliquâ ſaltem parte liberet importuno. At in chronicis lentèque factis Metaptoſibus, res aliquandò aliter ſe habet ſi, v. g., cachexia immutata morbum immutet, atque aut in ſcorbutum, aut in putredinem inteſtinalem tranſeat: ſi ſcrophuloſa, aut venerea diatheſis in phthiſim pulmonalem, aut fluxum hepaticum abeat: ſi rheumatiſmus, aut humor quilibet extraneus paralyſin nuntiet: hinc enim mutantur indicationes rei peragendæ: natura quippe morbi mutata eſt prorſùs & ſymptomata in aliud ſyſtema converſa. Cæterùm ſæpiùs, uti jam dictum, Metaptoſis accumulationem mali ſignificat, unde in acutis morbus, ob accitum illud infortunium, varias remediorum directiones potiùs poſtulat quàm novam methodum: in chronicis verò dùm complicationem morbi ſæpè facit ſuperveniens Metaptoſis, ſæpè quoque indicationes agendi multiplicat, imò & nonnunquam adverſos inter ſe conatus expoſtulat.

In chronicis.



PARS TERTIA.

De Metastasi.

Quid sit Metastasis? In quo ab Epigenesi & Metaptosi differat.

METASTASIS est morbi mutatio, à naturæ contra causam lædentem decertantis viribus concitata, & ad salutem corporis instituta. Unde in Metastasi duo semper consideranda objiciuntur: hinc causa lædens, indè natura in ipsam debellandam incumbens & occupata. Porrò differt Metastasis toto genere ab Epigenesi, quæ etsi, ut causa divertens atque revellens, possit aliquandò in Metastasin mutari, tamen indè ab istâ differt quòd etsi Epigenesis ab essentiâ morbi concitari posset, & ipsi juxtà rerum ordinem supervenire, nihil nisi mechanicum in se continet, nihil ad sanationem à viribus instituendam sibi vindicat, estque, aut symptoma mechanicè superadditum, aut causæ influxus non necessariæ. Quantumvis autem sub nomine Metaptoseon possit etiam Metastasis comprehendi, & utraque ad idem genus referri queat morbi mutatio, differt tamen Metastasis à Metaptosi qualem descripsimus, quòd hæc semper per se mala sit, malo omine à causæ grassantis impetu appareat, arguatque naturæ prostratæ, aut inertiam, aut aberrationem. Illa

verò contrà actuosam indicet naturam, viresque ejus aliquâ sui parte victrices; unde, in salutem corporis semper instituta, scopum suum sæpè attingit, licèt illo aliquandò defraudetur. Hinc Metastasis non tam latè patet atque Metaptosis: at sæpè superadditur & Epigenesis, & Metaptosis Metastasi. Ita pustulæ in variolis & in aliis morbis eruptivis Metastasin efficiunt sæpè salutarem, quibus aliquandò infelici Metaptosi jungitur corruptela putrida, unde naturæ deficiunt vires. Ipsa Metastasis in oculos, in laryngem facta Metaptoses sibi jungit metuendas, quæ naturæ salutare institutum corrumpunt. Adde huc causarum externarum influxus, quos sæpè invexêre imprudentia, inscitia, negligentia ægrorum, victûs delicta, peccata ab adstantibus admissa, aëris mala constitutio, at præcipuè & ante alias causas, prævia, quæcumque fuerit, depravata corporis constitutio, sive peccet fluidorum indoles, sive solidorum tenor, aut nativâ, aut conquisitâ laboret infirmitate.

Epigeneses & Metaptoses Metastasi superadditæ.

Metastasis ergò debet spectari ut salutaris, cùm sit secundùm naturæ ordinem & ejus institutum, cùm sit, ut cum Antiquioribus loquar, ad ignobiliora à nobilibus partibus, ut si per naturæ agentis vires deferatur à vitalibus partibus ad articulos, aut ad textum cellularem nociva & morbum efficiens materies. Pessima contrà erit si fiat à cute, textu

Metastasim quid faciat bonam vel malam?

cellulari, glandulis externis ad vitalia organa. Utilis pariter erit si conatus virium per humori nocenti consonos exitus morbum tollere allaboret, ipsique & gradu & tempore correspondent. Timorem incutiet si vias causæ nullatenùs aptatas sibi arripiat, si parva Metastasis causam grandem attingere non valeat; si præmatura, crudis adhuc causis, nec turgescentibus, adeòque eliminationi imparibus humoribus morbificis, emicet alieno tempore.

Completa est, vel incompleta Metastasis.

Ea verò spectanda, aut in acutis affectibus, aut in chronicis, estque vel completa, vel incompleta. Quæ ultima, etsi spe fallaci aliquandò illudat, aliquid tamen oneris detrahit & præludit illis quæ salutares esse possunt, imò sæpè morbi morem, symptomata, decursum immutat illa morbi qualiscumque conversio à viribus naturæ facta, & in corporis utilitatem instituta.

Divisio hujus de Metastasibus tractationis.

In hoc igitur consistit nostra de Metastasi tractatio, ut attentè spectemus 1°. quibus de causis, quo naturæ molimine fiant Metastases. 2°. Quot Metastaseon species det aut natura morbi, aut partium in quas decumbit differentia. 3°. Quibus signis possit & Metastasis & ipsius exitus ægrique fortuna futura prævideri, indèque curandi indicatio præsumi. 4°. Accedet postremò toti operi quidam veluti appendix, tractans eas, quæ à variis morborum complicationibus ortæ, ex dis-

tinctis primò, deinde verò uniformi naturæ motu in unum coeuntibus affectionibus, constant mutationes. Ista, ut actione naturæ plerumque producta, phænomenorum complicatio & confusio, ad Metastasim proinde videtur præcipuè pertinere, eique adeò conjungetur.



CAPUT PRIMUM.

De Metastaseos mechanismo & causis efficientibus.

JAMPRIDEM apud veteres Medicos observatione compertum est causam morbi in eo solummodò à morbo differre, quòd hæc nullâ actione prædita possit intrà corpus, illæsâ ad sensum machinâ, remanere, & reverâ permaneat, donec, stimulo semel inflicto atque viribus lacessitis, concitet symptomata, semper quidem à causâ morbi pendentia & ab ipsâ repetenda, sed sæpè etiam à viribus naturæ, quæ, concitatæ in lædentem materiam, nituntur contrà ad eam expellendam, atque extrà corporis limites eliminandam.

Symptomata morborum alia causæ, alia naturæ tribuenda.

Duplex ergò exoritur ordo symptomatum. Alia enim à causâ morbi lædente pendent, consistuntque in functionum læsione, vacuationum ordine suppresso, earum indole mutatâ & perversâ, nervearum actionum ataxiâ. Alia contrà à viribus naturæ concitantur, ortumque ducunt ab augmento & multiplicatione nixûum atque conatûum, quibus & augentur functiones, & vacuationes increscunt, reparantur, aut etiam multiplicantur. Hinc meritò GALENUS in morbo semper du-

plicem effectûum ordinem agnosci voluit, cùm alii ab ipsâ vitii efficaciâ pendeant, alii à decertantis naturæ viribus repetendi sint; scilicet, in morbo quovis ad curationem tendente, certamen inest inter lædentem causam & resistentes atque resilientes naturæ vires, quarum victoriam & prædicere atque prænoscere, & adjuvare artis est.

Simplex quidem est & ab ipsius rei visceribus trahitur morbi hæc idea. Siquidem nulla est observatio quæ non edoceat naturam, à mechanismo corporis actuoso pendentem, solam sibi instrumenti curatorii titulum & jura vindicare posse. Arti decus ingens, utilitas insignis incumbit quoties auxiliatricem se jactare potest. Ut autem mechanismus ille universalis intelligatur, à simplicissimis functionibus res auspicanda est. Velut enim, in statu naturali & sano, alimentorum massa nondùm subacta & in usus nostros redacta extranei quid habet, ita ad eam subigendam atque immutandam vires corporis aliquâ ratione adaugentur atque increscunt. Augmentum illud, licèt existat in sano & valido corpore, sentiri se vix patitur. Verùm jam à lautiori cœnâ vultus rubicundior, pulsus elatior novum nixum in naturâ, laboremque ejus adauctum simplicissimis hominibus demonstrabunt. Si moles illa viribus grandior fuerit, nixus ille pro naturæ debilitate plus

Natura morborum curatrix. Analogia à coctione naturali ducta.

minùſve increſcit, nec ceſſat donec, aut plenior vacuatio finem labori impoſuerit, aut longior inedia, conſumendis nata humoribus, pondus ſuſtulerit. Si jam, aut imprudentiâ accedente, aut viribus infirmatis, increverit adhuc extranea illa moles, proportionalem experietur difficultatem quominùs & ſeparetur pars excrementitia, & mutetur in propriam animali ſubſtantiam pars quæ nutriendo apta eſt; omnia tunc in laborante naturâ invertentur, conatuſque ad coctionem naturales illi aut tardabuntur, aut etiam interrumpentur. Tunc non ſine phænomenis novos nixus demonſtrantibus natura irritata atque concitata maſſam hoſtilem, longiore temporis morâ, proteret. Unde primò horrores illi atque rigores in malè concoquentibus adeò familiares; poſteà calor exardeſcet, & demùm ſudores erumpent, omniſque ille labor plus minùſve temporis, plus minùſve laboris ſibi poſtulabit.

Ut coctio naturalis, ſic & morboſa, ſed operoſior.

Mechaniſmus porrò non alius quærendus eſt, ut jam alibi probatum confidimus, in coctione morbosâ, adeò apud Antiquos famosâ; ſiquidem actionis paritas adeſt, licèt in labore majori violenta magis, cùm in grandiori atque ferociori causâ majores objectæ reſiſtentiæ, & minùs regularem & minùs efficacem coctionis nixum reddant. Siquidem, præter alia omnia quæ ab improvisis & in causâ conſtanti non devitandis

accidentibus naſcuntur impedimenta, ipſa ſola materiæ reſiſtentis atque quaſi reſilientis pertinacia, virium agentium ſalutaribus effectibus obſiſtens, nunc has, nunc illas, pro ipſius rei naturâ functiones lædit, aliam ſæpè obſtinatiùs invadens, aliam comprimens. His poſitis, jam non ex ordine inſtituto procedit naturæ labor. Obſtat cauſa ubique præſens, officioque partium innectit vincula. Imò & ipſa non tardari ſolùm, ſed etiam prorſùs perire poteſt coctio. Porrò, ſi omnia ſecundùm naturæ ordinem agantur, nec ulla, quod vix ſupponi poteſt, ſeſe obtrudant impedimenta, functionumque æqualis ſupponatur nixus, paritaſque virium & æqualis partitio per omnes atque ſingulas partes, à quibus exurgit vis corporis univerſa naturæ nomine deſignata, fiantque hæc in homine robuſtiori; tunc, utut vehementiſſimam admiſeris cauſam, violenta quidem orientur ſymptomata ab aucto actionis vitalis tono, verùm erunt illa ex naturæ ordine, coctionem tandem, aut ſeriùs, aut ocyùs efficientis. Ipsâ ſcilicet naturæ vi omnia mutabuntur, novâ factâ excrementorum mole, novo partium utilium proventu, ſive, ut ſcholarum more loquar, partim aſſimilatio fiet materiæ devictæ, partim nova & proportionalis materiæ lædenti excrementorum excluſio, quæ & numeroſiora eſſe debere, & à ſtatu naturali multùm diſſita ipſa ratio indicat;

at, his semel expulsis, omnia in statum naturæ proprium esse revocanda ipsa coctionis idea supponit.

Ipsa tamen hæc naturæ actio violentior ipsi sæpè moras nectere valet.

Verùm fatendum est, in hisce naturalis facultatis augmentis, symptomata concitata ab hujus violentiâ posse per se ipsius naturæ intentioni repagula objicere: nam, vel alicujus partis innata, aut acquisita debilitas, sæpè densato in suis principiis & tenuato in constitutione acquisitâ sanguini potest hærentiam inducere, dùm intereà fibrarum erethismus inflammationem accersit ipsi coctioni nocivam, vel externa quæcumque pariter coctioni moras injiciunt. Tùm animi pathemata, tùm adstantium, aut etiam medicantium inscitia, secundùm primum HIPPOCRATIS Aphorismum, naturam sæpè susdeque convellunt & à scopo divertunt, unde symptomata supervenientia Metaptosesque diversæ concoctricem facultatem ad aliena occupant, aut etiam ipsius vires omninò prosternunt. Id enim omnis semper Medicus ante oculos habere debet, quod observatio demonstravit ab ipsius HIPPOCRATIS ævo constantissima, naturam salubriter ad duo objecta non posse attendere & in ipsis occupari, sed è duobus alterum ab altero hebetari & quasi excludi. Hoc quidem in ipso naturali functionum statu compertum est. Siquidem si animum ad aliquid appuleris languent illicò functiones omnes, & suspensæ interrumpuntur, cessant vacuationes quæ-

libet. Quicumque dolore in aliquâ parte torquetur; hic nunquam felicem ſibi concoctionem naturalem ſperare poteſt, aut etiam benè coctam aut rectè moratam vacuationem: unde, rectè HIPPOCRATES doloris in corpus actionem à mutatione excrementorum judicari pronuntiat.

Complicatio morborum difficilem reddit coctionem.

Hinc ergò, in morbis complicatis duplicique cauſarum infeſtarum actioni obnoxiis, coctio ſemper, aut incerta, aut longa erit, difficiliſque judicationis tales morbi rectè æſtimantur; quippe utraque pari paſſu incedere non poteſt coctio quam ſibi quæque cauſa expoſtulat; ſed altera nocet alteri, ita ut ſæpè neutra à naturâ perficiatur, ſed illa, tantis impar malis, ſuccumbat. Ecquid enim in unum finem collimat coctio, ut partes heterogeneæ homogeneam ſibi aſſumant indolem, expellanturque expellenda juxtà naturæ morem & ordinem. Hinc, multiplicatis hoſtibus, & longior & difficilior ipſi opera incumbit.

Non omnes igitur morbi æquè concoctioni patent.

His ſemel poſitis quæ noſcuntur ab omnibus, atque ab HIPPOCRATE ad uſque noſtra viguerunt tempora principiis, facile eſt præſentire non omnes æquè morbos huic patere coctioni, ſed eos tantùm qui nondùm ſolidis infixi ea ita adorti ſunt, ut eorum ſubſtantiam nec vitiaverint nec corruperint. Coqui per ſe poteſt atque immutari valet hoſtilis materia quoties humorum formam, conditio-

nem, constitutionem adoritur. Debet enim, ut in omni mutandâ materiâ, posse atomus hostilis fluida fieri & à motu perpetuo alterari, mutari, legitimisque & naturæ familiaribus particulis immisceri, atque ab iis superari. Quod si non sit ea hujus humoris nocentis indoles ut mutationem subeat, repugnetque ut vincatur, frustrà veram atque legitimam coctionem tibi spoponderis.

Morbi rebellis materies in partem quamdam sæpè defertur utiliter.

Non ideò tamen disperiit omninò naturæ actio. Fit enim nixus novus ad hostilem materiam quâvis viâ expellendam atque removendam. Concentrari in unum illud objectum vires observatione notum est. Febrilis illa actio universalis peculiarem sibi brevi vindicat actionem, fitque in parte ad quam defertur febris quasi peculiaris, quam, ut calor atque dolor acutus, imò & in partibus externis rubor comitantur, inflammationem vocant. Ubi textus cellularis nocivæ materiæ centrum ac sedem præbet, hanc in novam indolem vertit, imò adipem ipsum & humores ibi per circuitum raptos immutat, solida vicina destruit, & hostilem atomum partibus remixtum utilibus tandem vacuat, felici quidem successu, si ad externa materies illa conversa, novo & insperato mechanismo expellatur. Id autem non solùm in partibus singulatim læsis fieri perspicitur, sed etiam quoties irritis natura conatibus, sive inquilinæ humorum naturalium indoli, sive excrementis

ad naturæ normam denſatis atque tenuatis, morbi materiam undique diffuſam aſſimilare nequit. Tunc enim humorum naturæ conſonorum creſcens facultas & principiorum inter ſe attractio atomos ſeparat, ſejungit, ſegregat hoſtiles ; has circuitus in debilitata organa congerit & accumulat. Tuncque novo molimine nixuque potenti renitentes agitat, donec ipſa laceret organa materies jam viribus inferior, viaſque ſibi novas, quaſi terebrato corpore adaperiat.

Morbi ergò qui vires naturæ fruſtrà exercent, nec coctionis commoda aut utilitatem poſſunt experiri, illi ſunt qui, extrà naturæ centrum poſiti, fruſtrà illam laceſſunt, aut agunt compreſſione, aut irritatione inutili adeòque nocivâ. Nihil enim nocet magis quàm irritatio inutilis : ſcilicet in ſe ipſam agit natura, vireſque ſuas conſumit : unde eas fatiſcere neceſſum eſt. Idem etiam de iis dicendum eſt affectibus, qui vires vitales & actionis illius originem opprimunt, ipſique quaſi vincula injiciunt. Quibus etiam addendi ſunt affectus illi, qui nerveam partem adoriuntur, & in illam, cæteris intactis, agunt. Quamvis enim forſan, in affectibus etiam nerveis, aliqua inſit coctionis forma & ſpecies, nondùm illam ars valuit ſeverâ obſervatione comprehendere ; imò & illorum inconſtantia in ſymptomatibus ſub pertinaci causâ exerendis obſervandi ſpem eluſit.

Quidam morbi omninò naturæ actionem eludunt.

Alii mutationes ſponte concipiunt nocivas.

Quoties ergò materies humiditate leni attingi & lenteſcere non poteſt ; fruſtrà coctionem , aut moliri tentabis , aut à naturæ viribus ſperabis , &, ſi quæ , ut in ſcirrhoſis materiis, ſpontanea mutatio incidit , laborque in centro peculiari & ab actione naturæ ſejuncto naſcitur , non modò inutilis ille dicendus erit , ſed & nocivus , cùm hic neceſſarius ſit cauſæ nocentis effectus , ut partes alienas naturæque extraneas intrà vaſorum motorum ſyſtema introducat. Contrà labor novus à materiis illis intrà vaſa accendetur , vires conſumet , erodet ſolida , novamque ab inutilibus naturæ nixibus concipiet acredinem brevi feralem , ut experientia de cancroſo viru ſatis pronuntiavit.

Conatus naturæ in concoctionem non ſemper utilis.

An ergò , ſi hoſce ſimileſque excluſeris morbos , coctio , ut ſemper neceſſaria , ita etiam ſemper utilis ? Minimè certè : quod quidem concludere facillimum erit , ſi pauliſper attendamus ad ea quæ poſſunt hujus ſucceſſui obſiſtere. 1°. Quidem ſi moles admiſſa hujus ſit naturæ , quæ aut eliminari , aut moli naturali aſſimilari non poſſit omninò. Tales ſunt partes plurimæ venenatæ quæ , dùm à corpore non poſſunt immutari , aut per convenientes vias expelli , ipſum mutare ex rei neceſſitate debent ; quippe abſumitur vis innata , & fruſtrà dùm ingentes conatus exerit ſeſe ipſam immutat. Tales ſunt partes illæ verè venenoſæ , à quibus animalium prin-

In venenatis.

cipiorum indoles adeò aliena eſt, ut horum formam & ſtructuram aſſequi nunquam poſſint. Hæ ſpinæ infixæ ad inſtar, ut HELMONTII verbis utar, vanas & inutiles concitant ſuppurationes, totum corpus, aut in pus convertunt, aut ita ſtringunt, ut jam nullus detur niſi convulſionibus & ſpaſmis locus. Morboſæ illæ moleculæ vires naturæ exſuperant atque vincunt; at ipſæ vinci & ſuperari nequeunt. 2°. Quoties ea eſt humoris morbum efficientis natura, ut omnia per ipſam ſuam indolem colliquet & putredine imbuat, adeòque totam quaſi corporis molem diffluere faciat: unde ipſa vis aucta, dùm ſuperficiei & contactûs puncta multiplicat, malum auget & perniciem magis inſtantem facit. 3°. Quoties, immutato mechaniſmo non ſatis cognito, moles humorum nativam indolem univerſim amiſit, &, ne ſubtiliora ſectari videamur, vapeſcit, & liquido illo ſubtili, aëreo, vitali defraudatur, ita ut nec viribus adaugendis, nec naturalibus functionibus exercendis vacare poſſit; quod in aliquibus malignis morbis non adeò rarum eſt. His ſi addideris eas quæcumque ita poſitæ ſunt affectiones, ut dùm centrum morbi peculiare ſibi vindicant, non poſſit ordo naturæ ad hoc uſque penetrare; prætereà verò ſi attenderis plurimis deeſſe exitûs atque eliminationis ob clauſos aditus facultatem, ſenties certè quâ ratione poſſit in caſibus hiſce om-

In colliquante materiâ.

In peſſumdatis humoribus.

Centro mali extrà vias naturæ poſito.

nibus nixus ille coctionis necessarius, aut non fieri, aut, si fiat, perniciem intentare vano & irrito impetu, qui tunc ad accelerandum feralem exitum concurrit.

Metastasis naturæ opus.

Fit ergò Metastasis à viribus naturæ contra hostilem adversamque ipsi naturæ materiem decertantis. Porrò, ut intelligatur quid sint vires illæ, & quâ ratione agant & agantur, omnis attentio ad universæ mechanismum naturæ undequâque agentis convertenda est, id est, ad summam Creatoris providentiam, quâ edictum fuit ut omnia motu semel indito propagarentur atque vigescerent. Porrò innumerabiles effectus à simplicitate unius actionis pendent, & quas in universo orbe disposuit Creator optimus, eas in individuis etiam ita divisit conditiones, ut certi indè nascerentur ordinatique effectus. Vires porrò illas corpus humanum quasi intùs repositas non semper expandit, sed adsunt quoties ipsa rei necessitas reposcit novi latentis & innatæ facultatis renixus. Vires illæ evidenter agentes negari magis non possunt quàm vires satis cognitæ, quibus non solùm extranei cibi in inquilinam naturam mutatio fit, sed etiam functiones omnes exercentur; nihil enim magis demonstratum est quàm propositio illa, existere scilicet perpetuum in corpore vivente mechanismum, quo omnia illa ita sapienter peraguntur, ut pro re natâ possint augeri, imminui, & obstantia vincere atque superare.

Ad illud verò pleniùs assequendum non solùm vires adaugentur, sed etiam tempus plus minùsve durabile requiritur, ita ut coctio nulla, morbo semel posito, statim apparere possit. An verò vires illæ à naturâ corpori viventi insitæ ab animâ sentiente pendeant, stimuloque quem percipit illa actuoso, licet in sensus nostros crassioris structuræ sui signa ostendere nullâ ratione videatur, quærere distuli. Quippe quæstio hæc ad nos nullâ ratione potest pertinere qui in observatione rerum conquiescimus. Licebit tantùm admirari naturæ, seu potiùs ejus Conditoris sagacem & fœcundam providentiam, qui simplicissimo mechanismo tot & tanta exerit effectûum phænomena. Quippe vel levi intuitu observamus mechanismum unicum atque uniformem exerendis Coctioni, Crisi, Metastasi, imò & Solutioni sufficere, positoque semel illo, quem omnis ætas, omnis Nationum observantium consensus, vel etiam minùs doctarum, observavit, functionum stimulo, omnia sanationum naturalium phænomena enodari nullus est qui non aspiciat.

Eadem naturæ actio solutionem producit & crisim & Metastasim.

Distantia principiorum à naturâ hinc in acredine consistit, illinc in crassitie, seu proportione elementorum in humoribus mutatâ; unde nascitur Metastaseon in coctione difficiliori materies. Acredo siquidem, quæcumque sit, sive nobis in suis incognita principiis, vellicet, & videatur intùs nata, fota

Coctio difficilior fit ob humorum vel crassitiem vel acredinem.

atque educata, ſive ad claſſes cognitas & proinde ad effectus determinatos referatur, ſtimulo ſemper agit, quem expellere quidem ingentibus & pro ejus conditione reduplicatis nixibus natura aggreditur. Craſſitiei nocentis exempla ſuppeditat frequentiſſima gravis ingluvies quæ febres vehementiſſimas excitare poteſt, imò ardentes, aut etiam phrenitides, vel lethargos, notante id HIPPOCRATE. Inter acredines numerantur venena omnia illa acria, miaſmataque varii ordinis & efficaciæ, quæ non ſolùm ſolida irritando ea ſtimulant, ſed etiam ipſam humorum indolem immutant; ita ut, etiamſi vehementiſſimis fruſtrà laboret conatibus natura, tamen reduplicatis nixibus vinci ſe pateretur, nec graſſanti cauſæ poſſet obſiſtere, niſi aliqua cruda etiam & non præparata molis pars exire poſſet per vacuationes, quæ, etiamſi curando malo eâ de ratione impares ſunt, quòd à naturâ nihil mutatum ſit, tamen pro ſalutaribus aliquâ ratione haberi poſſunt, quòd molem imminuant nocivam, dùm intereà ars ſalutare porrigit diluentium & demulcentium auxilium. Id in morbis quibuſcumque putridis eò magis occurrit quòd fomites illi putridi à quâcumque parte ſibi incrementa ſumant ſtomacho, inteſtinis, renibus, ſtagnatione qualicumque, imò & ab externis vires acquirere queant, ut aëre & alimentis, &c. Quid ſi dentur venena acria intùs enata, quæ vires ſupprimant, ſo-

ſporemque inducant, ut negare impoſſibile eſt : datur enim acredo narcotica.

Si ergò acre quodcumque, narcoticâ exceptâ & ſtupefaciente acredine, imò nec ipsâ etiam exceptâ, ſtimulos quaſi ex ipsâ ſuæ naturæ neceſſitate infligat & vires ad motum provocet, an concipi poterunt acria quæ acutos morbos non excitent, ſed longâ egeant ut expellantur coctione? Rem porrò in corpore animali frequenter occurrere docet vel ſimplicior admiſſorum intrà corpus obſervatio. Nec enim omnibus ſtimulis æquè omnes patent corporis partes, nec in omnes humores agunt acria æquali efficaciâ. Sic ſalia pura deferuntur in urinas, ſic aromatica ſudorum & perſpirationis vias affectant : nec ulla eſt notabilis acredo quæ non promptos ſibi conciliet exitus, ſi non aliquam cum principiis humorum conſtitutivis adhæſionem contraxerit, unde per coctionem, aquâ mediante, temporis morâ & reſiſtentiâ ſuperatâ, poſſit tandem diſcuti. Is eſt enim naturæ ſcopus & labor, ut repellatur per coctionis inſtitutum ab humorum inquilinorum maſsâ quidquid ipſis alienum eſt, nec propter aut adhærentiam, aut craſſitiem illicò vias excrementorum patentes ſubire poteſt. Prætereà verò vigere poteſt intùs, imò graſſari & multiplicari fomes morboſus, iners, ſymptomatum expers, non actuoſus, ſed quaſi ex inſidiis agens, dùm latitat intùs in glandulis aut

Poſt morbos ſæpe latet acredo pertinax.

cellulis, & per accidens accipit actionem. Imò sæpè, si causæ adsint, aut corrumpentes, aut fomitem augentes, coctionis efficacia, utut repetita, inutilis evadit, & dùm spes defraudat imbellis coctio, malum intùs grassatur & progressus tales accipit, ut post nixus naturæ inutiles æger tandem occumbat. Exempla similium casuum sæpè offerunt lues scorbutica aut venerea, lactei mulierum affectus in quibus maximas agit partes textus cellularis, repositam intùs materiam hostilem recondens.

Etiam post acutos.

Imò sæpè etiam, acutis morbis, præsertim illis qui per eruptionem finiuntur, supersunt mansuefactæ jam reliquiæ, quæ nunquam nisi dato tempore & quasi per intervalla erumpunt. Id post variolas adeò commune est & vulgatum, ut non ampliori indagatione egeat, cùm vix ullus ex ægris sit qui non sæpiùs, imò per multiplices vices, furunculis Metastaticis ita laboret, ut deficiente uno alter erumpat. At etiam materies reposita, erumpente frigore, nunc oculos, nunc aures lacessit, donec exhaustus deficiat per plures Metastases fomes ille plures per annos agnoscendus atque repetitus. Et id quidem nobis ideam suppeditat quâ possimus intelligere quâ ratione Metastasis in completam atque incompletam rectè dividatur.

In acutissimis sæpè pars morbi solutionem,

Et certè in morbis etiam acutissimis, si materies coquenda atque immutanda hujus indolis sit, ut possit ita per vires auctas subigi

atque immutari, ut naturæ familiarem atque inquilinam adipiſcatur unâ ſui parte indolem, alterâ verò legitimum excrementorum characterem, ſolutio fit incompleta quidem, cui perfectionem imponit, reliquiarum non adeò facilè mutandarum Metaſtaſis. Coctio ipſa niſi poſt hanc abſolutam, erit imperfecta & incompleta, ejuſque ſigna ad hunc uſque finem minùs evidentia perdurabunt. Solutio verò perfecta decrementum morbi efficiens, & vix ullam vacuationem ſibi expoſtulans, oppidò rara eſt in morbis cum vigore aliquo naturam adorientibus. Nam, cùm materia morbifica quæcumque plus excrementoſam materiam referat quàm inquilinam & naturæ proximam, rarum eſt illam, quæcumque ſit ejus indoles, ſine evidentium excrementorum vacuatione expelli, imò & vulgò non unam in morbis alicujus momenti ſortitur illa formam exitûs, ſed vulgò omnia ſimul adaugentur excrementa, & in finiente morbo reſarciuntur effluuntque vehementiùs perſpiratoria, ſcybaloſa & urinoſa excrementa. Id certè naturæ conſonum eſt victrici, & ejus actionis formæ conforme: ſiquidem ut in alicujus momenti morbo vigente, atque omnia corporis organa ſtringente, ſupprimuntur illa, ita & decreſcente illo, hæc quoque reſtitui & reſarciri æquum eſt, pro variâ proportione quâ fuerant anteà cohibita atque ad ſuorum oſtia vaſorum retenta & impedita.

Pars excretionem, pars Metaſtaſim ſubit.

Solutio plena rara.

Morbi excretio fit ſæpiùs per omnia ſimul adaucta corporis excrementa.

Nec aliter se res habet in partâ vehementissimo labore victoriâ. Hæc autem crisis est & dicitur, quæ Metastases victoriâ felici atque completâ præcellit & prævertitur, in quâ scilicet per nixus vehementissimos in motum acta materia, quæ morbum efficiebat veluti agglomerata, demùm fertur impetu in aliquod peculiare excretionum organum, jam expellenda. Tunc, quæ illam potuerunt in ipso certamine ad exitum per coctionis molimina præparare, victrices corporis vires, jam ob mitificatam humorum acredinem, ad nixus majores eliciendos habiles factæ, impetum illum, libertatis restitutæ jure, suscipiunt, unoque nisu morbum depellunt. Quod fieri non potest salubriter & efficaci depulsione, nisi materies expellenda ita fuerit præparata, ut hâc abactâ corpus liberum sartum & integrum permaneat.

Crisis fit perfectâ coctione, materiâ aliquam præ alias affectante excretionum viam.

Si quæ ergò ante hanc coctionem materies expellatur, hæc potest quandòque salubriter, sed non curativè expelli duobus in casibus. 1°. Si primarum viarum officina quisquiliis turgeat, quarum præsentia morbum potuisset adaugere, absentia minuere. 2°. Si, quod non adeò vulgare est in morbis alioquin sanabilibus, materies ita undequâque exundet, ut exitum ipsa sollicitet; quod *turgere* ipsi HIPPOCRATI dicebatur. At medius quidam terminus est inter hunc rariorem casum & perfectam illam crisin. Si scilicet materies

Crisis sæpè fit imperfecta, morbum minuens ante plenam coctionem.

hâc ratione exundet, ut possit & debeat ex ordine naturæ vacuari antequam coctio, aut propter exuberantiam, aut propter resistentiæ pertinaciam perfecta sit, fit tunc crisis imperfecta, ad naturæ levamentum apta, non ad morbi sanationem sufficiens : juvat illa quidem, sed non sanat. Talem videmus casum in morbis qui per reduplicationes aguntur, aut ad intermittentium naturam accedunt. Est enim sua cuique reduplicationi coctio imperfecta, est & sua, sive per sudores, sive per alvum, vacuatio, morbus perstat integer, at de ferociâ suâ aliquid deponit, donec per multos illos & pro variâ conditione variatos paroxysmos, tandem vires ad coctionem necessariæ resarciantur; quæ observatio familiaris est, saltem apud nos.

Hæc quidem pauca de crisibus dicta sunto, ut saltem liceat ex his naturæ nixibus ejus constantiam, uniformitatem, providentiam observatione constanti deprehensas ita admirari, ut illam etiam in Metastasium productione forsan non adeò evidenti impetu agentem persequi possimus. Etenim nihil aliud nobis offert spectandum Metastasis quæcumque præter materiem morbificam quæ, utut naturæ legibus subjiciatur & aliquâ ex parte obtemperet, ita tamen constituta est, sive mole, sive acredine partium, ut nullâ ratione possit prorsùs consonam naturæ formam assumere, & naturalia œconomiæ animalis pro-

Materies Metastaseon non omninò coctionis expers, sed cruda magis & pertinax quàm crisium.

ducta, sive assimilanda sint, sive expellenda, æmulari. Igitur si coctio hostilium harum atomorum, imperfecta quidem, aliquatenùs tamen fieri possit, nulla alia nobis idea superest, nullus alius mechanismus, nisi quo materies illa à functionibus avertatur, & à centro naturæ actuoso repellatur. Quod quidem quotidianâ observatione demonstratur in variolis, in abscessibus illis qui naturæ actionem præviam sibi vindicant; in hæmorrhagiis etiam, in herpetibus, árthriticis morbis, aliisque hujus prosapiæ affectibus, qui, quamvis materiâ constent indomabili, tamen aliquâ ratione à viribus naturæ superantur, quatenùs collecta materies in hunc illumve ablegata locum, peculiare sibi centrum actionis vindicat. Nec res illa quidem, quamvis certè providentiâ admirandâ videatur institui, alium supponit mechanismum præter eum quo partes homogeneæ per se uniuntur, & motu illo perpetuo in corpore concitato ad viscera structuræ analogæ feruntur & quasi trahuntur. Hisce porrò materiæ hostilis suscipiendis Metastasibus præ cæteris patere debent, & inter alia subjici viscera illa quæ cellulosâ & dilatabili structurâ constant, ut sunt cutis & glandulæ, tùm verò ea quorum hæc est fabrica ut excipiendis, secernendis everrendisque excrementis idonea sint, ut hepar, renes, vesica, &, præcipuè ante alia, cutis perspirationis organum. Nec toties natura in

Metastaseon materiem excipiunt partes molliores aut excrementis dicatæ.

crimen

crimen vocanda eſt, quoties Metaſtaſis fit in pulmones, hepar, &c. : id enim ſæpè fit ex materiæ analogiâ, ſæpè ex ordine rerum circumſtantium ; at ſæpè etiam ex adſtantium peccatis contingit.

Metaſtaſis tuta minùs eſt aliis mutationibus.

Patet certè ex his, aliiſque ſæpè obſervatis, Metaſtaſin minùs eſſe tutam atque ſecuram quàm ea criſis quæ fit per vacuationem : ejecto enim hoſte, quid ſupereſt timendum ? At in Metaſtaſi ſua ſuperſunt pericula : adeſt enim ſemper, centro actionis mutato, ſed naturâ morbi eâdem & indomabili, hoſtis ad portas. Multa poſſunt ita concurrere, ut centro illo novo relicto, aut ad priores ſedes, aut ad metuendas magis regrediatur malum, & in vires jam præcedenti acciſas certamine ſæviat. Sua ipſi centro novo actio aliquandò non ſine periculo eſt, novuſque exoritur morbus priori, aut periculo æqualis, aut metuendus magis. Hoc hiſtoria variolarum abundè probat, quæ ſæpè in oculos, ſæpiùs in pulmones aut hepar, ejectis reliquis, infames fuere : & id epidemico more accidiſſe viſum eſt ; imò plures ruſticos regiminis impatientes peremit diarrhœa variolis ſuperinducta.

Metaſtaſis imperfecta ſæpè eſt.

Præterea verò Metaſtaſis cùm ad exiſtendum duo ſupponat, aut materiæ rebellem atque non expellendam per vias naturales indolem, aut virium nimiam debilitatem, non raro imperfecta eſt, atque toti morbo expellendo impar. Undè ſæpiùs per repetitas Me-

taſtaſes morbi expulſio fit; adeòque in perfectâ etiam Metaſtaſi & plures per dies duraturâ, ipſam non adeò perfecta coctio antecedit, ſed inſunt differentiæ plures quas poſteà ſuis locis annotare non erit inutile.

Metaſtaſis ipſo morbo ſæpè periculoſior.

Verùm ex his ſemel poſitis atque comprobatis principiis illud ſequitur Metaſtaſin non ſolùm minùs ſecuram eſſe perfectâ criſi, ſed illam etiam eſſe ipſo morbo periculoſiorem aliquandò facile eſt demonſtrare. Si ſcilicet aut pulmones, aut ventriculum, aut ipſum hepar adoriatur, vel demùm, quod in morbis acutis non inauditum eſt, in ipſam capitis arcem decumbat, &, interiora ejus organa impetendo, vires & vitam miſerè deſtruat. Nec certè difficile eſt indè concludere Metaſtaſi non uſque fidendum eſſe, ſed, cùm & materiem magis rebellem & vires minùs actuoſas arguat, opus eſſe ingentibus artis moliminibus ut adjuvetur illa & in loca tutiora relegetur, & in iis ſemel accepta quaſi cohibeatur, imò & augeatur. Spectatoris & admiratoris otioſi perſonam agebat in inſtante & prænuntiatâ criſi Medicus. At, in Metaſtaſi, non obſequioſum tantùm ſe præſtare debuit, ſed & actuoſum & ad omnia feliciùs peragenda promptum: nam Metaſtaſis quæ ſui dat indicia non fit illicò, ſed ſæpè plurium dierum poſtulat intervalla, nec ideò tamen, aut completa, aut perfecta ſemper dici poteſt. Summè ergò noſtrâ intereſt ut phænomena

Medici in Metaſtaſi impendente munus.

tùm inſtantis, tùm fientis, tùm factæ Metaſtaſeos recenſeamus. Fit in morbo Metaſtico infirmior eaque imperfecta coctio, annotanturque ejus ſigna non æquivoca, ſed nunquam perfecta, quæ tùm in linguâ, tùm in urinis, tùm in ipsâ cutis ſuperficie jam molliori atque flexiliori, imò in oculis ipſis, in ipſis vultûs lineamentis deprehenduntur. Scilicet omnimodè perfecta coctio & ſuis numeris omnibus abſoluta perfectam criſin efficeret, aut victricem ſolutionem; hìc autem adſunt ſemper, & has in flocculento deprehendes urinæ ſedimento, hoſtiles reliquiæ, dirutæ quidem atque proſtratæ, ſed exſtantes tamen: verùm, ut coctio perfecta non erat, cruditas non adeò mala emicat. Nonniſi peractâ abſolutâque Metaſtaſi coctio deprehenditur, in ſuis ſignis perfecta atque completa; ſcilicet tunc demùm profligata expulſaque eſt hoſtilis materies.

Imperfectæ coctionis ſigna Metaſtaſeos prænuntia.

Nec verò etiam obliviſcendum quod ab HIPPOCRATE notatum fuit, fieri aliquandò mutationem Metaſtaſeos in criſim, ſeu vacuationem, tùm etiam Metaſtaſeon inter ſe mutationes. Nec mirum, ſiquidem Metaſtaſis ipſa morbus eſt ab eâdem, ſed mutatâ causâ pendens, novamque prorſùs induens formam, novam indolem, nova phænomena. Prioris nobis ideam mutationis exhibuit HIPPOCRATES, dùm obſervat dolentes ad articulos jamjamque abſceſſum ſibi expectantes, ab illo liberari excretâ, copiosâ &

Metaſtaſeon in ſe mutuò aut in criſim mutationes.

crafsâ urinâ. Quod non adeò rarum esse omnes testabuntur, qui ægris observandis operam navant. Idem etiam iis accidisse, qui, dùm interiorum abscessûum penè experiuntur angustias, diarrhœâ biliosâ liberati sunt: testes appello Practicos omnes. Ab hæmorrhagiâ, sive per hæmorrhoïdes, sive per uterum, instantes hepatis abscessus devictos fuisse pariter fatebuntur Medici. Nec id solùm, licet efficaciùs, efficient hæmorrhagiæ illæ violentæ atque copiosæ quæ crisin efficiunt, sed etiam lentæ illæ atque perdurantes quæ efficaciam diuturnitate compensant. Licet enim de iis siluerit HIPPOCRATES, forsan in iis oris vitam degens in quibus res rarior est, tamen apud nos casum hunc non adeò rarum esse omnes pariter consentient, saltem de menstruorum & hæmorrhoïdum fluxu.

Metastaseon sæpè metuenda mutatio.

At Metastasium mutationes atque inter se conversiones quàm frequentes sint atque metuendæ, si deessent alia exempla, quàm terribilia nobis præstarent variolæ illæ, quæ non aliâ ratione, dùm vertuntur ad interiora, ut ad vulgi mentem loquar, tot miseros insperatò perimunt. Scilicet quæ fieri debuit ad cutim Metastasis fit in caput, angit laryngem, pulmones arctat & suffocat. Verùm nulla est pars quam non aliquandò Metastaseon imminentium mutatio atque conversio vexaverit. Sic erysipelas, aut potiùs materies illa sæpè catarrhalis, quæ ad exteriora delata erysipelas

facit, nunç anginam, nunc peripneumoniam Metaſtaticâ phaſi facit, & poſt variè illudentia phænomena in dyſenteriam vertitur. Cur in ipſo morborum acutorum furore, ſæpè ſurditas emicat, diarrhœam, & illam quidem ſalutarem, prænuntians? Cur ſæpè idem parotidibus, aut bubonibus accidit, quos jamjam ſuppuraturos eſſe jurares, mox ſuſtulit diarrhœa, aut meliùs adhuc hepatis ſubitò increſcentis tumor indolens ad tactum? Scilicet coctio aliquâ ratione facta eſt, & ipſius morbi principis ab humorum centro expulſio incœpta per naturæ vires: ſed pars ſupereſt materiæ per ſe rebellis, quæ errat adhuc huc & illuc, imò aliquandò ab ægrorum, aut adſtantium malè moratâ curâ renovatur, dùm ſalutares quæ partem operis in ſe ſuſcipiebant vacuationes, arte præpoſterâ tardantur. Fluctuat incerto paſſu titubans natura & iter ingreſſum regredi cogitur. Hinc novas adoritur partes hoſtilis materies, iteratur in debilitato corpore certamen, præclarèque cum ægro actum erit, ſi meliùs monita ars naturæ obſequioſa ipſam ad priſtinum revocet ordinem, ut poſſit uniformibus nixibus ita materiem morboſam edomare, ut jam vaſorum diametris obſecundet illa, aut alibi cum minore periculo feratur. Id artis eſt obſervaſſe ſedulò, huic propoſito obſequi, in id intendere ſummum eſt artificium. Huic ſi temeritas obſtiterit, aberrat à ſcopo natura, cui contradicere pia-

Artis in his munus & naturæ vis.

culum eſt, tuncque, aut falſos ſibi gratulabitur ſucceſſus, brevi infeliciter rependendos, aut naſcitur abnormis morbi longitudo. Illud enim in omni criſi, ſive illa per vacuationes fiat, ſive per Metaſtaſin, annotandum eſt, naturam quidem in unum opus intentam atque efficaciter laborantem videri, impetumque ejus in unam partem deferri, in quam, aut fit apoſtaſis, aut per quam fluxu rapido humores rapiuntur: ſed cùm vires illius reſarciantur integrè & ad priſtinam revocentur integritatem, omnes ſimul placidè redeunt vacuationes, undè ſalutaris ordo rerum renaſcitur, lingua, gingivæ, labia & colorem & mollitiem & ſecretiones recipiunt, urinæ facilè, nec adurentes prodeunt, cutis lubricitatem priſtinam & humiditatem ipſi innatam jam reperit, ſimultaneâ actione omnium functionum ita conſpirantium, ut qui uni nocuerit omnibus ſimul noceat. Nec eſt, ex veterum doctrinâ, ut ars malè ſedula partes ſuas in hoc labore agere velit: quippe una actio ex omnium conjunctione conflatur, ut ex rotarum omnium actione partes ſuas peragit horologium. Ineſt ſcilicet in naturâ rerum ordo immutabilis, & ideò immutabilis quòd mechanices legibus ſuis obſecundet. Has quidem penitùs intelligere atque intueri impoſſibile eſt, at videre & obſervare licet.

Debilitas ægri reliquias morbo-

Et certè indè intelligere facile eſt cur & quandò, debilitatis præſertim naturæ viribus,

ſæpè Metaſtaſis, ut & criſis, non uno tenore perficiantur. Vires enim naturæ aliquatenùs & aliquâ ſui parte cauſam potentiorem debellant, ſed non integrè & nonniſi per vices. Scilicet, aut illæ ita debiles ſunt ut partim tantùm agere poſſint; pars oneris ſupereſt: aut ita acciſæ ut dùm cæteræ partes adhuc agere poſſunt, ferietur una atque onus ipſi concreditum exonerare non poſſit: aut demùm multiplicatur intereà materies hoſtilis. Qui tres caſus quotidie occurrunt in debilitatis, aut per alium qui præceſſerit morbum, aut per nativam conſtitutionem, hominibus, vel pravâ humorum diatheſi vexatis, vel ſeſe malè ſedulò ingurgitantibus. Tunc enim nec criſis nec Metaſtaſis integrè fiunt, ſed, vix ullâ coctione præviâ, aut illâ incertâ, nec ſignis ſtabilibus aut firmis conſtitutâ, pars cauſæ exit, pars alias per partes erraticè vagatur aliam ſibi ſedem quærens, & dato tempore, novoque inito certamine, eruptura. Tot hujuſmodi abſceſſibus, ſive apoſtaſibus, ut græcè loquar, acuti morbi vertuntur in chronicos affectus: id in arthriticis ſcorbuticiſque quotidie videmus. Illud etiam ſæpè obſervatum poſt variolas, quarum reliquiæ Metaſtaticæ per annos graſſantur, imò per totam vitam reſiduæ extant: ita abſceſſus non notabiles poſt peripneumonias phthiſim induxerunt. Ita ſæpè ipſa arthritis, dùm paroxyſmis ludit acutis, videtur jam exhauſta; at

rum fovet paratque Metaſtaſes.

brevi recrudescit illa & in aliam partem desævit acutè, ita ut vetulorum præsertim vita tota in repetitis consumatur arthritidos paroxysmis, quibus tandem vires opprimuntur.

Diætæ vitia Metastasibus materiem sufficiunt.

Quòd si malâ & perversâ vitâ, nondùm renovatis digestivis viribus, alimenta ita oggerantur, ut jamjam laborantis naturæ opus, aut pervertatur, aut elangueat, ut quotidianum est apud pauperioris sortis homines, quibus nihil præ inediâ timendum atque metuendum. sibi fingit malèsuada imaginatio; certè in hâc imprudentiâ benè cum naturâ actum erit, si pars extranea quotidie renovata non pejorem accipiat indolem, quàm quæ abscessûs materiæ competit. At certè major copia materiæ fiet, si non pejor, si non exundans, si non, malis profligatis atque discedentibus, subdat putridam materiem, fomitemque morbosum corpori fracto atque lassato inferat: quod quidem ad Epigeneses pertinet. Sic sæpè Metastasis arthritica ad ventriculum & intestina defertur, ibique materies nidulans putredinem concipit, caput opplet, & putridæ febris symptomata capescit. Exardet illa, & toto febrili tempore non dubia arthritidis symptomata, ut dolores articulorum evanidi, cruciatus ad aliquas partes apparent. At, si prospere res cedat, fatendum est aliquandò feliciter evenire ut febris sua tempora peragens & morbum auferat, & illam quæ præcesserat arthritidem. Id pariter in quibusdam herpe-

Utilitas febris ad Metastaticas reliquias tollendas.

tibus accidisse non inauditum. Quod enim à vulgaribus naturæ viribus fieri non poterat, ab iis accensis atque prætermodùm auctis quidni speraremus? Certè tollendis multis malis, quæ levia simul & Metastatica dici poterant, sæpè in vitæ decursu profuit febris: tales sunt sæpè juveniles illæ in vultu efflorescentiæ, quas superveniens febris, post vacuationes multas, aut arte factas, aut à naturâ inductas, sanavit. Artem instituerat Cl. GRANT de hepatis, aut lienis infarctibus per febrem arte concitandam tollendis, quod certè ad illos tantùm defluxus pertinet, qui à Metastatico conatu sumpserant originem. Certè quantas in Metastasibus inducendis atque faciendis partes agat bilis, pluries exponendi sese dabit locus. Sufficiat hîc in mutatione humorum Metastaticorum annotavisse quàm facilè ex naturalibus humoribus alter alteri suppleat, & sic, mutato ordine, mutatâque corporis, per rerum illarum non naturalium influxum, conditione, possit incœpta Metastasis aliò protinùs verti: quod quidem non sine aliquo periculo fieri posse facile est intellectu, cùm scilicet, virium naturalium ordine certo agentium impunè perverti impetus non possit, imò debeat immutatio illa supponere inter utriusque actionis intervalla inertiam quamdam, aut potiùs tumultuarium motum, cujus effectus necessarius est, sic docente GALENO, novum ex-

Ex his demonstrata Metastaseon mutabilis indoles.

Omnis in corpore mutatio excrementa parit.

crementorum proventum ingenerare. Siquidem nulla, notante eodem, ſupponi poteſt in corpore motûs & ejus effectûum mutatio, quin indè etiam ex materiæ neceſſitate nova ingenerentur excrementa, quæ novas ſibi excretiones poſtulant, novoſque edunt effectus. Et hic quidem naturalium corporum ſeſe per vires internas immutantium novaſque proprietates acquirentium intuitus, in hoc certamine naturæ cum causâ lædenti, cujus effectus ſemper in mutatione conſiſtit, nunquam omittendus eſt. Siquidem indè multa in excrementis Medico ſpectanda occurrunt, quæ quidem, in eo quòd pertinet ad excrementorum varietatem, ſive in coloribus, ſive in gravitate, ſive in odore, aliquandò in doctrinæ formam poterunt redigi. Quod, etſi nondùm factum, licèt ab HIPPOCRATE nuntiatum, non idcircò tamen negligendum eſt. Id certè in ſedimenti urinoſi copiâ, colore, varietatibus, ejuſque cum cauſæ lædentis & partis læſæ analogiâ, ut jam à pluribus annotatum eſt, experientiâ attentiori adhuc conſiderandum, cùm plura in eo puri conſona, mucoque denſato ſimul in mole & in conſtituentibus principiis tenuato analoga deprehendantur; ne plura hîc addamus de partibus bilis, quæ ipſis urinis colorem igneum, earumque ſedimento rubedinem impertiunt, nullis ſæpè aliis hepatis læſi ſignis ſeſe prodentibus, quod jam notavêre olim & Du-

RETUS & PROSPER ALPINUS. Hæc verò, etsi omnia forsan empyricæ observationi huc usque subjecta fuerint, patet tamen & Physicis & Chimicis quâ ratione possint aliquatenùs ad theoriæ normam adaptari; modò in hâc inquisitione nimis præcipitanter non agamus, liceatque morari aliquantumper in naturæ divitiarum fundo, qui nos non oscitantes sinit hariolari, sed introspicientes altiùs immorari.

Nil paucum criticum, effatum Hippocratis.

At satis ex his intelligetur axiomatis illius HIPPOCRATICI veritas, *nil paucum esse criticum*. Nec fidendum usque, aut abscessui, aut vacuationi cuivis, quæ non fuerit causæ lædenti proportionalis. Quid enim sperandum à minimâ vacuatione in maximo malo? Virium tunc fiunt nixus inutiles, & debilitas indè nata veræ mox erupturæ crisi officiet, imò morbi longitudinem præsagiet actionum vitæ nixus inutilis. Quodcumque paucum apparet in morbis, aut Metaptosim sapit, aut virium imbecillitatem. Fieri tamen aliquandò potuit ut Metastasis cum machinæ levamento fiat, ubi parte non contemnendâ hostilis materiæ natura liberata est. Nec prætereà facilè denegare possumus quod experientia confirmat, Metastasi scilicet semel factâ, posse tamen, hâc perstante atque vigente, crisim perfectam fieri. Nam collectis viribus natura crisim perfectam efficiet, stabitque intereà Metastasis, corpusque solutum atque sanatum

Crisis & Metastasis sæpè simul in eodem corpore.

à duplici curationis fonte permanebit. Vidimus in febribus, collecto abſceſſu, & materiâ per ſuppurationem evadente, coctionem perfici, &, ſtante puris generatione, natura per alvum & diarrhœam morbum profligavit, imò etiam per ſudores, quamvis cum ſeptentrionalibus Medicis omnibus, imò & Dureto atque Ballonio conſentiamus, rarò admodùm criſin perfectam apud nos per ſudores ſolos ſejunctos expectandam eſſe, ſed ſæpiùs fallacem, cujus fallaciæ teſtis ſit immanis quæ vulgò ſudores apud nos excipit debilitas. Lentior tamen in hoc compoſito caſu eâ de ratione expectanda criſis eſt quòd eo qui præceſſit labore vires fuerint acciſæ atque imminutæ, adeòque & labor difficilior & affectus longiores expectandi ſint. Sæpè caſus ille Metaſtaſeos cum criſi copulatæ obſervandus occurrit in parotidibus, imperfectam Metaſtaſin in morborum malignorum decurſu efficientibus. Partem criſeos per Metaſtaſin efficiunt illæ, vitamque reddunt ad efficaciores niſus aptiorem. Coctionis aliqua ſigna, ſed incerta, ſed dubia, tùm in linguâ, tùm in urinis apparuerant; ſed, criſi verè imminente, firmiora illa evadunt. Idem etiam accidit in ictero illo quem ſexto exacto die rigor ſuperveniens nuntiat. Metaſtaſis in hepar facta futuram diarrhœam criticam præſagit, hanc icterus prænuntiat. Ita etiam multoties, in pleuritide, peripneumoniâ, hæmorrhagiæ

utiles Metaſtaticæ, criſin per ſputa coƈta futuram, cæteris concurrentibus ſalutaribus ſignis, denuntiant. Hæmorrhoïdibus etiam cum cruciatu ſupervenientibus idem faƈtum eſt. Hæc verò omnia aliquibus ſignis ſalutaribus præcedi debent, undè ipſam ſubodoramur ſalutem, ſi præſertim, ubi jam diƈtum, Metaſtaſes illæ aliquam ſervaverint cum morbi furentis causâ connexionem.



CAPUT SECUNDUM.

De variis Metaſtaſeon ſpeciebus.

EX iis quæ huc uſque poſuit atque demonſtravit obſervatio, ſatis intellectum confidimus quid ſit Metaſtaſis, & quâ ratione à naturæ viribus concitetur. Mutationes porrò phyſicæ quæ à viribus corporis in motum ſalutarem actis ingenerantur, non unâ ratione diverſitates multiplices poſſunt efficere, humorumque craſin atque ordinem intervertere.

Metaſtaſes ad claſſes revocari valent.

Imò ſatis probatum eſt illas omnes mutationes à ſolis naturæ viribus pendentes, ad certa poſſe genera referri atque in claſſes revocari: quippe quod mutatur & novum characterem induit ſemper, pro illorum ex quibus conflatur elementorum naturâ, & actione inſtrumentorum agentium, proprietates & ſuas metitur ab illis acceptas. Quod verò mutari non poteſt, ita actione inſtrumentorum involvitur atque cicuratur, ut poſſit, novâ connexione ſibi conciliatâ, tandem expelli atque à corpore auferri & avocari.

In Metaſtaſi conſideranda actio naturæ & mali materies.

Hinc fit ut in Metaſtaſi quâcumque duplex rerum ordo conſtituendus ſit: alter in quo morbi cauſa ſedulò exploranda ſit; alter in quo virium ad certamen conſpirantium nixus

ſedulò perpendi debeat. Ut ergò ampliſſimus ille, Metaſtaſeon quarumcumque ambitus, ſive mutationum illarum ſalutarium quas ad corporis ſalutem humores ſubeunt, poſſit meditantibus ſeſe objicere atque ab obſervatoribus deprehendi, ante omnia univerſus humorum excernendorum intuitus ſubjiciendus eſt oculis, à quo fonte omnia illa mutationum genera derivantur & pendent.

Quodcumque intrà corpus introducitur debet per naturæ laborem perpetuum, aut in noſtram converti naturam, aut cum naturalibus excrementis eam adipiſci concordiam atque conſonantiam quâ poſſit cum iis expelli. Converſio porrò illa fieri non poteſt quin diſſocientur à ſe invicem partes diſſimiles atque ſuperfluæ, ſocientur contrà atque connectantur illæ quæ homogeneæ ſunt; quo mechaniſmo neceſſe eſt ut excrementa naſcantur. Coctio nulla, nulla aſſimilatio concipi poteſt, ſine aliquâ excrementorum generatione.

Cuilibet coctioni ſua ſunt excrementa.

Id ergò omnibus cauſis lædentibus evenire neceſſe eſt cum aliquâ diſparitate. Diſparitas hæc pendet à tempore & nixûum violentiâ: nam vires, pro obſtantis materiæ ratione plus minùſve exardeſcunt, anteà quaſi ſepoſitæ & nullis fervefactæ cauſarum ſtimulantium exceſſibus. At quò plus virium exerit natura, aut quò longiori utitur temporis intervallo, eò plus excrementorum ingenerat illa; &

Coctionis morbificæ excrementa plura.

ſimul materiæ à quibus morboſa lues pendet, per ſe magis excrementitiæ ſunt, quàm quæ ex naturæ ordine vulgari virium impetu concoquuntur. Verùm licèt ſalutaris quæcumque Metaſtaſis auctum virium nixum ſupponat, ſi univerſas Metaſtaſium leges & ſpecies animus ſit comprehendere, non eas tantùm in morborum impetu ſatis erit obſervaſſe, ſed, ut eas undique quaſi pullulantes videamus, earumque mechaniſmum intelligamus, operæ pretium erit, ſi univerſim mutationes & decubitus humorum ſalutares, etiam extrà morbos, legibus naturæ vix mutatæ obſequioſas intueamur; nixus enim naturæ non ſemper evidens eſt, & cum tumultu agit, & in ipſo virium vitæ ſalubris exercitio multa deponuntur in totiûs corporis ſalutem, quæ, ſi rigidè ſumatur vocis interpretatio, Metaſtaſeos nomen ſibi vix vindicare poſſunt.

Metaſtaſeon analogia cum quibuſdam naturalibus in ſanorum vitâ phænomenis.

Id verò per omnes ætates, per varia loca, pro diverſitate & victûs & morum, obſervatur. Ipſa *dentitio* infantis ſæpè Metaſtaſes non unius generis efficit. Ipſis ſæpè poſt diarrhœas, aut potiùs eorum loco alvi fluxûum quos gratulantur infantibus nutriculæ, abſceſſus ad glandulas enaſcuntur, conſpiciuntur ventris tumefactiones, imò & in articulos ſpina ventoſa decumbit, ſæpiùs quidem Metaptoſeon titulo dignæ, ſed quæ aliquandò etiam in Metaſtaſes faceſſunt, tùm varii oculorum morbi, glandularum quarumcumque intu-

Metaſtaſeon poſt dentitiones ſpecimina.

mefcentiæ, quæ quamvis falutaria per fe dici non poffint, tamen, cùm corpus à morte liberent & convulfionibus lethalibus, aliquâ ratione Metaftafes fe vocari finunt. Nec minùs nomen iftud merentur quæ verfùs feptimum ætatis annum eminent fæpè parotides ad dentium molarium eruptiones, tùm etiam quæcumque mutationes in lymphâ anteà vappidâ & quafi lacteâ exfurgunt, quibus novus excrementorum proventus procreatur; adeòque Metaftatici dicendi funt illi decubitus, ignes fylvatici, cruftæ, puftulæ, papulæ, tumores volatiles, qui, plus de eryfipelatis naturâ quàm de aliâ quâcumque participes, ejufdem fpeciei claffem complent.

Verùm mutatio illa maxima, & præcipuè infignis ad pubertatem, in utroque fexu emicat: artûum torofitas, vocis mutatio, glandularum actuofa fabrica, novarum fecretionum ordo enafcens inter naturæ agentes effectus naturales habendi funt. Sed fimul tot fæpè faciem deturpant puftulæ, tot glandularum dolores atque abfceffus, tot inflammatorii in articulos rheumatifmi, tot narium hæmorrhagiæ, pulmonum hæmoptyfes & fanguinis ad loca fuperiora decubitus, ad falutem corporis & caufarum lædentium fublationem inftituti, fed per fe ad nova inferenda pericula prompti, ut non fine ratione lubricam hanc & periculis plenam ætatem Majores noftri incufaverint. Stabilis eft magis & fir-

In pubertatis tempore.

In ætate adultiori & variis vitæ conditionibus.

mior ætas illa quæ periodos iſtas ſuperavit. Tunc loco hæmorrhagiarum è naribus hæmorrhoïdes ſuperveniunt, infarctus hepatis, ventriculi tormenta. Locorum, victûs, imò & ipſa veſtium mutatio, ſi præſertim inconſultò & incautè fiat, novas in corpore mutationes inducunt, undè tot Metaſtatici morbi in eos decumbunt qui novas regiones affectant. Id videre eſt conſtanti eorum obſervatione qui Medicinam in inſulis Americanis exercent : advenis enim, aliorum morborum loco, puſtulæ, ſudamina, eryſipelata, epidermidis avulſio prominent; ut eſt etiam apud nos diarrhœa iis familiaris qui Pariſiorum Lutetiam primùm inviſunt, colicus dolor illis qui Pictavienſes oras advehuntur. Alia ſunt multa adeò ut loquacem delaſſare valeant FABIUM. Tot porrò eryſipelatoſa phænomena ichorem & tenuem fundentia humorem, qui ferè ad puris conſiſtentiam vergat, an Metaſtatica dicenda ſunt? Certè humorem inimicum in hiſce malis natura in cutem atque ejus cellulas expulit. Imò ſi ars præpoſtera, aut formæ cupida induſtria, intùs repellat, jam nulla ſupereſt ulli viſceri ſecuritas, funeſtoque toties exemplo, aut phthiſis pulmonalis, aut meſentericarum glandularum obſtructio ſuperveniunt. At ſæpiùs fruſtrà artificioſam harum Metaſtaſin ars molitur : ſuperat in loco clauſo, calido ſolidatum malum, & prohibita illa Metaſtaſis per Metaptoſes varias corpus

erodit. Sic decrepita ætas, imò jam inclinata, dùm minùs vacare apta eſt iis ſecretionibus quæ robur poſtulant, excrementorum farragine obruitur, hanc ubi cohibere ſuadet malè intellectæ munditiei lepidior libido, Metaſtaſin natura ſibi vindicat. Imò ſanitas illa decrepitorum ſenum per Metaſtaſes iteratas atque variatas, ſi non ſtet integra, ſaltem aliquâ ratione quotidiano naturæ labore ſingulis diebus reſarcitur atque renovatur. Hinc tot ſenili ætati pituitæ craſſæ, indivulſæ excreationes, quibus deficientibus ſupplent œdemata eryſipelatoſa, phymata, papulæ, lippitudines, aurium indurationes, ſenſûum proſtratorum imminutiones, quibus, etſi miſerrima ſit, vita debetur; alioquin brevi in pulmones excrementoſa farrago verteretur.

In ætate ſenili & decrepitâ.

Nulla eſt ex rebus non naturalibus quæ, dùm mutationes lymphæ & humoribus impertit, ſimiles non inferat Metaſtaſes. Morborum porrò illorum omnes cauſæ adeò variè hiſtoriam morborum medicam adimplent, ut iis inſiſtere vanum foret, atque prorſùs extrà propoſitum. Conſideranda tantùm nobis erit in caſibus illis qui vires naturæ auctas ſupponunt Metaſtaſis vera & legitima, non à vitæ infirmioris incommodis pendens iiſque accommodata, ſed à vero morbo liberans, cùm venenum intùs exiſtens expellere ſatagit natura atque in illud incumbit, morbuſque

Metaſtaſes in morbis.

adeſt aut chronicus, aut ex acutorum genere.

In chronicis.

Verùm quia in chronicis labor non adeò evidens eſt, & ea quæ in illis naſcitur Metaſtaſis ſæpiùs abſque ullo impetu critico oritur, ſed eſt potiùs lenta in unam partem naturæ directio, atque ſequela continuati nec interrupti laboris, juvat certè paucis ad eos animum advertere morbos, qui in chronicis Metaſtatici eſſe poſſunt, & ad vires naturæ curatrices poſſunt pertinere. Verùm ut in morbis chronicis Metaptoſis maximè frequens eſt, ita Metaſtaſis ſimplex & ſubita ad ſalutem vergens rara eſt oppidò, imò ad paucos omninò pertinet.

Chronicorum morborum ratio.

Verùm, ut fixior eſſe poſſit doctrina eorum chronicorum morborum, qui per Metaſtaſin curari poſſunt, paucis advertamus quare & quomodò morbus poſſit chronica mala efficere, & longa ſibi poſtulare temporis ſpatia ut corpus proterat, aut ab eo tandem ſuperetur & depellatur.

Omnis cauſa chronicos parare morbos valet.

In quocumque morbo à ſuppreſsâ perſpiratione pendente, aiebat SANCTORIUS, *apparet cachexiæ veſtigium, vel febris.* Quod quidem dicebat de hâc unicâ causâ vir graviſſimus, poteſt in genere non ſolùm ad quamcumque ſuppreſſarum vacuationum ſpeciem referri, iiſque competere, ſed etiam applicari ad quodcumque cauſarum genus, quod ad ſolidæ ipſius ſubſtantiæ vitium non pertinet. Quæcumque enim cauſa

functiones lædit, duplicem subire sortem debet. Vel 1°. deprimit vires, earumque actuoso impetui impedimenta struit; quo in ferali & lugendo certamine, si funditùs natura brevi non succumbat, grassari malum, adeòque non inferri solùm, sed adaugeri debilitatem necessarium est. Hinc si in hoc casu febris accedat, lenta illa erit, per Metaptosim facta, & symptomatis debellandis forsan capax, sed nunquam causæ eruendæ. 2°. Vel ea quoque causa à naturæ viribus occupatur; qui est omnium morborum salubrium casus. Materiæ lædentis, vel copia, vel resistentia major minorve, temporis differentias constituit. Ea quidem causæ lædentis conditio morbos vulgò celeres facit & citò depellendos; sed in eâ quoque aliquandò chronici dari possunt, qui etiam sine artis ministerio, sed multò meliùs illâ subsidium ferente, à naturâ vincuntur: tales sunt illi qui, dùm sensim multiplicantur, viribus debilitatis primùm, atque infirmitate laborantibus, eò tandem deveniunt ut febres stimulo aucto accendant, naturâque chronicâ depositâ in acutorum ferociam mutentur: quæ quidem naturæ actio aliquandò quorumdam temeritate felici usurpata est, ut jam annotatum, ad tollendum morbum. Et illa certè methodus Agyrtis non incognita, aliquandò veris titubantibus & mussantibus Medicis, gloriam curationis eripuit, dùm,

Chronici sæpè sanantur lentâ versâ in acutam indole.

ſubſtracto per draſtica vacuantia morbi fomite, febris intereà accendebatur. Id quidem in maniâ non ſemel eveniſſe vidi. Ea etiam imprudentia vel caſus catarrhales veteres affectus ſuſtulit, titubanſque à longo tempore ſanitas in priſtinum vigorem reſtituta eſt. Nec alia eſt cardiacorum illorum ſtimulantium actio, quibus concitata natura, quod videbatur indomabile malum à ſe repulit. Id in herpetibus, maliſque rebellibus cutaneis, lacteis, lymphaticiſque accidiſſe quis neget? Sed rarò curatio illa fit, ſine humorum mutatione, quâ qui priùs humor iners erat & agendi facultate deſtitutus, vim acquirit phlogiſticam, jamque & in pus coctum verti & ſanabilem abſceſſum efficere poteſt.

Chronici alii Metaſtaſes utiles experiuntur, non mutatâ indole.

Verùm etiam ſine acuto illo tumultu alii ſunt morbi chronici, qui Metaſtaſes experiuntur ſoliùs naturæ viribus: quoties ſcilicet materies mobilis & nondùm depoſita, à nobilioribus, ut Veteres loquebantur, ad ignobiliores partes defertur. Id arthriticis, imò & rheumaticis humoribus familiare experientia demonſtravit. Hoc erumpente nondùm unquàm cognito, imò nec præviſo morboſo fomite aſthmata, melancholias, imò & manias ſanatas vidiſſe me ſi dixerim nihil novi afferam. Hinc tot hæmorrhagiæ, tot hemicraniæ quæ juniores vexant, primò quidem in hæmorrhoïdes, poſteà verò in arthritidem faceſſunt. At non ſemel vidi in ſenio jam

fatiſcente ipſam etiam arthritidem & quidem periodicam abire in eryſipelas & mox in ſquammoſos herpetes, ſub quibus ſquammis ſi humor exhalans ichoroſus fluere ceſſaret, vertebat ſe morbus, & arthriticos dolores jam deſuetos revocabat. At in hiſce morbis verè chronicis levamen vulgò affert Metaſtaſis, non veram curationem & integram, niſi fomitem illum intrà corpus juvenile accidentalis aliqua cauſa intulerit, quod rarum eſt; verùm dùm levationem mali momentoſi aliquam attulit, pretioſas ad agendum indicationes ſuffecit, & ſæpè obſcuram mali indolem dubitantibus detexit.

Nec ipſi totiûs humorum maſſæ morbi chronici Metaſtaſibus carent.

Nec minùs Metaſtaſeos nomen meretur levatio illa, quæ in morbis omnem humorum molem inquinantibus, expulsâ in aliquam partem mali causâ, morbi formam mutat. Ita, notante EUGALENO, ſæpè ſcorbutus formam & phænomena prorſùs immutat, dùm feliciùs ad crura & pedes morbus defertur, aut gingivas atque os, reliquis relictis viſceribus, occupat. Ita lues ipſa venerea in tumorem aliquem glanduloſum quaſi concentratur. Ita ſcrophuloſus tumor, partes intimas & viſcera maximè momentoſa occupans, non ſine præſenti degenereſcentiæ periculo, à meſenterio atque partibus lymphaticis in cutem defertur & textum cellularem, ibique & cruſtas rebelles & adipis induratio-

nes efficit, dùm intereà rediviva intùs ſanitas effloreſcit. Hi ſunt morbi in quibus incœpta per artem curatio, illicò, aut dolores offert ſæpè in articulos ſævientes, aut cutem, in quibus, dùm ſepoſitum fomitem textus cellularis accipit, cutis ita fœdatur, ut priſtinum incommodum ægri requirant ac ſibi reddi poſtulent, cùm contrà pergendum ſit audacter, nam remeare gradum impoſſibile eſt & maximè periculoſum. Vidi ſic tumores verè œdematoſos nec longo tempore perdurantes, per annorum ſpatium lentè indurari, tandemque lentum incommodum, in ſuppurationem crurum torquentem & cruciantem abire. Sed longa hæc atque ſæva Metaſtaſis, corpori, quod videbatur Medicinæ cuivis impervium, ſanitatem retulit ipſi priùs vix cognitam. Id ſæpè omnibus Medicis evenit, etiam vix ſortem hanc ſibi ſpondentibus. Id etiam induratis mammis, poſt longa indurationis ſcirrhoſæ pericula, felici & inſperatâ ſuppuratione, evenire ægroto gratulatus ſum. Quod artem effeciſſe aliquoties contigit, ſæpè etiam naturæ opus fuit. Sic febricula catarrhalis accidentariò concitata ſæpè hæc protulit, viribus naturæ concitatis, phænomena.

Hæ Metaſtaſes aliquandò per rerum non naturalium influxum contingunt.

Sic etiam quodcumque è rebus non naturalibus corpori immutando idoneum eſt, dùm ſimiles mutationes afferre poteſt, Metaſtaſin facit. Hinc adeò famoſa eſt apud Medicos tùm antiquos,

antiquos, tùm recentiores veris efficacia, quæ mechanico etiam & facilè exponendo effectu, dùm ſecretiones & præcipuè perſpirationem auget, inertibuſque vaſis oſcillandi vim addit, morbos mutat, languentibuſque vaſis, oneris parte ablatâ, vires addit, unde ſæpè emicat altè in juvenibus cruor è naribus. Pueris pariter, imò infantulis, poſt longas emaciationes, abſceſſus cruſtæque fiunt, quæ hieme delituerant : calor auctus eruptiones auget, verque per omnia diffunditur. At, æſtate ingruente, minor fit Metaſtaſeon fœcunditas, eò quòd, etiamſi augeatur motus, cœli ariditas vaſis & fluidis, vehiculum ſubſtrahit, donec omnia rurſùs, autumno ingruente, in priſtinam revocentur inertiam, ſecretiones minuantur, earum intervertatur ordo : unde à Medicis, non ſine ratione, notatum eſt morbos autumnales & longiores eſſe & difficiliores ad criſim & curationem. Hinc in ſenibus præſertim catarrhoſa lues autumno ingruens jam provecto, nonniſi erumpente vere, criſim accipit ſæpè per Metaſtaſes ad articulos, ad veſicam & cutem, imò aliquandò per abſceſſus. Cæterùm iis mutationibus inſiſtere quas Authores adeò plures & annotaverunt & diligenter deſcripſerunt inutile prorſùs eſt, tanquam de re ſatis cognitâ. At cum HIPPOCRATE ſufficiet meminiſſe barometricam illam corporum animalium virtutem non adeò tempeſtatibus eſſe propriam,

Per tempeſtatum mutationes.

ut ſingulis varietatibus tèmpeſtatum, imò & dierum ſua non ſit in morbis mutandis efficacia. Id enim deſignat, cùm ait, quocumque tempore frigus & calor ſibi ſucceſſerint & ſe exceperint, morbos autumnales eſſe expectandos.

Per mutationes locorum.

Quod autem de tempeſtatibus quæ tempeſtivè non apparent ait HIPPOCRATES, de locis etiam in quibus ea varietas infamis eſt, quidni intelligendum? Certè ſua eſt quibuſcumque calidis & humentibus locis in advenas deſæviens lues; ut in inſulis Americanis annotavêre Medici. Sua eſt etiam ſeptentrionalibus qui ad loca meridiana ablegantur Metaſtatica depuratio. Ita quaſi indigena eſt Hiſpanis ad Peruviam adventantibus herpetum eruptio, quam ſub feliciori & meliori cœlo conticeſcere experiuntur. Iis verò qui à meridianis ad ſeptentrionales oras devehuntur, præter omnia catarrhis debita fata, mòrbi impendent plures eryſipelatoſi, quos rurſùs ſanat in patrias ſedes regreſſus.

Patrium ſolum quid in his poſſit?

Victum à pueris aſſuetum, propinquorum amicitiam, mentis exhilarationem inter præcipua aëris illius nativi quem adeò multi extollunt commoda recenſcam. Nam alioquin quid variabile illud elementum fixi poſſit atque firmi in corpus agere, niſi ex cognitis atque mechanicis legibus hariolari impoſſibile eſt. Certum verò eſt atque fixum in iſto Patriæ amore, ſæpiùs factum ut, dùm veteres

& altè insitos habitus resumimus, vetera etiam mala recrudescant, deleta etiam per peregrinos habitus sanitas resarciatur : quod iis præsertim locis accidit, quæ situ atque victu multùm à cæteris Europæ populis distant : in quo aliquâ ratione homines vegetantium naturam æmulantur, quæ in locis non suis marcescunt & dispereunt, aut certè staturam, colorem, habitum immutant.

Ex hâc brevi circà rerum non naturalium actionem excursione satis patet, quantùm ab illis possit subverti ordo naturæ & ad alias amandari partes ; ut, v. g., calor immodicus caput impetit, aëris impetus in pectus & thoracem agit, sive frigidior fuerit, sive arentior, gulam, buccas, œsophagi superiora simul invadens. Ventriculi cum capite & cute sympatheia, multis cognita atque deprehensa exemplis, id efficit ut ab uno ad aliud ex istis visceribus Metastases facilè deferantur. Quod thoraci minas incutiit sæpè in vesicam atque articulos desæviit. Intereà ingluvies, mala in ventriculo & intestinis coctio hepar, bilis meatus infarcit, vires prosternit, &, æquè omni corpori nociva, primam scenam vulgò, catarrhi more, ad thoracem infert, posteà ad totum æquè corpus dispertitur. At in his casibus nec crises, nec Metastases legitimæ sperandæ sunt, nisi alvum liberent, sive per hæmorrhoïdes enatas, sive per abscessus, sive demùm per diarrhœas, imò & intestinorum

Quid res cæteræ non naturales ?

Quænam malis ab ingluvie ortis Metastases conveniunt ?

abſceſſus, quibus tamen eliminandis aliquandò ſymbolam confert urinæ latex, quiſquilias ferè coctas avehens, plus tamen in juvenibus quàm in ætate provectis, plus in hominibus ſanitati propioribus quam in maximi momenti morbis: ita ut multi negaverint poſſe per urinas fieri criſes, aut Metaſtaſes; quod, etſi verum forte ſit in morbis acutioribus, chronicis non competit, quippe contrarium non unâ vice vidi: nam longa & poſt annos ad hanc viam delata Metaſtaſis plures divexavit mihi probè notos & aſſiduè viſos, dum corpus intereà imbelle priùs corroboraretur evidenter, auferrenturque in his præfocans anxietas, in illis longi & arthritidi ſpuriæ ſimiles articulorum dolores, in aliis etiam totus hydrops inſperato & uno quaſi impetu abire videretur.

Vera aliquandò per urinas chronicorum criſis & Metaſtaſis.

Patet ex his corpus, ſi etiam intrà ſanitatis limites ſpectetur, totum eſſe Metaſtaticum, &, cùm ad diverſitatem ſummam excrementorum generandam per ſe, pro circumſtantiarum in ipſum incidentium varietate, diſponatur, ſequitur indè illud, notante ſic SANCTORIO, criſi aliquâ egere, quam ſtatis temporibus fœminæ experiuntur; imò & latentiùs per occultam perſpirationem, impetu quodam menſtruo auctam, ut plurimùm marium corpora, eodem ad ſtateram notante, liberantur. At, ſi ex illo certo ordine qui tam facilè intervertitur, quâcumque de causâ deturbetur, ſit

In ipsâ ſanitate criſes & Metaſtaſes obſervantur.

aut morbi ſeminium, aut criſis. Ita familiares ſunt juvenculis hæmorrhagiæ, adultioribus diarrhœæ bilioſæ, vetulis decubitus, præcipuè in pulmones, & cum iis bellè à naturâ actum erit, ſi indè in hanc aliamve partem cauſa catarrhalis deferatur.

In quas partes generatim Metaſtaſes fiant & abſceſſus.

Verùm cùm pateat undique textus cellularis, certum eſt in eam portam facillimè eſſe deferendos abſceſſus, ut potè qui tenuiori & laxiori textu gaudeat, aut, ſi collectio ſimultanea fieri non poſſit, in eas partes quæ lymphâ ſcatent uberiori, ut ſunt articuli. Nec ullum viſcus ab hâc labe immune dici poteſt: ineſt quædam humoribus quaſi innata proprietas, viſceribus organiſmi ignoti ſympatheia, quâ cauſas externas ſibi analogas quaſi ad ſe alliciunt, ſuſcipiunt & mutationes imprimunt, quas ſola edocet obſervatio. Abſceſſum ab irâ vehementiori natum vidi. Ab inſueto furore brevi icterum vulgò flavum & viridiſcentem ſæpiùs obſervatum quis neſcit? Unde apud veteres bilis pro irâ ſynonymè ſumitur. Cordis palpitationes, imò & thoracis arctationes, poſteà per abſceſſum ſanandas metus intulit. Veneris nimia & præpoſtera exercitatio quantam veſicæ & renibus, ut & omni generi nervoſo labem intulerit, tot graves indicavêre Authores. Adde quos decubitus ſæpè ſæpiùs intulit ipſa materiæ nutritiæ exundantia, tùm in juvenibus, tùm in vetulis, ad glandulas, ad articulos, ad ipſa

offium capita, quæ ſciviſſe, ad quæ attendiſſe neceſſe eſt, ut omnis Metaſtaſium doctrina comprehendatur. Nec mirum ſi morbi priùs ignoti Metaſtaſis, ipſius cauſam ſeriùs edocuit.

Ex his intelligitur omne Metaſtaſeon ſyſtema in chronicis.

At illa quidem corpus humanum ſpectandi ratio ſatis intelligere ſinit quâ poſſit ratione fieri, ut non ſolùm in morbis chronicis ſatis aliundè cognitis, fiant Metaſtaſes de quibus jam egimus, ſed etiam quâ fiat ut cauſarii illi de ſanitate anxii, ſibi ipſis oneroſi, aliis importuni, aliquandò, collectis naturæ viribus, ad ſanitatem per abſceſſus improviſos reducantur; quomodò Metaſtaſi, ſive per artem fonticulis atque cauterio inuſtæ ſuccedat aliquandò nova Metaſtaſis; ſcilicet à naturâ humor depoſitus & in motum actus in alium locum fertur, magno ſæpè ægrotantium infortunio. Nunc igitur in morbis acutis exſequenda ſupereſt Metaſtaſis.

Metaſtaſis in acutis ſupponit aliquid inflammatorii.

Morbi quidem acuti qui Metaſtaſim experiri poſſunt & criſin qualemcumque, omnes quidem certâ ratione vires in motum actas ſupponunt, & ſtimulum inſignem quo partes hoſtiles permutatæ emunguntur. Hinc omnes qui Metaſtaſin ſalutarem poſſunt experiri morbi, aliquid ſub ſe habent inflammatorii: at non eadem ipſis forma, nec cauſa ſimilis.

Quot acutorum ſpecies Metaſtaſim patiantur?

Hinc Metaſtatici dici poſſunt morbi 1° inflammatorii propriè ſic dicti, ſive ſint illi phlegmonoſi, ſive eryſipelata mentiantur,

ſive demùm œdema calidum atque renitens efficiant. 2°. Illi qui à veneno aliquo intùs quâcumque de causâ introducto pendent. 3°. Illi qui ab intùs natâ putredine, aut acredine quâcumque trahunt originem : ſymptomatibus quidem multùm differunt illi ab his qui purè inflammatorii dicendi ſunt, licèt multa habeant ſymptomata cum illis communia. 4°. Demùm ultimum at non minimum locum occupant qui à ſuppreſsâ aliquâ vacuatione pendere dici poſſunt. Verùm hæc jam Metaſtaſeon natura ſat fusè in cauſis tractata eſt ; neque jam in præcedenti capite ſat exacta, hîc rurſùs recenſere animus eſt. Licèt autem omnes illæ morborum claſſes referantur ad actionem acredinis vaſa ſtimulantis, & æſtum, aut ſaltem calorem qualemcumque concitantis, tamen, cùm ſua ſibi unaquæque acredo propria habeat ſymptomata, proprioſque indè exerat effectus, ſervat etiam & profert propriâm ſibi & Metaſtaſeos formam & ſymptomata.

Prima Metaſtaſeon claſſis in morbis inflammatoriis.

Inflammatorii certè morbi primam atque præcipuam claſſem conſtituunt ; circà quorum varias ſpecies multa etiam Metaſtaſes conſideranti diſtinguenda ſunt. Differunt enim ratione ſymptomatum & effectûum, ratione cauſæ & loci quem occupant. Primò quidem morbi inflammatorii alii univerſales ſunt ; peculiarem alii ſedem occupant. Inflammatorii univerſales, vel ab æſtu concitato in interiora

Quorum varietates ad doctrinam Metaſtaſeon non inutiles.

graſſante nati, & à circuitu per ſtimulum externum qualemcumque aucto efferveſcentes, nihil in peculiari causâ ſibi vindicant. Hi FEBREM ARDENTEM ſic Veteribus aliquandò dictam nobis exhibent, ignis etiam nomine ſimpliciter ab Authoribus deſignati. Aliquandò etiam, ut bilis pro principio inflammationis habebatur, bilioſæ febres vocatæ ſunt. Hi à causâ hoſtili acri irritante pendent, ſive illa repetenda ſit à rerum non naturalium influxu, ſive ab atomis hoſtilibus intùs admiſſis. Si autem leves ſint, &, functionibus, præſertim vitalibus, auctis tantùm, ſed vix læſis, nihil metuendum offerant; poſt paucos dies ita reſolvuntur, ut, proventu tantùm excrementorum aucto, atque ſedimentis, ut in urinâ patet, condenſatis atque copioſiùs exeuntibus, morbus ſolvatur. Nam nulla coctio, nulla morbi levatio, nulla morbi ſanatio concipi poteſt, quin excrementa illa cocta & in ordinem naturæ redacta exeant. Si verò violentior fuerit inflammatio, omnia majora & vehementiora emicabunt, reſpiratio cita, vel intercisa, ardens, pulſus vehemens, calor exurens; omnia excrementa cruda, pauca, urentia, imò & debilium viſcerum conſenſus, deliria, tuſſes, renum dolores concitant: hinc coctio tardior, protractior morbus. At ſi miteſcunt omnia, neceſſe eſt ex ratione & proportione vehementiæ ſympto-

Metaſtaſes in levibus illis raræ ad graves tantùm pertinent.

matum majorem cumulari excrementorum copiam, quæ, ubi jam motu & mutatione nocendi vim amiſerunt, criſin atque impetum copiâ & agglomeratione partium inter ſe analogarum concitant, & vario modo, pro loci affecti declivitate, aut debilitate auferuntur in ægri ſalutem. At ſi excrementoſæ illæ partes, aut ubertate peccant, aut aliquid è priſtinæ acredinis indole obtinent, nec jam illis viam per naturalia emunctoria ſibi cudere licuerit, brevì in textum celluloſum, naturâ ſuâ laxiorem & cedentem externorum impulſui, materies illa deponetur, ibique collecta, calore loci & inflammationis fota, in pus abibit, novum ſibi parabit exitum, fietque abſceſſus ſic propriè dictus, vera inflammationis ſequela, & Metaſtaſis phlegmonodeæ dyſcraſiæ evidentiſſima. Hæc quidem aperta eſt & maximè communis abſceſsûum phlegmonodeorum origo. At ſi aliqua priùs pars indoluerit, aut vitio aliquo intincta fuerit, huc materiam ferri æquum eſt; unde univerſalis in peculiarem morbum vertitur: quod ſæpè, causâ aliquâ in omnes agente, epidemicum fit.

Metaſtaſes in pus & abſceſſus, quandò fiant & in quas partes?

Verùm etſi cauſæ huic producendæ Metaſtaſi concurrentes multùm differant, ut effectus earum primarius idem eſt, ſcilicèt inflammatio, ſic eadem eſt excrementorum indè generatorum forma, & licèt inter ſe per diverſam partium volatilium exaltationem, per

Pus idem ex variis cauſis.

densatarum moleculatum tenuationem varia inferant phænomena, adeòque inter se discrepare videantur, in hoc conveniunt ut idem sensibus offerant productum, scilicet pus album, leve & æquale, si omnia ex ordine processerint.

Puris theoria.

Scilicet effectus est necessarius & quasi mechanicus motûs perpetui in humorem mutabilem & alterationis capacem, ut principia ejus & tenuioris evadant substantiæ, & densitatem ex intimiore partium unione, conjugatione, forsan & mutuâ attractione, contrahant. Hinc quò humores intrà corpus & plus laboris experti sunt, & diutiùs vasorum actionem pertulerunt, eò etiam magis partium tenuium & volatilium emittunt, ac ponderis, sub eodem volumine, plus acquirunt: fiunt ergò & ponderosiores simul atque tenuiores. Densitas ergò atque pondus principiorum, tenuitasque eorumdem novum humorem efficiunt, qui ex inspissatâ crustôsâque & jam hærente lymphâ vertitur in excrementum leve & æquale ex partibus ponderosis, imò & etiam aliquandò solidatis, tophosis scilicet atque calculosis constans; & illud aliquandò in levibus præsertim morbis, iisque qui solvuntur per urinas, exit sub formâ sedimenti ponderosi quod puris formam æmulatur. At si, aut copiosiùs fuerit, aut aliquid etiam retinuerit acredinis nativæ quâ ipsi

Pus eliminatur per urinas, aut per inflammatorias Metastases in varias partes.

exitus denegatur, in textum cellularem patentem per collectas vires decumbit, fitque sæpè abscessus, nullo prævio inflammationis centro annuntiatus, estque vera inflammatoria Metastasis, suppuratioque illicò nata nil de morbo relinquit residui præter suppurationis incommoda, eò copiosiora quò morbus antecedens fuerit vehementior, quò pars excipiens laxior atque magis cellulosa. Hæc est vera Metastasis, quæ in junioribus vulgò, aut ad parotides, quod infantum proprium est, aut ad inguina, aut versùs articulos defertur, & à quibus sæpè liberavit urina fluens, crassa, & copiosa; in adultioribus versùs musculorum intervalla, anum, renes, perniciem intentant abscessus illi, quippe parcus datur exitus, nec omnimodus, dùm intereà corpus universum in pus vertitur, & lenta tabes universam machinam depascitur. Verùm, si aliquod extiterit etiam in morbo universim inflammatorio inflammationis centrum, unde omnia fluant & ad quod referantur, jam non alibi ferentur humores quàm in centrum illud, quòd jam quasi laceratum & discissum sese obvium, omnibus causis incidentibus, præbet: unde tot inflammationes tam internæ quàm externæ in suppurationem versæ. Nec difficile est indè intelligere cur tot inflammationes, quæ in junioribus per hæmorrhagiam judicabantur, in vetulis abscessum efficiant, cùm in his pars sanguinis

Aut centrum inflammatorium in morbo natum occupat.

rubra non adeò ubertim reperiatur, ſanguiſque jam glutinoſus facilè concreſcat. Nec difficiliùs etiam intelligere licet cur tam obvium ſit ſputa puriformia benè coćta, cum pure confuſa habere, eaque promiſcuè introſpicere, cùm tanta ſit inter criſin illam & hanc Metaſtaſin analogia, quam vix niſi ſequelæ diſtinguant inter ſe. Nec certè ex obſervatis hiſce non intelligitur quò fiat ut in morbis ſummè inflammatoriis, nec ullo tamen inflammatorio centro notabilibus, ſubitò & quaſi confertìm naſcantur abſceſſus enormes, qui ingentem vim puris ſub ſcalpro aperiente effundant, cùm etiam muſculorum intervalla eo repleantur. Facta eſt ſcilicet intrà ſanguinea vaſa cruſtæ priùs inflammatoriæ tenuatio in puriformem prorſùs materiam, quæ urinas, ſputa invadat, & ſimul in textum cellularem deponatur, ita ut homo in pus verſus videatur: quod quidem eò timendum magis eſt quò ægrum corpus magis ſanguineæ fuerit conſtitutionis. Nec rarum eſt in arte hæmorrhagias imprudenter cohibitas in abſceſſus faceſſere; quod obſervatum eſt quidem in morborum acutorum hiſtoriâ, verùm etiam extrà morbos obſervatur: nam ſæpè, præſertim in validis ac robuſtis & hæmorrhagiæ aſſuetis, ſine ullo ſymptomatum apparatu plethora mota, anxioſos, graves efficiens ſine ullo morbo homines, ſi præſertim catarrhodes quid jungatur, abſceſſus efficit, quam-

Aut in vaſis jam pus confectum, ſine inflammatione in partes abſcedit.

Abſceſſus nati abſque morbis præviis.

quàm in ſtatu naturali frequentius ſit hæmorrhagias per diarrhœam bilioſam ſuppleri. Rem obſervavêre antiquiores artis Magiſtri.

Patet ex his illud quod ex ipſis effectibus neceſſariò ſequitur, in morbis pleriſque evidenter inflammatoriis, imò & in aliis quibuſcumque admittendam eſſe non unam Metaſtaſeon differentiam; ita ut alia ſit, ut Medici loquuntur, Metaſtaſis cauſæ, alia ſit ſymptomatum: nam cauſa quidem ſæpè per Metaſtaſin tollitur. At ſi vehemens fuerit inflammatio, cùm circuitûs ipſius violentus furor, cùm calor neceſſariò humorum moli mutationes inferant, poteſt, imò debet inde ingens excrementorum moles naſci, quæ ſublatâ quidem priori & principe causâ, aut per criſin, aut per ſuppurationem videtur conticeſcere: at dolores ſuperſunt; oſteocopos dicebant Antiqui, languet cum incertis cruciatibus anxius æger. Nova igitur ex hoc naturæ ordine interrupto exoritur cauſa, quæ tandem vertitur in abſceſſum qualemcumque, ita ut indè conſiſtat maſſa, quæ morbo faciendo per ſe primùm non conduxerat: & caſus ille juvenum eſt, præſertim quibus hæſerit hæmorrhagia. Porrò ex hâc causâ à morbis jam exactis & profligatis longi exorti undequâque dolores, nonniſi longo tempore in abſceſſus colliguntur, &, ab articulis præſertim incipientes, ſub inflammatorii rheumatiſmi, aut ſævæ iſchiados nomine, poſt

In inflammatoriis Metaſtaſes aliæ cauſæ, aliæ ſymptomatum.

Materia per inflammatorium morbum producta ſæpè Metaſtaſim ſecundariam facit.

menſes plures, aut thoracem, aut hepar abſceſſu fatigant, aut, quod melius, in cutem & textum cellularem & ad crura decumbunt. Superfuit enim ab inflammatione prægreſsâ malè ſolutâ humor excrementitius, qui, dùm ſub diſſimulatâ inertiâ acredinem concipit, novum morbum efficit, ſæpè etiam abſceſſus improviſos elicit; pluries caſum hunc, ſi ad præterita attendere detur, reperies, lethalemque exitum falſæ reconvaleſcentiæ plauſu propinquorum olim exceptæ miraberis; quod quidem præſertim in ætatum neceſſariâ mutatione, aut in victûs atque regionum converſione annotare eſt. In hiſce enim caſibus, causâ primariâ non ſubſiſtente, abſoluta tamen ſolutio impoſſibilis eſt, vigente & corpori inhærente humorum peſſumdatorum mole, quæ primum comitata morbum, novum nunc, ipsâ corporis conditione mutatâ, affectum parturit & educat.

In inflammatoriis Metaſtaſes etiam pendent à ſpecificâ acris morboſi naturâ.

Alius eſt Metaſtaſeon ordo in morbis qui ab acri prorſùs extraneo intrà corpus introducto pendent: illud enim, aut individuo unico peculiare eſt & in corpore à cæteris ſejuncto natum, ita ut in ipſo ſolùm viſum ſit, nec præthereà uſquam. Id obſervatione proſequendum, viaſque naturæ ſubodorari ſignis tùm ſalutaribus, tùm exitialibus ritè perpenſis, plerumque ars attenta poteſt. Aut eſt epidemicum & per populum ſeſe diſpergens, illudque in omnibus communia infert phæ-

nomena; aut endemicum, vel gentilitium etiam esse potest. Suam acre illud indolem sibi habet, à Medicis sedulioribus deprehendendam, sed, quâcumque agat ratione, sive fixioris sit naturæ, sive volatilis magis, ejus tamen effectus ad classes certas actionis referuntur. Nam aut phlegmonem concitat, aut ad erysipelatis naturam accedit, aut saltem ad calidi illius œdematis indolem, quod pro erysipelate jure habeas, revocari debet. Aliquandò, ut in variolis, omnes hosce characteres seorsim & diversis temporibus insumit. Verùm, si hasce agentis naturæ formas è medio sustuleris, alia prorsùs supererit Metastaseos statuenda idea: nam qui aliquandò morbis etiam vehementissimis Metastaseon formâ supersunt dolores, etiam vehementes, erratici, ii, ut jam abundè dictum, ocyùs seriùs in abscessus finiuntur. Sed aliquandò evenisse visum est ut, mutatâ prorsùs, & quasi exhaustâ priori nocendi formâ, dispereat illarum causarum agendi norma, cessat fibrarum erethismus, disperit nervorum sensus ad actionem exstimulans, supersunt congestiones, quæ scirrhosos infarctus efficient atque obstructiones, quibus solvendis nova erit accersenda Metastasis. Illi quidem dolores, dùm principio per actionem naturæ fiebant, phlogosim sibi ascitam habuêre, quæ, cessante actione naturæ, conticuit. Quid his superest? Ut quæ struxit ipsis impedimenta

Varia ejus acris indoles per effectus deprehendenda.

Congestiones & obstructiones post morbos inflammatorios exactos maximè in senibus.

vaſorum inertiâ, compreſſione, circuituque vaſorum impedito, creſcant, vicina comprimant, obſtent functionibus omnibus, in hydropem poſteà abeant: quod fatum præcipuè ſeniorum eſt & decrepitorum illorum, in quibus natura debiles admodùm nixus facit, & in quibus id familiare eſt, ut ad crura Metaſtaſis morborum œdemati molli atque cedenti conjungat ulcera, ob laxitatem & inertiam ferè inſanabilia. Id etiam in hâc ætate accidit, ut vel vehementiſſimi anteà morbi ſibi laxiorem & œdematoſam indolem aſſumant. Fit enim Metaſtaſis & partium nocivarum amandatio, ſed deſunt vires, & phlogoſi ceſſante remanet obſtructio, à quâ nulla ſperanda eſt Metaſtaſis; timenda verò ſola Metaptoſis gangrænoſa, quæ mortem & annuntiat & præcedit vulgò.

Rara eſt phlegmonis ſemel nati Metaſtaſis, niſi in ferociſſimo malo aut debilibus ægris.

Porrò inſignis illa & regularis ſuppurationum ſcena ad phlegmonem & phlegmonodeum ardorem ſolos pertinet; qui ubi ſemel intùs conceptus eſt, atque vehementer infixus, rarò ſedem ſuam deſerit, plus metuendus viciniæ quàm aliis partibus. Sed duplici tamen ratione, etiam in Metaſtaſi, pertimeſcendum ſe præſtat, dùm ſcilicet univerſus ſanguis & omnis ejus moles in pus quaſi verti videtur, vel ubi tantâ ferocit violentiâ ut gangræna metuenda ſit, quod accidit quoties, aut ignis tantâ vi incenditur ut jam nullus ordo, nulla partium conjugatio fieri poſſit,

ſed omnia tenuiſſima auferantur & vitalis aura avolet; vel viribus, aut deficientibus, aut conſidentibus, natura opus requiſitum nequit perficere & abſolvere. Prius quotidianum eſt in bubonibus illis qui ante coctionem apparent. Unde, præter ephemeras, febres à bubonibus incipientes eſſe pro malignis habendas edixit HIPPOCRATES. In poſteriori caſu, partes nocivæ, recuſante vi vitali, nec inviſcantur, nec coeunt; & in debilitate ſummâ quidni ergò vitam ſupprimant in læsâ parte?

Nonnunquam tamen imperfectus phlegmo Metaſtaticè repelli poteſt.

At verò ſæpiùs à malè moratâ naturæ actione ſemicoctum pus erumpit, & criſis imperfecta ab inchoatâ, necdùm perfectâ Metaſtaſi expectanda eſt. Certè à phlegmonibus atque phygettis malè ſuppuratis in caſibus non adeò malignis ortos atque perdurantes, imò pervicaciâ eludentes medicamina vidi pruritus enormes, importunos, omni majores patientiâ, qui ſemper aliquid eryſipelatoſi ſubditum ſupponunt; ut & pruritus per phlegmonem enatam tolli in junioribus obſervare contigit. Verùm indè concluditur poſſe quidem non ſuppuratam phlegmonem retropelli; at tunc cauſam phlegmonis non univerſim per ſuppurationem ſuperficierum tolli videmus, materiemque huc illuc delatam, aut alias phlegmones, aut etiam eryſipelata, herpetes, aut alterius generis exanthemata in membranas atque cutis extrema deferre,

novas & improvisas clades aliquandò concitatura. Plus tamen metuendum erat à phlegmone, glandulis, visceribusque pulposis (si fas ita loqui), plus verò ab erysipelate, membranosis nervosisque partibus, quæ quidem erysipelate sic propriè dicto non afficiuntur, quandòquidem illud ad cutem solam pertinet, sed spasmo stringuntur inflammatorio, & ichore, ut cum HIPPOCRATE loquar, diffluunt.

In inflammatoriis frequentiùs fiunt erysipelatosæ Metastases.

At illa quæ erysipelas mentitur acredo, ferè universim spectata, in Metaptosibus constituitur; aliquandò tamen veras, sæpè fallaces, & sæpiùs redivivas Metastases efficiens in morbis vel vehementissimis; quippe materies erysipelati inducendo apta per se, etiamsi fuerit pertinaci cum humorum atomis nexa vinculo, minori impetu solida lacessit atque destruit, unde ab his ad illas partes faciliùs fertur. In eruptionem hujusmodi abit sæpè in junioribus repressa hæmorrhagia, abit & serosa diarrhœa, abit etiam quasi propriâ naturâ sudor retropressus. Illa quidem erysipelatosa diathesis nusquam pro universali humorum indole habenda est: extranea semper est, cùm pendeat, ubi non ab externâ combustione, aut locali impressione orta est, ab admissâ, aut natâ intùs acredine, quæ perspirationis vias affectabat, & ad earum hæsitabat ostia. Ab hâc causarum classe, omnes febrium gradus oriri fas est; nam modò le-

viſſimas, vixque notatu dignas, & ſolutione ſimplici reſolvendas invehit, modò vehementiſſimas concitat, imò & ardore urente notabiles, pro vario acris veneni morſu atque nocendi efficaciâ. At illæ, ubi externè eryſipelas concitarunt, mitigantur vulgò. Aliquandò tamen, eryſipelate extante, ſuperſunt febres; ſcilicet eryſipelatoſa eruptio Metaſtaſeos naturam fruſtrà æmulatur, ubi materies aut ſuperflua ſuperabundat, aut partes aliquas occupat eryſipelatoſo humori fovendo idoneas, ut eſt gula, larynx, pharynx, ventriculus atque inteſtina, in quæ humor ille exundat: verùm infeliciùs thoracem & pleuram invadit illamque occupat, quod vincitur infortunium, ſi novâ nec in robuſtioribus incognitâ Metaſtaſi, rurſùs ab hiſce viſceribus ad cutim poſſit ille humor deferri; quod jam ſcivêre Veteres, in quod ſemper conſentiunt Authores etiam recentiores, & ii qui tantum poſuêre in admovendis veſicantibus fiduciæ, quæ nihil aliud ad cutim afferunt præter verum eryſipelas, in phlegmonodeam naturam ſæpè degener. Nec opus eſt hîc in ea inſiſtere quæ circà hanc Metaſtaſin annotavêre ab Hippocrate omnes: quippe ea eſt humoris eryſipelatoſi illius volatilitas atque tenuitas, ut non ſolùm ab internis ad externa deferatur, ſed etiam diverſas partes, nunc huc, nunc illuc delatum, occupet; ſæpè à capite ad crura feratur, nunc

Humoris eryſipelatoſi ſumma inconſtantia.

dorſum, nunc faciem invadens, improviſum ubique & inexpectatum. Sic illud vidi à capite incipiens, cùm jam ſanatum videretur & ægra de ſanitate reſtitutâ ſibi plauderet, omnes, ne unâ quidem exceptâ, partes externas ſucceſſivè invaſiſſe, datis perfidæ quietis intervallis. Verùm id quidem omnibus eryſipelatibus, ſive illa Metaſtaſeos naturam habeant, ſive ipſa morbi cauſam conſtituant, commune eſt, ut ſibi ipſis veram faciant, mutatâ ſæpè ſede, ſymptomatis cutanei Metaſtaſim. At eryſipelas Metaſtaſin faciens, ſummâ artis curâ ſervandum atque fovendum, juvenibus ſatis commune eſt; & anginæ, ſive veræ, ſive ſpuriæ Metaſtaſim familiarem producit: contrà verò capitis doloribus, caro, comati, prælufiſſe ſæpè viſum eſt, ac præcipuè ventriculi atque inteſtinorum morbis, & præſertim dyſenteriæ. At ſymptomaticum atque prævium omnibus eryſipelatoſis cutis affectibus, anxium, nauſeoſumque ventriculi cruciatum quis non vidit? Imò &, quamvis vulgò comes ſe præbeat articulorum morbis, aliquandò tamen ipſorum criſis fuit. At in mulierum morbis menſtrua dùm cohibentur, non raròipſis ad faciem & oculos erumpunt eryſipelata : infantum dentitioni quoties eryſipelata pro Metaptoſi ſunt? Quoties etiam pro Metaſtaſi? Cutis ſcilicet infantum tenera atque levis ipſorum

impetui patet, quoties acefcens & ferè lactea cohibetur perfpiratio.

In genere quodcumque acre & fugax eft eryfipelatis formam facilè affumit; unde tuffibus & pertuffibus, naufeis atque vomitibus, iifque quæ fibi fuccedunt invicem fine ullo neceffitudinis arcto vinculo fymptomatibus, fas eft fuccedere eryfipelas in quâcumque ætate, in quâcumque tempeftate, quod ad cutim effe fervandum magnâ follicitudine ipfa ratio indicat; quippe quâ facilitate erumpit eâdem retropellitur.

Acre fugax omne facilè eryfipelatis formam induit.

At certè id in corporis neceffariâ mutatione verum, iis præcipuè imminere juvenibus eryfipelata qui fimul juniores facilè hæmorrhagiis laborant, iifque pofteà metuendos effe abfceffus & hæmorrhoïdas. Ætas ingravefcens dolores ad articulos efficiet; pofteà verò in fenio cutis textus & omnes cellulæ excipient acre illud, unde & pruritus & omnes efflorefcentiæ cutaneæ, quarum, licèt caufa fæpè multùm differat, effectus tamen idem eft, fcilicet eryfipelas, quorum alia fummè mordentia & dolorifera, alia prurientia, alia phlyctænofa funt & gangrænæ proxima.

Eryfipelatis pro ætatum fucceffione phafes.

Hinc alia Metaftafeon claffis intelligitur: fcilicet earum quæ à causâ pendent, ut ita dicam, alienigenâ, quæ toties, dirâ Metaftafi in vifcera delapfa, phthifim, vel hydropem tandem accerfivit: primam, fi partes phlogofi lentâ vix notandâ at pervicaci affe-

Secunda Metaftafeon claffis à fomitibus corpori extraneis & adventitiis.

Fomites illi intùs nunc phlogosim, nunc lentas obstructiones pariunt.

cit; alteram, si, ipsam viscerum substantiam adorta, actionem virium retuserit, atque verterit sese & vicina in scirrhosam duritiem. In hoc ultimo casu Metastasis, antequam materies fixior evaserit, salutari omine apparet, & coctione præcedenti nuntiatur. Id toties scabiei retropulsæ, herpetibus, faciei pustulis accidit, ut non minimam morborum interiora lento morsu depascentium partem ad hanc causam referre æquum sit. Hæc porrò Metastaseon species non solùm genere acredinis differt, sed gradu & variis effectibus.

Illos in cutem reduces sanatio sequitur.

Tunc sæpè herpetibus, aut aliquâ cutis deformitate apparentibus conticuere tusses, dysenteriæ, vomitus, singultus, aliaque hujusmodi symptomata. Sed hasce mutationes expectare vix fas est, nisi jam in causario anteà ægro aliqua istorum morborum signa præcedentia extiterint, aut anteactæ vitæ historia simile quid expectandum edocuerit.

Facilè recrudescunt.

Quippe miserè nos edocet observatio quòd, etsi hujusmodi extranea excrementa videantur devicta, quasi è cineribus reviviscant illa; tùm verò illos, qui morbos à causâ intùs simili latente experiuntur, iis non unâ vice esse obnoxios, similesque Metastases pluries pati, donec corpori & humorum similium generationi tempus, ætas, locorum mutatio varietatem necessariam attulerint. Speranda quidem & omni arte & operâ molienda Metastasis, quoties retropulsa eadem, aut etiam

Metaptoſis quæcumque morbum efficit viſceribus infeſtum. Verùm aliquandò quidem confeſtim retropulſa lues nocet; aliquandò ſub ſpecie fallacis inertiæ vix inferre malum videtur, donec novas vires nacta novum efficiat mali centrum; ſed tunc illam ad priſtinas ſedes revocare non adeò facile eſt. Aliquandò ſubitò emicat, &, pro partis naturâ atque ſenſibilitate, acutos ſtruit inflammatorioſque morbos. Felix fortunatumque erit ſi novus ille affectus, à causâ impetuosè agente prolatus, nondùm accisis viribus, nondùm occupatâ per congeſtionem ſede fixâ, ad locum derelictum novo impetu feratur; & in hoc quidem eventu ſperando multas conditiones animadvertere fas eſt. Sit, v. g., acuta eruptio retropulſa, ſcabiei, v. g., in pulmones tuſſi acutâ, febre, ſuffocatione ſæviens; ſit eadem in caput apoplectico modo functiones lædens, aut etiam vomitu atque ſingultu ventriculum fatigans, certè multò major ſpes eminet eam ad cutem revocandam, ſi, dùm omni ope atque operâ erethiſmum tollimus, laxatio & ad cutem derivatio eam revocet. Omne enim malum, eâdem non mutatâ causâ, à loci diverſitate funeſtam minatur ægro ſortem, & in ſolâ ſymptomatum vehementiâ conſiſtit, quæ ſi tollantur, viſcera remanent intacta, nondùm ſcilicet deſtructo, aut peſſumdato organiſmo. At ubi lentè in viſcera quorum ſubſtantia vix dolet, glandulaſve de-

Retropulſi nunc protinùs, nunc lentè nocent.

Si lentè noceant, nocent sæpè periculosiùs.

cubuit, ut hepar, lien, imò ipsa intima pulmonum à nervis sejuncta substantia, de deleto malo sibi gratulantur ægri, vix aliquid intùs latere morbosæ luis suspicantès. Metastasis illa pessima, lentâ tabe inflictâ, congeritur latenter, latenter ipsam viscerum exedit substantiam, quâ jam, per veneni intùs grassantis vix sensilem efficaciam, exesâ atque immutatâ, virus ipsum vix revocare possis ad cutem, quippe jam intimè substantiæ viscerum adhæret, & ipsis suam afflavit indolem. Hinc corpus lentâ tabe pereditur, quippe indè atomi nocentes quâquâversùm feruntur. Hanc frustrà ad pristinam sedem revocare satagas: illius est recreare qui creavit. Qui casus sæpè fuit illis accersitus mulieribus, quæ, cutis deformitatem dùm metuunt, insidias pulmoni illatas, aut vix sentiunt, aut de iis queri nefas arbitrantur, ne sapientum consilia de latente tabe admoneant, operamque impendant, ut vel ipsius formæ dispendio pristinas sedes malum occupet. At posteà serâ pœnitentiâ imprudentiam expendunt; nam, uti jam dictum, vix ulla certa spes Metastaseos plenariæ affulget, quæ tamen non omninò inaudita fuit.

Horum Metastases fiunt, vel integrâ fomitis manente naturâ;

Hæ quidem Metastaseon species tria genera constituunt præcipua, quæ in morborum variis speciebus occurrunt, & specie quidem criseos annotari possunt. Materia scilicet morbifica anteà desæviens, nec solutionis absolutæ

absolutæ spem sinens concipi, aliquandò qualis anteà fuit ad minùs periculosa loca, per naturæ vires in hunc unum scopum conjuratas & conspirantes, cum coctionis præviæ signis certioribus, expellitur, pristinum semper servans characterem; aliquandò etiam penitùs immutata & in novam conversa materiem. Sic sæpè erysipelas, per internas simul atque externas partes feralem personam agens, in phlegmonem fixiorem abit & anthracibus repertis tollitur. Sic herpetes etiam morbos inflammatorios attulerunt, à quibus mutati & crisim per urinas & Metastasim per abscessus invenerunt. Sic hæmorrhagiæ quæ criticæ esse debuerunt, imprudenter cohibitæ, post longa morbi maligni tormenta, crisim per abscessus invenerunt. At aliquandò abscessus ipse visceribus insidens, tabumque periculosum efficiens, per varios partis ferè ulceratæ & totiùs naturæ nixus, in abscessum legitimum mutatus est, & cellularem textum salvo viscere occupavit. Non solùm ichor in puris naturam conversus est, sed centrum morbi mutatum. In genere enim ubi partes solidæ non avulsæ, aut organismus non destructus est, in id conspirat natura, ut à partibus in quibus metuenda est stasis, ad securum magis locum transferat materiam. An id instinctu aliquo atque providentiâ præviâ fiat, ut STAHLII Discipuli voluerunt, quærere vix utile est; modò de observatione constet. Suf-

Vel mutatâ ejus formâ & indole;

Vel abscessu jam intùs formato ad exteriora tamen sese salubriter vertente.

ficiet tamen hîc annotasse partes omnes, quò majori sunt in œconomiâ animali momenti, eò majores ex ipsâ mechanicâ structurâ causis impetentibus offerre resistentias, minùs verò resistere & contrà cedere faciliùs, textum cellularem qui non solùm undequâque per corpus universum extenditur, sed inter se communicantibus cellulis ita constat, ut nulla sit quæ non intimum cum aliis quibuscumque ejusdem textûs partibus commercium exerceat.

Tertia Metastaseon species à materiâ intùs enatâ in morbis.

Verùm, præter hasce omnes Metastaticas quæ anteà extiterant partes, plurimæ aliæ sunt Metastases, quæ in morbis ipsis à causâ quidem prævià pendent, sed in ipso corpore excrementorum loco fotæ, natæ, atque educatæ sunt. Tale nobis exemplum præbent morbi quicumque epidemici, qui, dùm summâ desæviunt violentiâ, parem Metastaseon formam æmulantur, causâ scilicet pari. Sic pluribus ad parotides, & axillas, & ad inguina nascuntur suppurantes glandulæ, quas summâ curâ servare apertas artis est, cùm nihil tale anteà in corpore extiterit. Crusta primùm nascitur inflammatoria, posteà ingens ichoris primò, posteà puris copia exstat. Ipsa contagii causa quid cum pure commune habet? Facile est id in phlegmonodeâ causæ naturâ deprehendere & evincere, cùm scilicet illud pus ipsum, parti nocenti involvendæ ejusque efficaciæ auferendæ & mitigandæ aptum, intrà sani animalis vasa infusum,

Metastaseos hujus materia à causâ mali sæpè prorsùs diversa est & non unius formæ capax.

contagiosam pestem evidenter accersat, cujus effectus nonnisi jam fracto morbo pus rursùm eliciat, anteà verò dira concitet symptomata, eaque contagione infecta. Quidni res eadem accidat in erysipelate ? Vidi ego herpetes, qui anteà non sui ulla dederant indicia, post morbos acutos epidemicos affatim erumpere. An latebat intùs eorum quasi præludium & prosperma ? Res quidem potest vera esse. At, illud herpeticum genus, postquàm deferbuit omninò morbus, evanuit & cessavit, potiùsquàm sanatum est : nunquam revocatum fuit aut renovatum, jure certè inter Metastases locum sibi vindicans. Præterea verò ubi densitas illa inflammatoria in pus versa non est, sæpè per se glandulas occupat & corporis universam molem reliquit. Tuncque defervescente erethismo, in mollibus præsertim vixque actuosis corporibus, indurantur illæ, concrescenteque muco & quasi solidato, scirrhosam brevi accipiunt atque mutuantur indolem; quæ quidem scirrhosa massa quomodò illicò concrescat, & in duras moleculas granulosas adeò promptè vertatur, ut lapideam duritiem Metastasis illa mentiatur, non mirabitur quicunque attenderit quàm facilè crusta illa per vim sanguinis densata concrescat & solida evadat, parvo temporis intervallo, etiam in vasculis ad emissum sanguinem continendum destinatis.

Verùm, etiamsi Metastasis, propriè sumpta,

Eadem in quibuidam chronicis oritur Metastaseon species.

ſæpiùs ad morbos acutos pertineat quàm ad alios, dantur tamen morbi non quidem acuti, ſed actionem naturæ & efficientes & ſupponentes, in quibus ſæpè dato impetu Metaſtaſis fit etiam ſubita & acūtorum in morem.

In œdematibus calidis.

Hujus generis ſunt œdemata illa, quæ forſan maxima ſui parte inflammatoria dici poſſunt, & ab HIPPOCRATE aliiſque Authoribus digito non cedentia nuncupantur. Pellucida ſunt illa atque nitentia, ſub cute tamen tensâ atque rupturam minitante: attrectata dolent, imò & facili de causâ rubore facilè evaneſcente afficiuntur. Porrò licèt ad eryſipelas referantur, coloreque tantùm differant ab illo, id habent peculiare quòd plus inertiæ in naturâ ſupponant, aut minùs efficaciæ in causâ lædente; hincque plus vulgò ad partes infimas pertinent quàm ad alias, ad longævam ætatem quàm ad juvenilem alacritatem, ad loca frigida quàm ad ea quæ fervidiori ſole incaleſcunt: unde iis accidit œdematibus ut ſæpè à parte in partem ferantur; & ſi, infortunio aliquo, à parte minùs nobili ad viſcus aliquod devehantur, facile eſt in his caſibus novam ſibi ſpondere Metaſtaſim, cùm vaſa, aut vix acciſa ſunt, aut vix erethiſmo denſata. Hinc ſæpè accidit ut tùmor qui priùs ad pulmones, poſteà ad pedes Metaſtaſeos in morem delatus fuerat, tandem per ingentem urinarum fluxum evaneſcat & criticè avehatur. Quod etiam iis œdematibus accidere videtur

quæ à morſibus animalium pendent. Adeò verùm eſt illud quod jam ediximus ipſa morbi excrementa ab eo generari, nec anteà extitiſſe. Vidi ego hominem, gravi ſuffocatione ferè peremptum, illicò & quaſi temporis momento pedum tumore ſublevari, ita ut ritè incederet, bellè decumberet, qui poſteà tumor pedum per urinas evaſerat. At eadem cauſa idem bis effecit, donec tandem, deficientibus viribus, idem levamentum prorſùs ſupervacaneum ipſa reddiderit toties renovata recidiva. Uno verbo, in omnibus morbis actuoſis, etiamſi ab inflammatione diſtent, modò ſolida non diſrupta fuerint, modò non deletus ſit organiſmus partium ſolidarum in fluidas agentium, Metaſtaſis à partibus actione præditis ad cellulas ferè inertes ſperanda eſt. Quid etiam in morbis in quibus actio elanguet & quaſi dormitat alius eſt Metaſtaſeon ordo, quem occurſurum non omninò deleta ſpes eſt.

Morbi quidem in quibus vires elanguent triplici ſub aſpectu ſpectari poſſunt. In aliis ſcilicet principium vitale actuoſum ſoporatur, & quaſi oppreſſum indormiſcit, unde & cordis elanguet actio, & reſpiratio veternoſo ſopore ſonora, fatiſcit; in aliis à causâ putredinosâ proſternuntur & opprimuntur vires vitales; in aliis demùm omnes actiones elangueſcunt, dimidiatamque, ut ita dicam, vitam degent ægri, ſublatis viri-

Eadem & in morbis ſoporoſis & virium proſtratione notandis.

bus, exhauſtoque ac deficiente actuoſitatis principio. In prioribus, ubi jam nulla exercetur functio ac vita fatiſcit, quid ſperandum? At, ſi reſpiratio cordiſque motus integri ſuperſunt, morbi ſomno analogi nullam non Metaſtaſim experiuntur. Ita ſæpè à veterno liberavit abſceſſus ubicumque natus, aliquandò ad parotides, aliquandò peſſimo omine ad pulmones. At ſæpiùs diarrhœa ſpontè enata atque dyſenteria ab hoc veterno ægros extraxerunt. Imò febris ipſa pro quâdam habenda Metaſtaſi. Quid enim! Tot cauſæ capitis arcem impetunt, tot in eam deſæviunt? Et quamvis pars ipſa tono aliquo vix donari videatur, quamvis actionibus obſit ipſa veternoſa affectio, tamen ex iſtâ etiam malâ relaxatione faciliùs Metaſtaſes fiunt quàm in aliâ corporis conditione. Patet enim textus cellularis, nec impulſui virium naturalium reſiſtit; hiant cutis ſpiramina, & partem acceptam humoris regredi vix patiuntur & vias iterare. Hinc tot herpetes ab apoplexiâ enaſcuntur, tot inſultus veternoſos ipſa arthritis facit. Imò & exciſam vidi atque ſublatam meliceridem in apoplexiam, moxque in paralyſim abiiſſe, quâ rurſùs alias occupante partes, omnia in priſtinum ſtatum revocabantur.

Eadem & in ſummè putridis.

At in morbis ſummè putridis omniaque corrumpentibus, ſi vehementem atque peſtiferum attigerint illi gradum, plus Metapto-

ſeon expectandum eſt quàm verarum Metaſtaſeon, nec niſi jam miteſcente morbo ſperandæ ſunt, ſed ubi jam vires aliquâ ratione legitimum inſumunt dominium, atque aliquâ ratione reviviſcunt, aut impetu facto, aut per ipſas Metaptoſes extrà actionis centrum conſtitutas. Tunc omnia à Metaſtaſibus multiplicatis expectanda ſunt, nihil à ſolutione, nihil à criſi, quæ, in tanto humorum omnium vitio ſi fieret, in ipſo ſuo expulſu hoſtilis materia vires omnes, imò & corpus ipſum peſſumdaret. At in nullo alio morborum acutorum genere tam properè Metaſtaſes fiunt, & ante perfectam coctionem, imperfectæ quidem illæ atque incompletæ. Superabundat enim atque regurgitat undequâque materies naturæ cedere impar, unde pro pure ichor per ulcera elabitur. Profluens tamen onus à naturâ ferendum imminuit; unde pluribus Metaſtaſibus opus èſt. Primæ quidem & nondùm ſatis adulto morbo in glandulas fiunt, aut inguinales, aut alias à centro ita diſſitas, ut apud illas reditus ſanguini denegetur, aut ſaltem in illis moretur. Poſteà verò in hepar deferuntur morbi putridi & flavedine inficiunt corpus, quam diarrhœa, imò dyſenteria, primò putrida, poſteà, acciſo & miteſcente morbo, benignior, longo & ultrà morbi fines protracto intervallo, poſteà tollit. Accedit brevi in urinis anteà putridis ſedimentum, primò quidem rubrum & lateri-

In his varia ut tempora ita & Metaſtaſeon forma & indoles.

titium, posteà flavescens, indèque album, leve & æquale. His vulgò sub ultima morbi tempora accedit sudor, nullusque suo critico motu caret ex naturalibus humoribus, quicumque sit : quippe omnes & singuli partem humoris sibi adsciverant & in se assumpserant. Hinc diversæ febrium istarum putridarum, &, ut Veteres loquebantur, pestilentialium species plures ex his Metastasibus affectant. Imò & apud veterem HIPPOCRATEM artûs alicujus avulsio, in febre & constitutione pestilentiali, pro Metastasi habetur; metuendâ herclè, licet, manuscriptorum defectu, vix illam metuisse videatur. Certè, quoties adest Metastatica gangræna, licet morbum pristinum auferat, metuenda illa Metastasis novum herclè morbum priori non minùs gravem inducit, aut saltem ingentia sibi postulantem auxilia, ne nova Metaptosis ipsum in corpus deferat, eumque per totam machinam diffundat, unde ab introducto veneno lentior, sed certa pernicies inferatur.

Nec carent Metastasi morbi ipsi cachectici.

Superest jam ut de iis loquamur Metastasibus quæ possunt in iis morbis observari in quibus actiones vitæ, aut non agunt, aut tacitè agunt, & nullum affectant impetum. Ii sunt morbi chronici sic dicti, in quibus nedùm incusetur actio nimia, contrà actio illa destructa morbum ipsum constituit & facit. Ii sunt in quibus imminet cachexia, & qui, si sibi relinquantur, in hydropem evadunt. In

illis omnibus caufa morbi vires deftruit; hinc nulla in iis fperanda eft *activitatis* norma: languent concoctiones omnes, & deficiunt fpiritus, demiffi & vappidi, ut Angli dicunt. Debilitas ex eorum effentiâ eft. Verùm licet fcirrhofa moles, aut iners obftructio nullam admittat curatricem actionem, licet ipfa cachexia actionem impediat, poffunt, in tantâ rerum omnium calamitate & focordiâ, caufæ accedere multiplices quæ ipfam exftimulent, quæ, fi medicamentis excitentur, naturam reddunt actuofam. Ita acre in aquis intrà corpus ftagnantibus quâcumque de causâ inductum, ipfis mobilitatem conciliavit unde vacuarentur illæ, imò, compreffione adjuvante, in proximis nata inflammatio abfceffum conflavit utilem & falutiferum. In cachexiâ juvencularum puellarum nonne quæ videtur iners natura fluxum menftrùalem effecit, reparandis atque inftaurandis viribus utilem: quæ enim ftagnabat plethora in motum fubitò agitur. Ita etiam quæ autumno & hieme, famulantibus fimul tempeftatibus, ægrum divexavit catarrhalis moles, erumpente calore verno, auctâque per mechanicam caloris actionem perfpiratione, folvitur, aut Metaftafi aliquâ inflammatoriâ aufertur, modò non in inflammatoriam phthifeos pulmonalis naturam abeat. Multòties certè ab hâc mutatione tumor pedum imminens fanatus eft, aut eryfipelatum atque puftularum eruptio ceffit;

Ex ftimulo quolibet accedente.

Ex aëris & tempeftatum mutationibus.

imò fotus atque ab aëris calore accerſitus arthritidis vix expectatæ impetus, mala hyberna ſuſtulerunt. Tollitur ſcilicet indè pars oneris, & virium redintegratur actio. Præterea, licèt partes omnes univerſum corpus conſtituentes elangueant, fit ſæpè in unâ, cæteris otiantibus, parte organicâ erethiſmus, quâ vires ejus edant effectus aliquos, qui ubi partes alias in conſenſum traxerint, corpori novas vires addant, ita ut morbo febris ſe comitem addat. Hæc ubi corpus iners ejuſque facultates in motum traxerit molem illam adoritur, immutat, & excrementorum jamjam excernendorum titulo donat. Unde ſi in cauſariis illis ac prælanguidis morbus acutus occaſione aliquâ efferbuerit, Metaſtaſes plures partim inflammatoriæ, partim œdematoſæ expectandæ ſunt, quæ materiæ copiam vincant. Tunc ingens excretorum humorum copia undequâque exundans quaſi incaleſcit, intumeſcit, mutatur; jam verò novam indolem nactus ille humor actuoſam ſuſcipit efficaciam : at corpus inſigni humorum copiâ liberandum & tempus ſibi poſtulat, & multarum coctionum multiplicationem ſibi vindicat. Unde morbus ille acutus, corpus liberans & ſartum ac tectum ab antiquo malo præſtans, plures morbos efficit ſæpiùs redivivos omneſque Metaſtaticos.

Sæpè accedente in aliquâ parte peculiari erethiſmo.

CAPUT TERTIUM.

De ſignis Metaſtaſium.

CUM Metaſtaſis quæcumque ſummi ſit momenti in morbis, maximè noſtrâ intereſt ea omnia aucupari ſigna quibus illa prævideri poſſit, & etiam quæ commoda poſſit inferre, queis premere corpus queat incommodis. Quæ omnia ominari atque prædicere impoſſibile eſt, niſi ante ejus exiſtentiam è collectis undique ſignis, nec uno neglecto, affore præſenſerimus.

Signa diagnoſtica alia univerſalia, alia peculiaria cuique Metaſtaſi.

Ex his patet in noſtrâ præſenti diſquiſitione comprehendi ſigna Metaſtaſium tùm diagnoſtica, tùm etiam prognoſtica. Præterea cùm ex ſignis illis alia univerſalia ſint & ad omnes æquè Metaſtaſes pertineant, & ſint ex ipſarum eſſentiâ, ea univerſalia, communia & primaria dicenda ſunt. Alia huic illive mutationi Metaſtaticæ peculiaria ſunt, nec ad ullam aliam pertinent; unde peculiaria cuique ſunt & ad uniuſcujuſque fortunam referuntur.

Alia eſſentialia, alia accidentalia.

Rurſùs verò ex his ſignis mutationum Metaſtaſin minitantibus alia eſſentialia ſunt, alia ex complicatione & commixtione, ſive conſtitutionis, ſive alterius morbi, naſcuntur. Ea porrò verè, ſecundùm ſcholarum loquendi

formulam, accidentalia dici possunt. Hæc quidem singula dùm persequimur, ab ordine illo, quamquàm rem omnem sub se divisam continente, recedere liceat, cùm pluribus vinculis ex ipsâ rerum substantiâ nascentibus nimiùm inter se materiæ lædentes conjungantur, ut ea possimus ordine certo & definito prosequi.

Diagnostica signa essentialia.

At generalia illa, quæ futuram arguunt Metastasin, ante omnia definire erit ex nostro officio, cùm ad omnes æquè pertineant illa. Insumunt quidem ex subjecto in quod incidunt, à diversis rerum occurrentium actionibus plurima differentiarum capita & effectus prorsùs diversos: at semper ex ipsâ rei naturâ adsunt; quippe ab illâ ipsâ pendent, nec sine illis Metastasis ulla potest existere.

Metastasis initio nunquam apparet.

Porrò, uti jam sæpiùs dictum, nulla concipi potest Metastasis quæ non à viribus naturæ excitetur. Hinc nunquam statim & incipiente morbo fieri potest: nam materiarum rectè supponitur mutatio in Metastasi; mutatio autem quæcumque necessariò præviam postulat actionem in id conspirantium organorum. Ergò illa quæcumque mutatio fieret statim, ea nunquam morbum, seu naturæ decertantis conamen supponeret. Si Metastasim simulent præmaturè eductæ vacuationes, etiam si salubriter exeant & in corporis commoda, turgebat, ut verbis HIPPOCRATIS utamur, materia, id est, impetu morbi acta,

Turgens initio materia Metastasim sæpè simulat.

exundabat undique, ut in cholerâ morbo, humor hoſtilis., quodque per ſtimulum inflictum emiſſum fuit, ſaltem de hâc nocente materiâ aliquid, non ſine periculo, detrahit. Præterea verò Metaſtaſis victricem ex aliquâ parte naturam, acciſamque ex parte hoſtilem materiam ſupponit, feliciaque naturæ conamina, & illud certè ſuis ſe ſignis indicat; quæ ſigna tempore certo apparent, vario quidem pro naturâ morbi, & agentis corporis variatâ infirmitate: morbi enim vario admodùm, pro naturâ & vehementiâ cauſæ, ordine ſtadia ſua percurrunt. Incipiunt ſcilicet, & necdùm conſtituti ſunt, augentur & increſcunt, & fatendum eſt quòd quoties increſcit & augetur morbus, toties etiam cauſæ dominium increſcat morbiferæ; unde vix ulla ſperanda aut criſis, aut Metaſtaſis. At, ubi ſemel graſſanti illi cauſæ vires reſiduæ moram injecerint & æquato certamine omnia proceſſerint, tunc mutationes illas ſubitas, quas criſeos nomine expectare fas eſt, collectis natura viribus elicit; tuncque, pro variâ morbi naturâ, aut criſis fit, aut Metaſtaſis, quæ ipſa critica eſt. Ut ergò criſis, ſic Metaſtaſis morbum jam marte æquo cum naturâ decertantem, & vires naturæ aliquâ parte morbum ſuperantes exigit; quod quidem tempus, in morbis maximè acutis breve, in minùs acutis lentius emergit, in chronicis etiam per certas periodos fieri poteſt.

Vera Metaſtaſis ſupponit naturam aliquatenùs victricem.

Signa in morbis lethalia & Metastasi locum non relinquentia.

Verùm non in eâ rerum ignorantiâ positi sumus Medici, ut eas per sua signa periodos statuere & prævidere non possimus; in vehemente enim morbo, mortem vel ab initio possumus prænuntiare. Si enim ex HIPPOCRATICIS signis quæ mortem nuntiant plura concurrant, si respiratio simul, simul functiones animales, si quæcumque ad vitam pertinent, ita à morbo in pejus ruant, ut agenti causæ morbiferæ actio vitæ vix resistat, secretiones pariter ex ordine naturæ penitùs recedant atque injussè fiant, nihil naturalis ordinis residuum sit, vigeat ubique hostilis causa, quid superandum superest? Morbo increscenti cedit ægrum corpus; Metaptoses variæ, perniciosæ, symptomaticæ præludunt. Omnia quæ funesta atque exitii nuntia edixit HIPPOCRATES signa prognostica in hoc consistunt, ut magnoperè à statu naturali recedant functiones omnes. Quò verò plus ab illo distant signa enascentia, eò magis exitiosa sunt. Hinc ut benè spirare in morbis plerumque felix fuit, sic malè spirare fuit exitiosum. Sic etiam, sine malâ respiratione, scilicet, aut coercitâ atque brevi, aut rarâ & suspiriosâ, si deliret ægrotans, terroris non adeò impendet legitimi; si jungatur delirio vitium respirationis, aut animi terror, aut delirium ipsum respirationi alioquin liberæ vitium aliquod impresserit, ut in obliviosis quotidie respirationem raram videmus,

Ex respiratione.

quæ etiam illis communis eſt quos triſte ac melancholicum deliramentum occupat: obſervantis Medici metus increſcit pro gradu quo functiones illæ plus minùſve læduntur, & à ſtatu naturali longiùs diſtant. Tùm verò etiam pulſus, ſi vehementes, validi, liberi, nobis eò plus inducent fiduciæ quòd circuitum ſanguinis magis liberum arguant. At parvi, celerrimi, malè ſibi correſpondentes nec liberam circulationem, nec proximam criſim arguunt. Unde, etiamſi non ii ſimus qui recentium obſervationes circà pulsûs obſervatas varietates velimus convellere, ineſſe profitebimur quamdam pulſui etiam proximè critico libertatem, quam Medici accuratiſſimi diſtinguere atque ſejungere præ cæteris norunt, vigetque intùs, & ſub ipsâ criticâ dyſcraſiâ obſervatur firmior ſuperantis naturæ vigor. Prognoſtica verò ſigna illa quæ à calore petuntur, aut vultu, aut ventriculi & inteſtinorum vitiis, niſi inſtantem, imò præſentem gangrænam arguant, atque adeò ſolidorum diſtractionem mortemque, ſintque aliis ſtipata ſignis quæ vel ipſa rei atrocitas infert, poſſunt quidem varias morborum phaſes indicare, at certè per ſe lethalia non ſunt, niſi quatenùs agunt in organa vitalia. Sic, v. g., in homine quem veneni inſumpti urget & ad mortem trahit lethalis efficacia, primò quidem æger ſymptomata experietur, quæ ventriculo atque inteſtinis propria ſunt,

Ex pulſu.

Ex aliis qualitatibus.

Veneni lethalis ſymptomata.

eorumque inflammationem comitantur : tales ſunt dolores vehementes, ſingultus, vomitus, convulſiones, extremorum frigus atque eorum livor, hæc triſtia quidem, ſed per ſe non feralia. Poſteà remediis nullus dabitur locus, ubi jam deficientibus pulſibus, ipſa mali partem ſuſceperit reſpiratio, eaque intercisa atque ſimul fuerit facta celerrima, atque in inſpiratione & expiratione correſpondentibus inæqualis. Scilicet, antequam ſigna hæc exardeant, vires elangueſcunt, proſternunturque, at integris inſtrumentis ad priſtinum ſtatum revocari poſſunt. Sed in hiſce ultimis ſymptomatibus deſtruuntur ipſæ & earum inſtrumenta deficiunt; hiſce igitur ita conſtitutis Metaſtaſim expectare inutile foret : pulſat atria mors ineluctabilis. Licet porrò incipiente lethali, necdùm conſtituto ſatis morbo ſymptomata hæc nondùm eò pervenere ferociæ ut ſpem detrahant, tamen eorum agglomeratio præmatura juſtam ac legitimam formidinem incutit : quippe in virium fontes agunt illa, ipſis vincula innectunt, quibus ſuperante morbo vincuntur. Nam etiamſi à ſævioribus miteſcere aliquandò & molliùs incedere principiis, in caſu abſolutè & neceſſariò lethali, illa videantur ſymptomata, ſtationes tamen occupant quibus occupatis vires ſeſe exerere non poſſunt, eò quidem magis quò functionum læſarum numerus major eſt, atque adeò quò minùs de vitâ ſu-

pereſt. Nec tamen diffitendum eſt ſæpè à causâ morbificâ, in validis præſertim robuſtiſque hominibus, inſidias ſtrui. Sana omnia incauto ſecuraque videantur : nil ſaltem eminenter culpabile eſt. Sed diligenter facultatum omnium, ſimulque ſingularum ordinem intuenti, videbitur æquè iners & languidum earum exercitium : ceſſant omnia, fato occumbit æger, aliquandò improviſò. Hinc culpa in Medicos refuſa artem infamat. Præterea in his peſſimis caſibus id annotandum, adeſſe cauſam peſſimam quæ quidem functiones turbare non videtur, ſed eas ſaltem pro rei momentosâ actione non auget, imò latenter impedit; unde caſu, ut ita dicam, ſubito eas proſternunt atque deſtruunt cauſæ inſidioſæ, pugnæque nullum locum relinquunt : nam ubi primùm cauſa agere incipit corpus illicò deſtruit; quod quidem eâ de causâ oritur quòd corpus ſentiat minùs ſive illud ab oppreſſione cerebri pendeat, ſive etiam cauſa lædens narcotici inſtar agat, ſenſumque omninò, ut multis venenis familiare eſt, obſcuret & obtundat. Similes quidem eventus in malignis omninò morbis non adeò rari ſunt. In his incipientibus vix ullus querelæ, at nullus ſaltem ejulatibus locus eſt : obtuſus eſt & quaſi ſtupens æger, vix delirat proſtratâ & deletâ actione nerveâ; graſſatur intereà cauſa, quæ latenter omnes ſubito ictu functiones deſtruit.

Inſidioſa in ſummâ lethalitate ſymptomata.

Sympto-mata quoque levioris mali Metastasim excludunt.

Nec verò Metastasis in causâ omninò contrariâ expectanda est, scilicet si omnia vel levia sint, vel naturæ legibus ita obsequentia, ut vel quæ tutior atque magis expetenda est, fieri possit resolutio, vel humorum expellendorùm crisis. Nullus Metastasi relinquitur locus, nec expectanda hæc, saltem regularis, quæ naturæ laborantis nixus majores & vim aliquam solidis illatam supponit. Quippe ad naturalem excrementorum indolem accedere non potuerunt quæ materiam Metastasi præbent: debuerunt ergò mutari. At si hinc paucitate, illinc ipsius materiæ nocentis mitiori naturâ, potuit illa in inquilinam aut materiæ nutritiæ, quod rarius, aut excrementorum, quod frequentius est, indolem converti, sensim defervescit morbus, declinantique morbo nihil novi accidit, nisi quòd major fiat copia excrementorum aut naturalium illorum, aut ad naturalia proximorum.

Phænomena criseos in graviori morbo, cum Metastaseos phænomenis collata.

At si violentior causa exarserit, fit impetus post coctionem & stante illâ; symptomata nixu critico efferantur; mox vacuationes ingruunt pro naturâ morbi diversæ, sed causæ morbi per phænomena sua declaratæ consonæ atque conformes. Tùm verò si universa & integra fuerit materiæ hostilis vacuatio, laxantur omnia, vacuationes omnes in pristinam restituuntur integritatem, imò & primo criseos tempore adaugentur: quippe quæ, primò cohibitæ, posteà per liberos & laxatos

meatus faciliùs exitum moliuntur. Sunt ergò tria hîc in naturæ motu critico requirenda. Primò quidem nixus, qui non ſine tumultu atque impetu fit, ſymptomataque exerit quæ timorem incuterent, ſi non præceſſiſſet ipſa ſemper ſecura coctio. Poſteà vacuatorius impetus, qui ſæpè debilitatem habet adſcititiam & præcedenti certamini proportionalem. Tertiò demùm libertas in ſecretionibus omnibus reſtituta, quam ſequitur functionum alacritas, ſanitatis & comes & ſignum. Eadem porrò in quâvis Metaſtaſi expectanda ſunt, ſi integra illa fuerit, quippe quæ eodem jure potiatur atque alia criſis : ſed in hoc differt quòd Metaſtaſis quæcumque brevi ſua ſibi propria concitet ſymptomata, febrem vulgò à primâ diverſam, ſerotinas reduplicationes, leves ſudatiunculas. Ineſt quidem cæteris omnibus functionibus libertas redux & oneris priſtini amotio, ſed, ut in debiliori per labores priſtinos corpore, ſymptomata hæc ſpem lætitiamque tardant. Imò & ſi Metaſtaſis in locum non optandum decubuerit, ibique depoſita graſſetur materia, mox exardeſcent nova ſymptomata, atque novi tumultus concitabuntur, primamque lætitiam lacrymæ excipient.

In quo differant à criticis Metaſtaſeos ſymptomata.

Ex hiſce porrò ſedulo animo penſitandis ſtatim intelligitur quæ ſint Metaſtaſeos ſigna, quotieſque ea ſit expectanda. Alteram quidem illa ſpem ſalutis profert, ſed ambiguam ſanè

Indè ſigna diagnoſtica & prognoſtica Metaſtaſeos.

Quid antè Metastaseon. & quam nunquam cum solutione, aut etiam cum crisi integrâ conferre possis. In morbo quocumque in quo Metastasis sperandam se relinquit, quæ ipsam comitantur phænomena, nec adeò violenta sunt ut mortem præ foribus adstare designent, nec adeò lenia ut spondeant solutionem, nec tamen satis ordinata, satis distincta ut perfectam spondeant crisim; nec ipsa præcedens coctio adeò perfecta & numeris omnibus absoluta. Tùm verò tacitam spem exsuscitant signa criseos non evidentia, quæ prædicentis audaciam sustentant. Incessu ancipiti progreditur morbus, & quas intentat minæ, aut minùs certo passu vitalia organa agrediuntur, aut, si centrum aliquod morbus occupat, in hoc unum desæviunt, cætera organa resistunt validiùs. Si enim morbus universalis sit, & partes affectæ eâ vi resistant ut ægro periculum immane non impendeat, sed adsint signa æquivoca, coctionem quidem aliquam designantia, sed fugacia & interrupta, si ipsa spes affulgens nunc emicet & spem augeat, nunc cesset & incutiat formidinem, errare adhuc judicabis nocentem materiam, & res in incerto statu positas: nam, in hâc malorum serie, deducitur adesse quidem materiem solutioni obstantem, quæ hujus sit pervicaciæ ut vinci non possit, sed quæ per ipsam partium affectarum vitalem resistentiam morti inferendæ sit impar. Superest ergò ut aliquâ

mutatione in id evadat idonea ut expellatur; quod ipsâ circuitûs & virium efficaciâ contingere par est. Siquidem, etsi aliquandò conticescant vires delassatæ, mutatio in meliùs quæcumque delitescentis naturæ, sed tacitè operantis indicat actionem qualemcumque: hæc tandem superabit morbum, aut saltem in partes minori sensu, adeòque minori donatas resistentiâ ablegabit.

Quid in ipsâ Metastasi fiat?

Porrò, si materies illa in centrum aliquod fixum abigatur, ibique sæviat, centrum verò illud non adeò sit vitæ necessarium, sequitur ut mutatio in parte fiat: ea mutatio novâ symptomatum serie stipata Metastasis jure audit: talis est suppuratio, quæ in loco affecto phlegmonodeas causas sequitur, & quæ sæpè, si centrum illud non præpoperè discissum atque divulsum sit, ab hâc parte in alias ferri potest, intacto & integro illo quod priùs læsum fuerat centro; tenuatâ scilicet per vitæ vires quæ priùs labem intulerat materiâ, jamque mobilitatem adeptâ, imò aliquandò canalibus urinæ excretoriis adæquatâ, ita ut partim saltem sub sedimenti formâ cum iis exeat.

Metastaseon etiam imperfectarum utilitas.

In hoc ergò laborantis, atque inter ipsos conatus titubantis naturæ certamine, cùm coctio incerta sit, nuncque ejus signa emineant, nunc contrà obscurentur vigeatque morbus, facile est intelligere quâ ratione observari queant, inter hæc discrimina, Metastases imperfectæ quæ de morbo aliquid detra-

hant, ipſum verò non abſolvant. Duplex harum Metaptoſeon dos eſt, ut partem quidem morboſæ materiæ detrahant, tùm verò ut ab ipſarum repetitione coctio poſteà plenior & ſecurior evadat. Eſt quoddam prodire tenus; harum quidem Metaptoſeon phænomena plus ad morbos in quibus univerſa humorum moles inficitur, quàm ad alios quoſcumque pertinent. Sic diarrhœa in febribus ſpontanea morbum effecit leviorem. Idem etiam miliaribus febribus ſæpè per paroxyſmos, erumpente in cutem veneno, contigit. Sed omnibus hiſce ea lex eſt, ut non ſtatim appareant inter morborum initia, ut aliquâ ſaltem copiâ prodeant, ut cum aliquâ ſymptomatum levatione accidant. Quamvis autem in hocce genere morborum qui ab evidenti univerſali causâ pendent frequentiores ſint Metaſtaſes, non tamen non reperiuntur illæ in morbis localibus, ut arthritide & rheumatiſmo inflammatorio, ſi ea ſit cauſæ violentia, ut mutari advectos humores neceſſe ſit. Sic & ſæpè anginas imminuit deque earum periculo detrahit erumpens eryſipelas externum. Sic & rheumatiſmus erumpens à thorace & pulmonibus labem divertere viſus eſt. Ipſæ vehementes contuſiones Metaſtaſim aliquandò paſſæ ſunt & ſanatæ per abſceſſus in locis enatos diſſitis; tumores glandularum à catarrho facti, pariter per urinas ablati ſunt, quippe à locali causâ naſcitur univerſale ma-

In morbis univerſalibus.

In localibus.

lum. Sanguis viri anteà ſani cruſtâ illâ catarrhosâ brevi obducitur, quæ quaſi præludium Metaſtaſeos, aut ſaltem criſeos ſpectari poteſt, quâ ſemel conſtitutâ, raró ſolutio ſimplex, ſæpiùs criſis, aut Metaſtaſis expectari ſe ſinit. Imò aliquandò in ſenibus & infantulis depoſitus in glandulis catarrhus obduruit. Sæpiùs verò in morbis illis peculiaribus & parti alienæ propriis, nec univerſo corpori attingendo aptis, malum in partes concentratur, ibique ingraveſcit. Longam fore & difficulter ſanabilem Metaſtaſim jure præſagimus: ſiquidem uni & ſoli parti, cæteris feriantibus, præcipua pars operæ peragendæ incumbit, nec onus æqualiter diſpertiit cauſa morbi.

Signa futuræ Metaſtaſeos univerſalia.

Ex viribus ſeſe extollentibus & incipientibus coctionis ſignis.

Cùm fiat à naturæ viribus actio illa, quæcumque fuerit, non illam expectare & ſperare fas eſt, niſi aliquod nobis prodeat indicium eas aliquâ ratione vigere; quæ ſigna petuntur à functionibus naturæ reſiduis, ſeſe aliquâ ratione extollentibus, pulſu pro diverſitate Metaſtaſeos vario, ſed validiori ſaltem ante tumultum criticum, reſpiratione pleniori & uberiori, linguæ mutatis aſpectibus, cùm ſcilicet interni hujus limbi jam naturalem colorem recipiunt & uvidi naturali humore conſpiciuntur, utut dorſum ipſius linguæ remaneat horridum, ſquallidum, & retorridum. Tùm verò ſigna alia repetes ab excrementorum in meliùs mutatione & morbi

euphoriâ. Sed nihil laxationem illam criticam uberiùs & pleniùs indicat urinis, quæ, cùm nobis ſtatum excrementorum primæ & ſecundæ coctionis indicent, jure habitæ ſunt pro legitimis coctionis ſignis. Hæ ergò ſi, priſtinam limpiditatem ſervando, jam aliquid inſignis ſedimenti albi, levis & æqualis depoſuerint, criſim jam inſtare deſignant. Idem etiam de affuturâ Metaſtaſi ſignificabunt, poſitis quibuſdam differentiis quas Metaſtaſis criſi magis imperfecta affert: nam, ut Metaſtaſis materiæ morbificæ virulentiam non omninò exciſam atque deletam ſignificat, ita imperfectioris coctionis, aut in functionum exercitio, aut in excrementorum naturâ ſigna profert. Nondùm perfecta, nondùm matura eſt coctio, ubi fit plerumque Metaſtaſis; &, cùm Metaſtaſis ipſa morbus ſit, ſæpè eâ jam ferociùs incipiente, deſinere aliquandiu videntur coctionis ſigna. Adeſt ergò in Metaſtaſi coctio, non perfecta ſatis, illamque nuntiant coctionis ſigna in urinis, ut & cæterarum excretionum natura in meliùs verſa. Cutis mollior, levior & jam humectata, lingua pariter tangenti minùs aſpera, ſputa faciliùs prodeuntia, veterum excrementorum & habitu aſſueto prodeuntium redintegratio, priſtinam brevi renovandam fore ſanitatem denuntiant. Sed coctionem Metaſtaſeos præviam multa diſtinguunt. Sic urina non adeò in metuendâ Metaſtaſi limpida eſt, ſed ſæpè, utut

Quid coctionem Metaſtaſi præviam ſpeciaiùs deſignat?

utut ſedimentum ſemper nobis præſtet, eneoremata nobis multa leviora, adeòque minùs coćta, exhibet. Sæpè turbida remanet, ut in naturæ tumultu fit, eaque quæ limpida ejećta erat aliquid crudi indè deſignat quòd tota brevì turbetur, adeòque contentæ in urinâ materies nondùm ordinem ſuum reſumpſerunt, ſed quæ pondus per cońtionem acquirere debuerant leves adhuc remanent, Metaſtaſi quidem aptæ, ſed ad coćtionem verè criticam impares. Sic etiam ſæpè ſedimentum illud rubicundum ac lateritium bilis copioſæ effluxum nuntiat, atque ſæpiſſimè puſtulis & eruptionibus bilioſis præludit. Sedimentum etiam, licèt leve albumque ſit, ſi fuerit copioſiſſimum, nec ſatis ponderoſum, Metaſtaſes à copiâ materiæ pendentes præſagit: tunc enim ſupereſt plerumque materies quam, etſi fuerit coćta & in ſtatum ſaniorem converſa, tamen incernicula capere non poſſunt; & id quoque redundantis plethoricæ cacochymiæ ſignum eſt. Sed, ne ad ſingularia de quibus dicendi alibi dabitur locus digrediamur, quæ ſigna in urinis evidenter deprehenduntur inquirenti, linguæ morbidæ attendenti inſpećtio declarabit; quippe quæ ſtatum intimarum partium, ſi eam à reſpiratione ſepoſueris, ſatis deſignet. Arida enim, exſucca & rubicunda, ſed colore rubro inſignis, omnia ſtrićta & criſpata declarat. Idem etiam gingivarum & dentium ipſorum ariditas ſignificat: laxari omnia ali- Lingua.

quatenùs, ſed non tamen ita ut res ad naturæ ordinem redeant, ſi ſquallens omninò & confertim excrementis onerata appareat. Vitia verò tunc ea quæ anteà ſub erethiſmo revincta apparebant oſtentat, putridamque nigredo & fœtor indolem vitii jam ſinunt agnoſci, ut & acredinem qualemcumque fiſſuræ, rimæ, puſtulæ leves indicant. At, jam ſibi victoriam parante naturâ, etiamſi lingua nunquam in medio ſquallidior & excrementis magis ſcatens apparuerit, tamen ad limbos quaſi è fonte puro ſcaturit lympha nitidior, uti jam diximus, tuncque Metaſtaſin expectare fas eſt; plus autem nitoris criſis perfecta ſibi expoſtulat. Hinc etiam Metaſtaſes præſagiunt quædam quæ, aut anteà delituerant, aut tunc primùm apparent ad labra & partes levi epithelide tectas puſtulæ, ſive cruſtoſæ ſint, ſive lymphâ plenæ; nam hæ nihil aliud ſignificant præter aliquam erethiſmi laxationem & materiæ vitiatæ in laxiores cellulas defluxum. Hæc porrò laxatio, ſi non peſſimis comitatam ſe arguat debilitatis ſymptomatibus, ſemper meliora augurari permittit: ſub eâ enim laxatione omnia regulatâ magis atque magis ordinatâ actione perfici demonſtrat. At inſufficiens erit illa laxatio, ſi non conſtans atque uniformis fuerit, ſed per renovatos ceſſet paroxyſmos. Nam quod pauco tempore perdurat, nec regulari ordine peragitur, ut non conſtans eſt, conſtantem pariter effectum

Puſtulæ in quibuſdam locis apparentes.

Certâ modò appareant & copiâ & conſtantiâ.

elicere non poteſt. Porrò effectûs producti conſtantia in alicujus momenti certaminibus prorſùs neceſſaria eſt. Hinc etiam elicitur veritas ſententiæ illius HIPPOCRATICÆ quæ ad Metaſtaſes omnes pertinet, *nihil paucum eſſe criticum.* Nam quid ad morbum ſanandum efficient momentoſum paucæ effluentes laticis ichoroſi guttulæ? Vanos ſanè atque inutiles naturæ conatus. Hi coctione, aut nullâ, aut minùs perfectâ ſtipati, plus de viribus quàm de morbo detrahunt, arguuntque effœtos virium nixus, ſummamque corporis ægri debilitatem: quod uno verbo comprehendit HIPPOCRATES cùm ait: *Judicatoria non judicantia, partim lethalia, partim verò difficilis judicii.* Sit ergò quantitas delatæ materiæ cauſæ proportionalis, ſi certum ab eâ ſolatium quæſieris; alioquin in invalido corpore morbi longitudinem augurari fas erit.

Signa ſingularia Metaſtaſes deſignantia.

Præterea verò cùm naturæ actio certis determinetur regulis, à quibus in ſuâ exiſtentiâ ipſi nunquam recedere licet, ſed quas non omninò introſpicere noſtræ debilitatis ſequela eſt, neceſſe eſt, ad certam inducendam noſtro augurio fiduciam, ut morbo quidem præcipuè ipſi correſpondeat materies ad Metaſtaſim faciendam accommodata, ut conſonet parti affectæ, poſteà verò ætati, tempeſtati, regioni, vitæ regimini: quæ omnia in corpore humano ægrotanti ingentem varietatum fontem inducunt, quibus in inſpiciendis accurata

ſedulitas requiritur. Hinc noſtra nos tractatio quaſi manu deducit ad ea ſingulatim expendenda, à quibus pendet ſtudium ſingulare, quod à nobis ſuo jure poſtulant peculiaria atque ſecundaria Metaſtaſeon ſigna, quæ, cum præcedentibus conjuncta, hanc illamve Metaſtaſim indicant atque deſignant, ita ut una pro alterâ non habeatur. Cauſarum enim illarum influxus & variata admodùm forma Metaſtaſeon non ſolùm locum, ſed genus & ſpeciem determinant.

Apoſtaſes. In genere Antiqui abſceſsûum, ſive ἀποστασίων nomine, qui Metaſtaſium ſpeciem conſtituunt præcipuam, non ſolùm abſceſſus ſuppurantes, quos ἐλκέα nomine deſignabant, intellexerunt, ſed tumores omnes qui, vel ab ipſo corporis fundo, etiam ſine prævio morbo, enati, vel poſt morbum in partem aliquam ita decumbunt, ut in priori caſu alacritas major & ſanitas uberior naſcatur, in altero morbus, aut imminuatur, aut evaneſcat. Hinc abſceſſus illi in calidos aut frigidos malè diviſi fuêre; quippe omnes auctam naturæ actionem ſupponunt. At alii phlegmonem æmulantur, & nonniſi pure cocto albo, lævi & æquali, aliquamque cum ſputis concoctis & urinis morbidis analogiam ſervante, involutam materiem hoſtilem oſtendunt, eâque corpus liberant. Involvi verò ſæpè materiem hoſtilem, & mox ſemper in pus propriè dictum mutari, ut cenſuerant Veteres, à vario-

Apoſtaſes phlegmonodeæ ſuppurantes.

larum insitione, ut jam alibi dictum est, Recentiores probavêre. Siquidem in hoc casu pus, vel maximè salutare, materiem contagio inferendo aptam involvit, non immutat. Aut igitur pus, aut gangræna phlegmonas propriè dictos sequuntur, quorum signa præbent morbi magnitudo, nec solutionis, nec criseos perfectæ spem nobis relinquentis. Dolores erratici primùm, sed vehementissimi, ab hâc in illam partem delati, metum incutiunt, cùm stipentur simul febre acerrimâ & discordi functionum exercitio; secretiones aut nullæ, aut paucæ fiunt, aut saltem à naturali statû plurimùm abludunt, tùm verò in centrum aliquod decumbunt, centrum vulgò priùs debilitate aliquâ infirmatum. Sed ubi jam centrum illud occupatum est, omnia hîc defluunt ac brevi spatio feruntur, non sine notabili primariorum symptomatum mitificatione, urinarum & secretionum quarumcumque instauratione. Si ad oculos centrum illud pateat, fit tumor notabilis, fastigiatus, œdemate aliquandò fastigium illud impediente; aut, si profundiùs tumor sedem fixerit, œdema solùm apparet molle, sed dolori responsans acuto; imò in internis etiam suppurationibus, notante HIPPOCRATE, œdema sæpè partibus in externis sese deprehendendum sinit. Urinæ primùm sedimento albido crassiori donatæ, sed substantiâ tamen turbidâ atque non limpidâ, distinguntur. Hinc limpidiores

Earum signa.

fiunt & minùs ſedimenti ſervant, lingua fit mollior & humidior; imò, ſi HIPPOCRATI uſque fidendum eſt, illa linguæ medietas quæ abſceſſui reſponſat, plus humiditatis ſervat quàm oppoſita; ſaltem id in Cauſis edixit. Nova tunc ſuppurationi propria ſymptomata exardeſcunt, quibus hìc inſiſtere prorſùs inutile eſt, cùm locus errori raro detur. At illud quod quaſi phlegmoni inſidet œdema, præſertim ſi in pulmonibus ſcena agitur, aliquandò errori locum dat, dùm inſtat metus ne effundatur in cavitates ichor purulentus. Sed quamvis res ita ſe habere poſſit, nec raro complicatione Metaſtaſeos accidat, tamen febris lenta, imò brevi hectica hæſitantes dirigit. Hìc unica ſpes affulget. vacuari pus totum, nec ullas fermentantes atque novum pus cientes ſervari intùs reliquias; & quoties ad externa fertur humor qui ex omni corpore in morbo univerſali ibi cogitur, maturo Chirurgi ferro, aut cauterio opus eſt. Porrò patet ſatis ex hiſce quantùm ſub Metaſtaſi purulentâ lateat periculi, quod eò magis inſtat & multiplicatur quò major fuerit morbus. Imò quantumvis totus prior morbus fuerit per Metaſtaſim abſumptus, tamen multi indè propullulant purulenti, Metaſtatici affectus, quibus materies nutritia cum adipe mixta, tota in pus vertitur, & corpus, pereſum maraſmo, febri organorumque deſtructioni tandem ſuccumbit. Qui etiam infe-

Apoſtaſeos ad interna rupturæ & phthiſeos periculum.

liciſſimus caſus apud juniores & cacochymos in externis etiam abſceſſibus ſuppurantibus accidit. Omnia in ſphacelo Metaſtatico pejora mortem portendunt certiſſimam & ferè ineluctabilem, ſi præcipuè Metaſtaſis illa non fuerit completa atque abſoluta. In his Metaſtaſibus lingua, utut humiditatem nacta ſit, nigra remanet; ſcybala exeunt nigra, rodentia, ſplendida. Ipſis etiam urinis ſedimentum ineſt, ſed ſæpè nigreſcens atque furfuraceum: loco tepidi caloris per cutim exhalantis frigus moleſtum tractantis manus inficit. At ubi ſphacelus ille per virium naturæ nixum vehementiſſimum & ultrà præſcriptos limites adactum concitatus eſt, ut in peſte illâ à THUCYDIDE deſcriptâ, illicò vires concidunt, & ex prognoſticis HIPPOCRATICIS mortem expectare fas eſt, niſi mali cauſa in unum depulſa centrum ſinat illas redintegrari, tuncque ſalutaribus, etiam in debilitate maximâ, erumpentibus ſignis, limbus roſeus vitam à morte ſecernit atque disjungit: urinæ, quæ, etiam cum coctionis incertæ atque vacillantis ſignis, ſedimentum atrum deponunt, jam minùs atrum ad fundum ſecedere ſinunt, imò brevi albicantem, unde fit ut in ipsâ deſperatione ſpes affulgeat; tuncque apoſtaſis illa abit in ſuppurationem, quam etiam lingua minùs nigricans & ad limbos vividior indicat. Sæpè etiam in linguâ quæ puſtulæ nigricantes eruperant, ſub cruſtæ

Phlegmonodea apoſtaſis in ſphacelum deſinens.

Sphacelus aliquoties à vivis partibus, naturâ agente, ſeparatur.

formâ abeunt, & ipſe labiorum epidermis ſimilem patitur mutationem. Sed, tam metuendos in epidemicis atque contagioſis morbis viſos caſus cùm Medici omnes agnoſcant, fatentur improviſam illis nonnunquam ſuccucurriſſe Metaſtaſin, & ex ipſo mortis ſinu ægros evaſiſſe. Signa aderant lethalia omnia in prognoſticis HIPPOCRATIS congeſta. Forſan vires corporis, è ſudorum levium urinarumque ſubſidio, utut peſſimarum, imò & quandòque ſanguinearum, ſpem aliquam ſinebant in ſinu reconditam. Imò &, in caſibus illis, apud nos ſub clementioris cœli indulgentiâ rariſſimis, niſi in contagioſo morborum peſtilentialium veneno, Metaptoſis quæ venenum in aliquo centro cumulavit, cæteras ei minùs obnoxias reliquit, & ſine novo virium naturalium nixu aliquam effecit Metaſtaſeon ſpeciem, incompletam ſanè & inſufficientem, ſed quæ præreptam viribus naturæ libertatem reſtituat; unde illa ipſa Metaptoſis meliorem ſpem conciliet. Verùm, rebus in ſtatum feliciorem conſtitutis, ichor primùm, poſteà pus prodit, & in abſceſſum ſalutarem omnia labantia reſtituuntur.

Tales in epidemicis morbis obſervati caſus.

Hæc quidem ad inflammatorios affectus, à quâcumque demùm causâ orti fuerint, referuntur, & ad eos ſolos poſſunt applicari; ſed univerſæ naturæ laborantis atque decertantis actio ſimplex & uniformis, aliquâ ratione ad phlegmones per ſe revocari poteſt. Ex hâc

Apoſtaſes non omnes ſuppurant.

obfervatione Veteres, uti jam dictum eft, fub univerfali ἀποςασίων nomine non folùm abfceffus puris productivos recenfuêre, fed omnia eruptionum genera quæ, dùm partem unam liberant, gravant aliam quamcumque, felici omine, fi fecundùm naturæ inftitutum caufa lædens, jam mutata & viribus naturæ accifa, à nobiliori & momentosâ parte in aliam ignobiliorem nec præfentis adeò neceffitatis deferatur.

Dantur etiam apoftemata in morbis *frigida* Veteribus dicta.

At, inter abfceffus illos, fi voce minùs ufitatâ liceat abuti, qui nunquam fuppurationem fubeunt, plures notandi funt quos ubi natura femel eduxit, iners illa manet, & quafi officio fuo defuncta quiefcit. Frigidos vocabant Antiqui noftri Præceptores, eò quòd nec erethifmum, nec calorem illum cæterorum arentem fecum ferrent, nec femel conftituti in alienam mutarentur indolem, fed immoti permanerent, aut faltem fenfim folverentur, fine morbofo apparatu; alio hodie fenfu frigidorum tumorum nomen accipitur. Morbum à lymphâ crafsâ, vifcidâ, inerti pendentem, fine ullâ naturæ actione, apud recentes vox illa fignificat, quæ quidem fpeciem unam, non genus univerfum comprehendit. Frigidos quidem ad Veterum fenfum affuturos tarda morbi motio, fatis quidem ut non citò folveretur pervicacis, imò qui per fe fimpliciter non folveretur, indicabat. Urina iis adfuit partibus fcatens divulfis nec unitis, fed quæ

Eorum figna.

vocabat HIPPOCRATES οὖρα διεστηκότα, unde ipſis turbida quædam inerat facies. Declarabant eoſdem lingua quidem limoſa & ſquallida, ſed humiditate non carens, imò aliquandò humidior; faſtidium ciborum, quos & inſipidos & nauſeabundos ventriculus reſpuebat. Signa etiam dabat febris, non quidem lenta, ſed non vehemens, niſi per paroxyſmos, frigore interſtincta irregulari, nec qui proportionalem inferat ardorem; nec iſta etiam Metaſtaſis ſtatim fit, ſed per partes, & febris pariter non ſtatim ceſſat. Unde certè illa vulgò, ſi quæ alia, incompleta eſt Metaſtaſis, niſi tamen in infantibus ad dentitionem promptis appareat, quos à convulſione liberat iſta febris; aut etiam eminet in juvenibus jam pubertatem molientibus, in quibus omnis naturæ impetus in glandulas jam novum organiſmum molientes dirigitur, cùm jam barbæ, aut genitalium pili efflorefcunt, odorque ſpecificus efformatur. Nam quòd ſcrophuloſis atque ſtrumoſis res eadem accidat, id à fermento proprio lympham vitiante repetendum eſt, quod, etſi aliquâ parte Metaſtaticum aliquandò dici queat, tamen non quieſcente, ſed potiùs invaleſcente malo, Metaptoſim æmulatur.

Incompleta plerumque ea eſt Metaſtaſis.

Nec verò etiam negandum eſt in illâ glandulosâ Metaſtaſi, etiam ſine aliis ſignis quæ illum proprio ſtigmate deſignent, ex ipsâ rei naturâ & mechaniſmo neceſſario reperiri ſæ-

Fomes ſæpè in his latet, iis curatis evolvendus.

piùs fomitem extraneum, sive ille natalia febri ipsi debuerit, sive extiterit anteà. Sed, ubi ars sanandis illis tumoribus cautam etiam & prudentem curam adhibet, ab illis jamjam solutionem spondentibus & mobilitatem concipiente eorum humore morbifico, novos exardescere videmus quotidie morbos, novasque effici Metastases, quæ, ut plurimùm sub exhantematum & pustularum genere continentur, quanquàm indè & phthises & apoplexias nasci viderint omnes.

Articulorum tumores frigidi à cachecticâ acescenteque humorum crasi.

Lentæ pariter, aut saltem parùm vividæ febris opus est, illi quæ raRò in adultis & robustis, nisi jam à longo tempore cachectici & causarii fuerint, observatur, & ad infantes solos lactantesque, præsertim mulieres, pertinet, in articulos, ligamenta & ossa Metastasis, quâ, præsertim eorum extremitates, mollitiem affectant aliquam: unde, ligamentis hinc laxioribus, illinc etiam, præ partiali spasmo strictioribus, osseque tumefacto, distorsiones nascuntur sæpè per totam vitam durabiles. Inest certè in hisce malis cachexia, quæ pessimo motu actuositatem concepit & acidum virosum extulit: quod, ipso illo naturæ motu, acidum, in partes spongiosas depositum, fit convulsionum materies & cruciatibus localibus, sed pessimè sævientibus, affectus nerveos universales, inauditos & Medicorum ipsorum stuporem inducentes excipit atque immutat, sæpè phthisi inducendæ, aut

cachexiæ adaugendæ natum, aut pessimam utriusque morbi complicationem efficiens.

Horum signa.

Illis urina turbida, jumentosa; illis dolores acres admodùm atque erratici, sed qui, aut ad articulos, aut ad spinam deferantur; illis inquieta nox, anxia vigilia, sæpè appetitus stridens admodùm, gingivis intereà, aut inertibus, aut, si scorbutici quid lateat, tumefactis, &, si non aliqua hujus labis aliundè signa appareant, facies, imò & labra ipsa pallidiora sunt, compressione solâ erubescentia. His etiam abdomen prominulum sæpè sine dolore tumet, nec sine sensu sunt glandulæ. Tument etiam aliquandò pedes, si, quod sæpè fit, æger erectus stare voluerit. Sed aliquandò pedum aut manûum tumores renitentes atque resistentes ex tumore ad articulos pendent, qui solvi quidem videtur, si dolor profundiorem sibi sedem cuderit, & quasi ad articulorum interiora vertatur; tuncque nova dolorifica febris ardorque enascens putridus, cariem ibi sedere ossaque depasci testatur, comitante marasmo.

Cachexia hæc acris per morbos acutos mota.

Rarum quidem est ferox illud malum, cachexiæ acri in motum actæ superveniens, sed non inauditum & prætervisum, si præsertim quid intùs scorbutici latuerit: & hoc quidem sæpè pependit à superveniente acuto morbo, tanquam ab occasione. Sed tamen ab hâc observatione, quæ frequentiùs sub leniori, nec adeò metuendâ formâ erumpit, deducere licet

Metastases etiam chronicas posse ingens inferre periculum : unde etiam artis est eas, si fieri possit, ubi morbis acutis succedunt & locus affectus suadet, actuosas reddere & in legitimam actionem vertere, dùm omnia gaudent naturæ agentis efficaciâ & solidæ partes adhuc illæsæ sunt : nam neglecta talis Metastasis, & simul semper accumulato intùs fomite morboso metuenda, longam, aut feralem corpori labem inurit ; & certè si adultos deformatos interrogare libuerit eorumque audire historiam, patebit eos deformationis, ut plurimos saltem, causam ab infantiâ iniisse, illamque morbis acutis, ut aiunt, malè curatis debuisse. Nullâ enim aliâ in ætate, causis quibuscumque impetentibus, mollis cedit faciliùs ossea compages, aut articulorum ligamenta, quæ adeò doloribus & lymphaticæ glutinosæ congestioni obnoxia sunt.

Familiare est febribus intermittentibus ut in lienis obstructiones desinant. At, quoties lienis ille morbus adest sæpè interminabilis, nec medicamentis auscultans, toties etiam adest morbis illis fomes, qui minimâ de causâ morbum renovet. At tandem qui morbum facit fomes & qui ab ipso morbo factus est, per naturæ efficaciam solvitur. Metastasis scilicet hæc est materiæ pervicacis, indolem suam servantis usque, & eosdem semper effectus elicere paratæ ; sed quæ sæpè post longa temporum intervalla multasque vices, expulsa

Tumores lienis indolentes post intermittentium curam.

ſenſim, quamvis immutata, tandem exulabit. Qui caſus in febribus iſtis evidens, & à plurimis Auctoribus annotatus, forſan non unicus eſt in œconomiâ animali; ſuſpectoſque eos habere licet qui vultu, ore, inceſſu, poſt morbos quos abactos credunt, latere aliquod malum declarant. Illud eſt fomitis latentis, nec extincti poſt Metaſtaſes periculum præſens, quod HIPPOCRATES Τα καταλιμπανόμενα vocaverat. Certè qui illam ſanitatis alacritatem nunquam recuperavêre, hos ſæpè idem recrudeſcens morbus divexat & infida tantùm, causâ nec mitigatâ, nec expulsâ, Metaſtaſis liberaverat. Idque fatale novimus iis qui eodem morbo ſæpè conflictantur.

Herpetum arthritidoſque &c. in internas apoſtaſes mutatio.

Sic herpetes, ſub apoſtaſium nomine, apud Antiquos plus cogniti quàm famoſo nec ſatis definito herpetum titulo, ſi conticeſcant, quod evenit ubi per falſam Metaſtaſim delituerunt, metuendâ herclè mutatione, intimam viſcerum ſubſtantiam labe tacitâ peredunt, nec priùs erumpunt quàm ruinam immedicabilem intulerint. Idem & arthritidi repercuſſæ contingit; novaque in ſalutem Metaſtaſis emicare poterit, ſi rurſùs appareant, cutemque fædent & inficiant herpetes, arthritis articulos; quod ut fiat ſæpè ars inutiles conatus exerit. Nam, etſi longum eorum intervallum poſſit cauſæ defectui & abſentiæ tribui, credique poſſit ex organicæ ſtructuræ

vitio ipſos reviviſcere, plerorumque tamen finis, vel in hydropem, vel rariùs in phthiſim eos teſtatur adfuiſſe & in obſtructionem fuiſſe converſos, ubi jam moveri impos facta materies, nullâ ratione priſtinas ſedes poteſt rurſùs invadere. Hinc proavorum noſtrorum famoſæ adeò de arthritide querelæ, quam pingebant ferocem, quoties incrudeſceret, metuendam quoties ſileret. Ita ut etiam hodie rectè, meo quidem judicio, pro ſigno latentis arthritidis meritòque metuendæ habeatur, ſemel etiam, aut longè diſſitis intervallis eâ laboraſſe; tunc verò ſigna in morbo anomala & erratica tormentum variant. Secretiones pariter ordinem reſpuunt: urina nunc apparet ſedimento gravis & quaſi ipſo onerata; nunc tenuis & limpida defluit, cruditatiſque atque coctionis vices ſeſe quaſi protinùs excipiunt. Nec id arthritidi ſoli competit, ſed omnibus illis affectibus qui, quâcumque de ratione, nunc erumpunt, nunc conticeſcunt, ut ſunt rheumatici illi dolores, imò & ſcorbutici, qui arthritidi quidem affines ſunt, ſed aliquam tamen mutuantur à primævo fomite differentiam.

Signa deliteſcentis arthritidos, &c.

Morbos illos Metaſtaticos, ſive Metaſtaſibus efficiendis chronicis pares, præſagire licet ex cognitione illarum quæ eos olim intulêre cauſarum; ſive Venus impura, aut præpoſterè adhibita fuerit, ſive ingluvies, ſive vini abſurda & enormis potatio. Sed omnibus id

Diagnoſis à cauſarum procatharticarum naturâ.

commune est quòd duplici potissimùm tempore sæviant: primo quidem, & sævissimo, in eâ ætate in quâ primùm incipit imminui SANCTORIANA illa perspiratio: altero, sed leniùs ut plurimùm, desævit quo inertes humores motum concipiunt, vere scilicet & primâ æstàte. Verùm notandum est dictum illud HIPPOCRATICUM, quòd quo tempore frigus & calor eodem tempore dominantur, eodem etiam morbos autumnales expectare oporteat. Unde incerta tempora fomitibus illis semper maligna sunt & metuenda; quippe resurgunt è latebris in quibus eorum actio indormiebat iners, & ipsa oscillationum in fibris variata conditio, perspiratoriique excrementi miscela, nunc aucta, nunc interrupta, novum motum ipsis, sed incertum & inordinatum conciliant.

Temporum & climatum varius influxus in has Metastaseon species.

Hinc ergò tempore illo quo actio imminuitur, aut ejus effectus præpediuntur, autumno scilicet, Metastasis, imò & Epigenesis atque Metaptosis magis apparent, vere verò crisis salutaris magis expectanda est: quippe motus omnes per frigoris ingruentis actionem tardantur, febris minori quidem movetur impetu, sed minùs regulari; multiplicantur humores, & naturæ decursus, viribus elanguescentibus, tardatur: quæ omnia vehementiùs, sed magis ad naturæ normam in verno tempore & illâ solidorum relaxatione peraguntur, notante id, jampridem post HIP-

POCRATEM & GALENUM, BALLONIO. Hinc hieme fiunt Metaſtaſes minùs victrices lentioreſque; quæ æſtate fervidâ contingunt, multò plus ad criſium perfectarum naturam accedunt. Imò qui morbus in ſeptentrionali cœlo Metaſtaſes ſibi poſtulabit, ſub clementiori ſolis influxu criſi terminabitur: unde, Obſervatorum in diverſis climatibus ſcribentium libris perpenſis, multò plus criſium obſervatarum magiſque regularium & ſpem inducentium certam reperies in fervidis regionibus, quàm in iis qui naturam in frigidioribus oris eidem operi intentam deprehenderunt.

Sed in hâc ſummâ cauſarum circumſtantium varietate diverſoque influxu, ubi ad formandam prognoſim qualemcumque ſimul concurrerint invaſio morbi cum corporis viribus collata, & rerum non naturalium accuratè perpenſus influxus, tunc ſummâ attentione perpendendum ſupererit ingenium morbi epidemicum: nam licèt in morbis omnia actione evidenti videri poſſint regi atque dirigi, ſubeſt tamen ſemper latens aliquid quod, niſi exploratum jam fuerit, divinari non poteſt atque præſagiri, notante id SYDENHAMO, ſeque ipſum incuſſante, quòd, hujus ſtudii defectu, in incipientibus morbis epidemicis unus vel alter ægrotans periculum evadere non potuerint, quod omnibus Medicis metuendum pronuntiat. At in hoc quidem viro clariſſimo non aſſentiemur: quippe licèt na-

Epidemicæ in his conſtitutionis influxus.

turæ vias assequi non semper datum sit, hanc tamen sequi semper licet & ultrà salutares metas prodeuntem sistere, tardanti verò calcar addere semper concessum est, nec ultrà tendere. Verùm ejus vias, sive inutili nixu eas affectet, sive salubriter peragat, expiscari attentis & meditantibus ipsa non denegabit unquam. Hinc severæ atque austeræ observationi pretium accedit.

Quæ sit indicatio ex incompletâ Metastasi.

Sed id nunquam attentiùs faciendum quàm cùm incompleta Metastasis exurgit & ægrum solatur, non sanat; illa quidem incompleta est. Talem signis fusè expositis expectare fas erat : sed tamen in eo Medico utilior est quòd vias naturæ indicet, nisi per se pessima sit & à pessimâ causâ inducta, ut est gangræna illa Belsiensis à secali cornuto inducta, quæ, etsi à pessimo malo pendeat illudque sublevet, omni ope atque operâ præpedienda est ; quippe destructioni organicæ ars semper obstare, quantùm in se est, debet, nec nisi causâ jam debellatâ suppurationem expectare fas est. Id etiam de porrigine, de tineâ, de morbis pruriginosis intelligendum est, imò & de plicâ Polonicâ.

Imperfectarum Metastasium prognosis.

Cæteræ omnes incompletæ Metastases & de Metaptosi participes in eâ Hippocratica sententiâ continentur, *Judicatoria non judicantia, partim lethalia, partim difficilis judicii.* Eæ autem apparent in ipsâ dimicatione, victoriâ nondùm comparatâ, & coc-

tione adhuc vix incipiente, nec ſatis formatâ. Porrò nixus illi naturæ vires exhauriunt & iter à naturâ inſtitutum corrumpunt, adeòque compoſitum atque complexum morbum efficiunt. Quamvis autem ſententia illa HIPPOCRATICA, univerſim ſpectata, vera ſit atque animo tenenda, dantur tamen caſus in quibus Metaſtaſis illa, nedùm noceat, prodeſſe poteſt. Sic dantur morbi per ſe paroxyſmis conflati, poſt quos Metaſtaſis fit eryſipelatoſa, quæ, per intervallum perſtans & quaſi immobilis, rurſùs paroxyſmo redeunte attenuatur, poſteà verò augetur, deferveſcente paroxyſmo, donec imminuatur ſenſim per plures paroxyſmorum reditus. Impetus naturæ in cauſam agit quam attenuat. Symptoma ipſum ceſſantis efferveſcentiæ & partialis coctionis peractæ ſignum eſt. Idem etiam accidit Metaſtaticis illis lienis tumoribus qui, febribus intermittentibus erumpentibus, poſt primos paroxyſmos apparent, &, ſi imprudenti medelâ febres ſuſtuleris, remanent forſan immedicabiles affectus, quos febris ipſa certò certiùs ſuſtuliſſet.

In genere tamen, licèt ſæpè ſæpiùs in febribus malignis parotides appareant quæ Metaſtaſim efficiant minùs perfectam, & quas cauterio ad ſuppurationem advocare utile ſit, ut, vias naturæ ſecuti, ipſi oppoſita vincamus obſtacula, fatendum eſt Metaſtaſes illas poſſe ſine periculo cum Metaptoſibus confundi, in hoc quidem utiles quòd materiem morboſam

Imperfectæ Metaſtaſes cum Metaptoſibus ſæpè confundi poſſunt.

è naturæ centro detrahant, adeòque onus ferendum imminuant. Sed quid ipſis fiduciæ tribuendum ſit ſola indicabunt coctionis ſigna; nam, ſi certo tempore illa appareant perſtentque, omnia ad ſalutem ægri accommodari prædici poteſt. Hujus ſi defuerint ſigna, nil tibi ſperandum ſupereſt, niſi ut res in meliorem ſtatum, tardiùs quidem & protractiori morbo, vertantur. Hi Metaſtaſium nixus, ſine ullâ præviâ coctione, aut tantùm ſub inconſtantibus coctionis ſignis emicantes, quæ ſæpè falsâ ſpe illudunt, deliteſcentiam efficiunt, ſæpiſſimè lethalem. Scilicet non ceſſat natura, ſed inter ipſos ſuos nixus inutiles occumbit, aut, ſi plus pertinaciæ quàm ſævitiei profert morbi cauſa, quod efficaciæ natura amiſit pertinaciâ debet compenſare. Imò hinc morbi acuti vertuntur in chronica pathemata, vitâque reſtitutâ, ſanitatem vix datur attingere.



CAPUT QUARTUM.

De morborum mutationibus quæ à complicatione pendent.

SI ad prædicta & præcedenti tractata elucubratione attendimus, minùs mira Medicis videbitur morborum aliorum in alios mutatio, quæ tantoperè minùs gnaros admiratione percellit; ſive enim mutatio illa ſalutaris ſit, ſive in perniciem abeat, tamen nobis aut Epigeneſim, aut Metaptoſim, aut demùm Metaſtaſim exhibet. At, ſi illa, quæcumque ſit, aut Epigeneſis, aut Metaptoſis ſalutaris evadat, aut criſi locum dat, aut in Metaſtaſim deſinit. Complicatio enim adeò famoſa, morbos efficiens & complexos & notabiles ſymptomatibus diſparibus, huc ferè revocatur; quippe quæ à diverſis, imò ab oppoſitis cauſis inducitur mutatio phyſica, tamen ad unum effectum prædominantem illum refertur, invadente cæteras concurrentes cauſas affectione principe, eaſque in ſe diſparibus quidem primò & in morbi principio phænomenis, ſed poſteà in unum finem & unicam mutationem conſentientibus, ut notaverat dudùm HIPPOCRATES. Omnia enim in naturâ à ſummo rerum Conditore ita ſapienter fuerunt ordi-

Complicationum ratio.

nata ut, licèt nixum eorum legeſque quibus reguntur prætervideamus, extraneum illud & inexpectatum, quod ſolâ infirmitate ſensûs noſtri abnorme apparet, per ſe tamen regulatum ſit, & legibus æternis in omni ſuâ eſſentiâ connexum. Ita Epigeneſis à causâ pendens prorſùs à morbo alienâ, duas in corpore cauſas, adeòque multiplices effectus elicere poteſt. Sed evidens eſt à duabus cauſis ſimul corpus impetentibus tertium quid enaſci, novum quidem, ſed quod, ab utrâque formatum, per varia phænomena morbum tamen unicum efficiat. In principiis quidem morbi, actione naturæ nondùm conſtitutâ, ſuis ſe quælibet cauſa detegendam ſinit phænomenis: at, ubi natura vires exeruit, cauſæ omnes & ſingulæ certamine uno involvuntur, ceſſant ſymptomata ad alterutram pertinentia, nova ex compoſito & complexo vitio efformantur & enaſcuntur. Hinc rebellem morbum expectare fas eſt, quippe occupatur naturæ vis circà complexum fomitem. Unde fit ut ſæpè in hiſce caſibus Metaſtaſis legitima criſi prævia ſit, criſis Metaſtaſi; novaque circà finem morbi complexionis idea renovatur & enaſcitur. Is eſt ſcilicet corporis mechaniſmus, ea hujus organiſationis actio, ut Epigeneſis illa complicationem inducens, quæcumque ſit, nunquam ſimplicia phænomena, & qualia ſola produxiſſet, efficiat: quippe corpori jam mutato nova ſuperveniens mutatio, com-

Duæ cauſæ ſuis diſtinctæ phænomenis, in morbi decurſu, naturæ actione, confundi poſſunt.

plexos atque combinatos producit effectus; imò dùm formato & constituto malo se sociam addit, brevi naturam ejus, aut induit, aut immutat. Indè oritur quid novum, proprietates novas sibi aptans, mutansque naturæ decertationem; attamen unico certamine res conficitur. Id quidem in solis affectibus acutis observare licet, non in chronicorum inertiâ, quæ solis patet Epigenesibus.

Complicationes ab Epigenesibus.

Epigenesis causæ morbi adversa ipsi pro remedio fit.

Et certè Epigenesis, corpus immutans, non sub uno, aut simplici intuitu spectanda est & perpendenda. Eam quidem primo intueamur aspectu, quæ priori mutationi morbum constituenti contraria sit; illius effectus ea retundit, & ei ipsa remedio est. Hanc omni ope atque operâ sibi postulant, & efficere, aut saltem imitari conantur Medici. Sic ulcus, aut vulnus hydropi illatum, aquas aliquandò cum levamento extrahit, & id quandòque videmus in ulceribus per accidens inductis, quæ, vel combustio, vel vulnus quodcumque in cruribus tumefactis induxit. Hinc edocti scalprum tumidis cruribus admovimus Medici. Sed Epigenesis hæc ulcerosa quantùm nocebit, si lymphæ stagnanti putridam conciliaverit illuviem? Sic accidentaria, vel etiam naturalis, ut in menstruatis mulieribus, hæmorrhagia, venæsectionem efficiens, inflammatorium furorem compescuit. Sic etiam improvisa apepsia ingluviei debita, quantumvis ut plurimùm mala maximè metuenda intulerit, aliquandò ta-

men, dùm repetito vomitu machinam ſuccutit, convellit, movet funditùs, cauſam ſæpè reſidem abſtulit, imò diarrhœam effecit in morbis capitis atque pulmonum ſalutarem. Idem dicendum de abſurdis devoratis, de quarumcumque rerum non naturalium influxu, quæ, ut rectè directa poſſunt ſanitatem afferre, ita in ſtatu naturali per ſe nocerent, & in morboſâ corporis conditione poſſent Epigeneſim efficere.

Remediorum actio Epigeneſis vera eſt in morbis.

Uno verbo nihil aliud afferunt medicamenta præter Epigeneſim illam. Hinc tanti momenti res eſt iſta recto uſu admovere : nam Epigeneſis quam advehunt, ſi malè morata fuerit, morbum quidem immutat & tollit ſymptomata priora, ſed alia accerſit, ut toties videre eſt in HYPERCATHARSI, quæ quidem inertem ſaburram ſuſtulit, at inflammationem inteſtinorum & omnia invexit debilitatis nimiæ mala, quamvis illa catharſeos adhibitio poſtularetur ab indicationibus ; ſed vel præmatura illa fuit catharſis, vel nimia.

Quæ ultrà modum inducta morbum novum priori curato ſubſtituit.

Alter hîc ſeſe offert Epigeneſeos per artem inductæ caſus, in quo, licèt indicata fuerit inducenda Epigeneſis, tamen proportione peccat illa cum causâ lædente, unde deſtruat quidem priorem, ſed hujus loco malum aliud invehat. Ea nunquam magis annotanda fuit quàm in actuoſis medicamentis & irritantibus, quæ ſæpè, cachexiæ vincendæ adhibita, eam quidem aliquâ ratione ſuperant, ſed ſæpè hujus

hujus in locum, imò & cum ipsâ, necdùm superatâ actione violentâ, inflammatoriam dispositionem inferunt, ardoremque fervidum cum cachexiâ jungunt, si ita fuerint constituta ut simul inflammando debilitent, ut familiare est drasticis illis medicamentis, quæ ex resinis & aromaticis conflantur, hinc stimulantibus, illinc vacuantibus, venenorum certè ratione agunt. Longum foret Epigenesibus ab hâc causâ inter Agyrtarum manus pendentibus diutiùs insistere, cùm actio medicamentorum mechanica inter morborum causas ab omnibus rectè recenseatur, adeòque inter Epigeneses jure locum obtineat. Natura verò idem mutationis genus efficiens, Epigeneses illas in chronicis morbis lentiùs efficit. Sic loci, aëris, alimentorum mutatio, contrarias inducens in corpore morboso dispositiones, pristina vitia sustulit. Sic herpetibus tollendis sæpè satis fuit in calidiora climata digressus; imò ipsi imminenti phthisi ultramarina expeditio remedio fuit; & Romanis morbosâ illâ dispositione laborantibus familiare fuit in Ægyptum emigrare; successum ad ipsam transmarinam peregrinationem referebat Plinius. Aliundè multis quoque, dùm phlogisticâ atque biliosâ phthisi laborantibus profuit umbrosa atque frigida loca quærere, id sæpè accidit ut loco diatheseos illius inflammatoriæ nascatur cachexia, quippe in omnibus casibus

fines ſunt certi extrà quos nequit rectum conſiſtere.

Sic cachexia inflammationis loco ſæpè inducta, &c.

Imò ſæpè, poſt inflammatorium erethiſmum ſolida irritabilia criſpantem, denſantemque fluida, ubi ſedata ſunt omnia, ſequitur atonia proportionalis tenſioni præcedenti; quippe fracto tono, eò ſolida laxantur magis, quò fuerit tenſio violenta magis: undè nihil adeò commune eſt, præſertim ſi victûs ratio cæteraque non naturalia in eumdem ſcopum concurrant, quàm ut morbi cachectici quaſi Epigeneſis morbis inflammatoriis ſuccedant, & æger, cui metuebamus phthiſim, abeat in hydropem. Id inter manus, vel etiam eorum qui ſeſe fingunt doctos Medicantium, accidit, ubi præpoſteris venæſectionibus ægrorum vires proſtravêre, ut ſæpè contrà phthiſis eos excepit qui parcâ nimiùm manu, timidi & hæſitantes, phlebotomiam adminiſtravêre; utroque in caſu Epigeneſis mala. Nam, dùm remedium præſenti malo quærimus, contrariamque inducimus Epigeneſim, in vitia adverſa, imò & oppoſita furtim delabimur. Hinc Medicorum doctiſſimorum ars ſæpè fuit corpora quæ venæſectionibus diluentibuſque debilitavêre, lentè cardiacis & actionem moderatè augentibus reficere. Hinc etiam conſtat effati illius Hippocratici veritas: quæ corpora lentè attenuata ſunt, lentè reficere oportet. Ultrà enim metam feretur quicumque contractum mali habitum impete facto

tentaverit restituere; revivifcet erethifmus in prædebilitato corpore & jam ad conatus efficaces impari. Porrò in eo artis prudentia consistit, ut dùm morbi fequelas profligamus, latentes ejus non exfufcitemus fcintillas: latet enim aliquandò fub atoniâ erethifmus, non univerfalis quidem, fed in parte aliquâ concentratus. Sic violentior medicamenti ftimulantis, quod fub roborantis titulo adhibueris, actio, veluti cineri fuppofitum dolofo, poteft priftinum revocare incendium: latentis verò hujus erethifmi figna in urinis, in pulfu deprehendes. Adhucdùm hîc in fuâ etiam parvitate duritiei aliqua fervat figna: illæ tenuitatem nimis limpidam infpectantium oculis offerunt.

Ars Medici omnis in moderandâ hâc remediorum Epigenefi.

At verò ex hoc phænomenorum morbis fupervenientium intuitu fatis deducitur Epigenefes illas, ab arte accitas & ab illâ moderandas, à naturâ auxilium invocante requiri fæpiùs, quatenùs in ftatu fano per fe nocuæ, vitium præfens & exceffum peccantem emendant atque corrigunt. Idem ergò dicendum de omnibus rerum naturalium intrà morborum fpatium concurfibus, quæ, vel rectè, vel malè adhibita, ut morborum, fic fanationum caufæ efficiuntur. Tales funt quæ nunc à pleniori diætâ, nec viribus proportionali pendent, nunc à ftrictiori & tenuiori, ut notavit HIPPOCRATES & ab HIPPOCRATE BOERHAAVIUS, priori magis metuendâ: fiquidem na-

tura ſola vires reſarcit : nec ars alimenta nutrientia poteſt concoquere; quæ ad pleniora vacuanda potens, ad amiſſa reſarcienda nullâ ratione poteſt conferre. Hinc peccata in regimine adeò ſæpè plectuntur ægri. Quod tamen doctrinæ inſtitutum ſæpè ſolum ſufficiens fuit ad ſuperandos acutos morbos arti per ſe minùs obedientes.

Epigeneſeon aliud genus fortuito incurſu morbum mutans.

At datur alia Epigeneſeon claſſis verè fortuita; hæc morbo non oppoſita, adeòque ipſi curando nullâ ratione conferens, vires contrà morbi auget, morbi extricationem impedit, virium exercitio obſtat & morbis, aut longitudinem infert, aut pericula. Epigeneſes illæ poſſunt quidem omni morbi tempore, mutatis phænomenis, atque pro corporis conditione variatis effectibus, illuceſcere; ſed brevì, ſi ſalutem augurari fas eſt, omnia ad eumdem phænomenorum ordinem revocantur.

Aëris frigidi admiſſio ſubita.

Sic frigidi aëris effectus inſoliti atque ſubiti multis in affectibus ordinem naturæ mutant, &, ut nova ſymptomata excitant, ſic acriſias faciunt. Sæpè incauta aëris admiſſio febri addidit dolores rheumaticos, aut, dùm ſudores ſupprimit, vomitus, nauſeas, tuſſes concitavit. Sic infantibus in febre levi ſuppreſſa perſpiratio quintanas tuſſes longo vix ſolubiles tempore effecit, imò & tumores puſtuloſos, aut phlyctænoſos, ſæpè redivivos, aut tardè ſuppurantes : ſic, in ardore inexpleto febris bilioſæ ardentis, glacies manibus contrectata,

frigore agens, icterum intulit frigusque penè gangrænosum. Sæpè, incauto aëris usu, febris moderata in erysipelas abiit vultûs atque faciei, quod semel constitutum longo tempore in has illasve partes renovatum desæviit. Ab illâ causâ sæpè catarrhi per Metaptosim ulcera effecêre; quantùm noceat in casibus chirurgicis aëris & tempestatum inclementia, nemo est ex Chirurgis qui non observaverit. Convulsificum esse frigus jamdudùm annotavit HIPPOCRATES. Certè maximè notanda & metum incutientia nervorum symptomata ab hujus subitâ actione concitantur. Porrò nihil adeò regulari motûs febrilis actioni nocet, quàm irregularis ille atque inconditus spasmorum tumultus, causaque vehementissima esse debet atque ferè funesta quæ febrem interrumpit spasmis, quibus continendis atque sedandis vulgò febris comparata est. Hinc jure meritòque in febribus emicantes subitò spasmos exhorremus: quippe id saltem ab iis expectandum, partes illas quæ motui & sensui præbent originem, à causâ ipsâ impeti; quod in febribus sic dictis malignis non raró observatur.

Contrà caloris æstuosi scelus est ut putrescant omnia in morbo febrili. Hinc ab eo solo tot nascuntur maculæ, vibices, petechiæ, miliares eruptiones, hydroa, quæ in febribus insularum Americanarum Medici omnes annotavêre. Adde ariditatem linguæ, faucium, Aëris æstuosi accessio.

imò & pulmonum ipſorum, ab aëris æſtu in molem humorum agente & ipſum colliquante: unde febribus complicantur ſimplicibus anginæ ſpuriæ, tuſſes ſymptomaticæ ſic dictæ. Quid jam de pruriginoſis morbis ab hâc causâ naſcentibus dicamus, aut etiam herpetibus, non iis qui per vim morbi educuntur, ſed ex ipſius fundo naſcuntur, additâ acri materiâ excrementosâ; non Metaptoſim nec Metaſtaſim efficiunt illi, ſed malum malo addunt. Putridum acre quale naſcatur ab aëris ſtagnantis & putridi exhalatione norunt omnes illi, qui febrium illarum ſalutarium intermittentium inde mutatam indolem quotannis obſervant. Rectè pergebat morbus ſua decurrens ſtadia; mutatur illicò aëris conditio, vixque elaſticam ſervat facultatem, illicò naſcuntur nauſea, vomitus, cibi faſtidium, animi demiſſio melancholica, brevique ſeſe comitem addit icterus. Verùm illa mutationum in morbis cauſa nimis nota eſt, ut ad illam diutiùs attendamus: ſuffecerit hîc annotaſſe complicationes illas, ſive ſymptomata ad Metaptoſes referenda, raro admodùm aliquid indicationibus curativis immutare: princeps cauſa, morbus ſcilicet omni operâ tollendus eſt; niſi in veram Metaptoſim illa ceſſerint, novumque protulerint morbum. Sit ſatis ad obſervationes SYDENHAMI & ante ipſum BALLONII revocaſſe harum rerum ſtudioſum. Hi Authores attentè notaverunt

quanta mutatio fiat in morbis, quanta Epigeneſeon varietas oriatur in affectibus, veneno graſſante epidemico, ſive eum in autumno, ſive vigente vere ſpectaveris. Verùm nulla feralis magis Epigeneſis quàm ea quæ à triſtibus animi motibus infertur. Stupor actiones omnes nervorum ita in morbis neceſſarias occupat, ut jam nulla actio ſperanda ſit; tuncque aut, cerebro ceſſante, Epigeneſis fit, aut, causâ illuc delatâ, Metaptoſis, veraque cauſarum complicatio. Verùm Epigeneſis, conſtringens & quaſi alligans omnia, morbi faciem immutat; inflammationis loco, quæ, utut ſæpè funeſta, tamen certum ordinem ſervat, ſpaſmus viget durus, iners, ob corporis & præcipuè cordis majorumque vaſorum ſtricturam; fit icterus, ſtrictis vaſis enaſcens, non criticus; brevi ventriculus nauſeat, viridia, capite obſeſſo, evomit; ſcybala nulla expectanda ſunt; urinæ, aut ſupprimuntur, aut tenues evadunt, quique actionem geſtibus & voce exprimebat gemens, taciturnus, tremens, veternoque triſti occupatus æger vix jam vitalem auram carpit. Deliramenta ipſa triſtia ſunt, moroſa; languentibus reſpirationis muſculis fit illa ſuſpirioſa, aut interciſa, aut intrò revocata; vultus decolor, muſculi faciei collapſi, & oculi, aut lacrymoſi, aut demiſſi: brevì ſpaſmus labia, guttur, linguâ tremebundâ, occupabit, præclarèque ſecum agi clamitabit

Mutationes morborum ab animi affectibus complicatis.

æger, ſi mors tantis malis medeatur. Urinæ, in ſpaſmo melancholico, turbidæ, & quales jumentorum minguntur. Peſſima eſt quæ turbida, nihil deponens omnia confuſa arguit; melior ſi è turbidâ limpidior evadat & ſedimentum deponat copioſum; inter utramque anceps quæ, limpida reddita, citò turbatur: ſupereſt ſcilicet aliquid in naturâ virium, ſed incertarum & titubantium. Ira furor brevis morbum ſanatu facilem in phrenitidem immutat; ira ſuppreſſa illa, cordis palpitationes invehit & erethiſmum latenter auget, uno verbo ut omnia complectar, morbum merè organicum in nerveam indolem immutat.

Quocumque à nerveo affectu.

Spaſmus qui à quâcumque causâ morbo ſuperinductus, ſive lentus ille ſit, & atoniam ſimulans erethiſmumque diſſimulans, ſive vehemens fuerit & ſtringens omnia criſpatione evidenti, ſive fugax ille ab aliâ in aliam partem circumferatur, ita agit ut eo præſente nulla ordinata & regularis actio ſit ſperanda. Nerveus adeſt organicæ atoniæ autor tonus; rigores, horrores, aut univerſales, aut etiam in unâ parte, febrilem interrumpunt ordinem, imò ipſum vix niſi per intervalla emicare ſinunt; morbum in catalepſim verti aliquandò obſervationes edocuêre. Aut etiam dùm convulſiva diatheſis & deliria diſſimulata, ſed vera procreantur, dùm oculorum nitor extinguitur, dùm tendinibus ſubſultus impri-

muntur, febris oritur illa durabilis ſub nomine febris lentæ nerveæ cognita, & ab Authoribus deſcripta. Cauſa hîc certè in corpore jam anteà ægrotante adeſt multiplex. Vixque morbus adeò compoſitus, ſine multiplici cauſarum concurſu poteſt intelligi. At in eo mechaniſmus conſiſtit morbi, ut luctam & certamen naturæ in unicum tendentis ſcopum tardet, aut augeat; ſitque adeò morbus ex leviore gravior; ex ſolubili infarctu fit infarctus, aut Metaptoſim ſibi aſſumens, aut ſperans à naturâ Metaſtaſim.

Indè aut morbi nondùm exacti recrudeſcentia, aut durabilis convaleſcentibus impreſſa labes.

Verùm inuſta labes non intrà ſtadium morbi terminatur: ut enim, ſi ſub ejus ſtadio non ſoluto, nec omninò convaleſcentibus ægris caſus ille accidat, ne morbus redeat metus eſt; ita etiam in medio morbi metus, aut mœror, aut ira invadens tonum novum nervis indit. Tunc exacto morbo, (quod ſperare non licet, niſi jam inclinante morbo & quaſi devicto Epigeneſis illa inciderit) nervi ſæpè acceptam perniciem ſervant, Epigeneſiſque illa non ſolùm morbi ſtadia longo ſuperat intervallo, ſed etiam per longiora vitæ ſpatia protenditur. Quæ enim infirmato corpori nota inuritur, ea profundiùs penetrat & longam impreſſionum ſeriem ita ſervat, ut aliquandò etiam ab hâc causâ mania & inſania pullulaverint. Verùm, notante id doctiſſimo MEADIO, notam hanc ultimam altè impreſſam ſæpiùs fecit inexpectata lætitia, quæ, tonum pariter nervorum

conturbans, & à ſtatu ſano dejiciens, circuitum potiùs auget atque cæterarum functionum liberius exercitium, ita ut mœſtitia nimia mortem accerſat, lætitia inſaniam: tanti eſt momenti in morbis omnibus mentis motus compeſcere & moderatum animi tenere morem: vincula enim quæ inter idearum fontem & corpus intercedunt, licèt minùs cognita, effectus tamen manifeſtos efficiunt. Quid ipſe viderim de animi affectibus Epigeneſim efficientibus in morbo maximè chronico, ipſumque prorſùs immutantibus, liceat hîc enarrare.

Exemplum inſigne rerum externarum in morbos actionis.

Laborabat vir quinquaginta annos natus arthritide venereâ ſummè cruciante, ita ut ad motum ineptus eſſet, cruraque erectum ipſi ſitum debilitata, imò & macilenta recuſarent. Reus fit capitis & fortunarum malè conſumptarum; in carcerem conjiciendus apprehenditur. Illicò arthritis illa & omnia ceſſant ſymptomata. Scriptis diu noctùque vacat: perpauco alitur cibo: inſontem judex pronuntiat. Domum reduci poſt quindecim dies integros, poſt quindecim noctes anxias & inſomnes, dùm ipſi gratulamur omnes, illicò cum ingenti cruciatu ſpina & incurvatur & diſtorquetur; urgent eum negotia jam mitiora & vitæ tædium inexſuperabile. Quid multa? Res eum coegêre ut in eo ſtatu ad Indias ſeſe exulem amandaret; negat eum tranſcendere Navarcha moriturum; cedit tamen, & Pelago immergendum aſportat, felicem jam &

à negotiis diſſitum operoſis. At vix in calidiores oras pervenit cùm ſudoribus actus eſt morbus ſpontaneis & viro incognitis ; priſtinum vigorem ſpina recepit directamque ſe fecit, ita ut vino & Veneri incautè & imprudenter, ſed impunè tamen, ſeſe tradiderit ; nec dubium ſinit de tabi venerei exiſtentiâ, lues quam ſcorto Pariſienſi reliquerat evidenter veneream, quam ſuſtulit uſus mercurii. Sed dubium non eſt quin, ſi rurſùs in ſpinæ articulos morbus non concidiſſet, brevì ipſi fuiſſet occumbendum. Nec crediderim ullum ſibi ſpondere potuiſſe Medicum ſucceſſus inſperatos, quos à fervidiori Mozembicæ aëre ſibi reperit. Unde duo nobis exempla profert caſus ille, tùm felicium, tùm infelicium Epigeneſeon, quæ potuerunt à rebus externis induci. Nec raró Medici ægro durioris impotens loquacitas, morbo jam ad curationem progredienti fecit acriſiam, & Metaptoſim creavit, atque à terrore, Epigeneſim.

At ingluviei & malè directæ diætæ incommoda quàm multa ſint ad Epigeneſes efficiendas videre qui voluerit, adeat ruſticorum caſas, autumni præſertim degeneris tempore. Ibi enim, poſt morbos epidemicos inflammatorios plerumque, & à laborioſâ meſſi contractos, cachexiam & hydropem, vultûs decolorationes, & tandem febres inveniet maraſmodes lentas, quantùm à priorum genere diſſitas ; circà quæ, ſatis abundè cognita, *Ingluviei & pravæ diætæ influxus in morbos.*

insistere extrà operæ limites foret, cùm præsertim plus sequelam morbis quàm in iis veram efficiant complicationem. Præjudicatas omnes huc referas etiam à rerum gnaris acceptas opiniones: quosdam videas qui bellè cum naturâ agi credunt, si se nimio aquæ potu jam fractos diluant. Alios qui enormi se macient inediâ, symptomataque sibi adsciscant è debilitate composita atque spasmo, qui veræ febris locum occupat. Quasi verò non illud esset ingens artis opus HIPPOCRATICÆ alimenta semper viribus proportionalia ægris offerre, quibus benè dirigendis tota Medici cura allaborare debet, ne prægravet alimenti materia, aut contrà deficiat resarciendis viribus; in quibus tota & integra constat reconvalescentiæ essentia, non aliundè unquam quæritanda, nisi tamen levibus egeat natura cardiacis, ut fulciatur, non irritetur ventriculus. Verùm in his omnibus supervenientibus quasi accidentariò causis scitè cum HIPPOCRATE notandum est, quòd quæ accidentia subitò & quasi improvisò concitantur, si cum naturâ morbi jam existentis ita non concidant ut ipsum alere queant, fugacia sunt, atque brevi sublato causarum impetu & præsentiâ tolluntur; *ita ut ex ejus doctrinâ non ultrà viginti quatuor horarum spatium erroris illius effectus protendantur; cùm morbus ipse, aut potiùs naturæ nixus iis tollendis pares sint. Metuenda tantùm erit quæ causa

Supervenientium ab externis rebus in morbis accidentium prognosis generalis.

vivax repetitis ictibus naturam conteret, ejusque obtundet efficaciam.

Quas jam Epigeneses in morbis efficiant, aut præpostera menstruatio, aut hæmorrhoïdum malè accersita vacuatio, ex dictis hariolari fas est : sed nihil potentiùs naturam morbi immutat quàm partus superveniens, sive alieno, sive legitimo tempore accidat : nam non solùm directiones omnes naturæ in hunc solum actum intenduntur &, cæteris omnibus omissis, in hunc unum conspirant, sed omnes cavitates cellulosæ lacteo turgescunt humore, qui, si acredinem combiberit aliquam, illicò lues hæc universalis omnia corrumpit & pessimam undique dispertit indolem, à viribus naturæ fractis vix vincendam & superandam. Notandum tamen est, quòd observatio demonstravit, morbos inflammatorios minùs violentos esse in illo perpetuo lochiorum fluxu & dulcissimi lactis miscelâ. Id evidenter apparet quoties variolæ in puerperas incidunt : numerosæ enim apparent papulæ, quæ, lacteo candore insignes, vix se sinunt exsiccari durationemque morbo efficiunt, felices illæ si non à febre in lac agente aliquam nanciscantur rancidam putredinem. Sed quicumque fuerint morbi illi, multiplicibus terminantur vacuationibus, easque ab artis sedulitate faciendas ista postulat corporis conditio.

Partus in morbis quid mutet ?

Quid jam hîc addamus de venenatis atomis quæ, si in corpore per morbi efficaciam nas-

Quid afferant contagiosa miasmata ?

cantur, aut Metaptosim faciunt, aut Metastasim, sed morbum novum non procreant; si aliundè accita fuerint, jam morbum priori additum efficient, veramque complicationem, modò id annotetur quod ipsa indicat ratio, corpora jam alio morbo occupata multò minùs patere contagio: quippe in febrili impetu vis absorbens, vasis animalibus in sanitate constitutis propria, perit omninò nec jam exerceri potest: ita vel ipsam quartanam in peste adversùs eam præsidium attulisse notaverunt Massilienses Medici.

Epigeneses quæ morbo nihil addentes nec mutantes ab eo distinctæ manent.

Dùm verò sectamur Epigeneses morbo complicando idoneas, superest genus aliud hîc omni dignum attentione, earum scilicet quæ morbo ipsi nec addunt nec detrahunt, sed duplicis generis effectus inducunt; quod expositis principiis fieri, aut intelligi non potest, nisi in læsione functionum mediocri admodùm; secùs enim confunderentur omnia. Exemplum nobis præbent febres intermittentes, quæ cum continuâ aliundè accitâ grassantur: mixtam curationem sibi postulant illæ. Sed, sublatis illis, secundùm Cl. Torti & Morgagni doctrinam, continua degener sæpè sublata est, nec proprio indiget piaculo. Peripneumonia etiam cum saburrâ intestinali conjuncta, potèst hîc aliquâ ratione recenseri, dùm symptomata concitat, quorum alia ad ipsius thoracis arcem referuntur, ut sunt tussis, lateris dolor punctorius, suffocatio, screatus

flavi & biliosi seri; alia verò vomitus, nauseas, cibi fastidium comprehendunt, & complexâ indigent curatione. Arthritide in articulos sæviente, si febris intermittens emicet, in hâc complicatione vulgò arthritis tempore paroxysmi cessat, & vehementior mitiorem dolorem dolor obscurat, & quasi cessare facit redivivum cessante febre. Ita annotasse videtur HIPPOCRATES quòd insultus epileptici febre emicante non appareant qui posteà febre cessante renovantur.

Satis hæc fuerint ut Epigeneseon morbos complicantium & in eos incidentium fata & actionem intelligamus. Nam quòd, v. g., pustulæ in variolis nigrescant, quòd cum miliari eruptione variolosa complicetur, id non complicationis morbosæ nomine designatur, sed potiùs augmentum est in ipso morbo, quod etiam de erysipelatosâ diathesi, aut de petechiis erumpentibus dicendum fuit. Jam scimus satis de Metaptosibus quid censendum sit, quæ à viribus morbi cùm absolutè pendeant, semper malæ sunt, copiamque aut acrem efficaciam materiæ designant. Harum signa à cruditate materiæ repetenda esse jam diximus, intempestâque in augmento apparitione. Sed hæ complicationum titulum sibi arrogare non possunt, etiamsi symptomata multùm diversa sibi vindicent, nam hæc morbus ipse produxit & extulit. Sic icterum in morbis biliosis præmaturum, lethalem esse

Metaptoses in morbis per se complicationes non faciunt.

Hippocrates edixit, qui eumdem, in morbo jam maturo & præcedente coctione adeò ſalutarem pronuntiat. Idem de bubonibus & parotidibus ſcripſerat. Senſûum quorumcumque amiſſionem, imò unum oculum altero minorem fieri, aut convulſiones quaſcumque, cæteròquin febri adeò infenſas, in febre adeſſe funeſtum nos edocuit. Hæ quidem Metaptoſes ſunt; at hæ Metaptoſes, cùm ab acredine materiæ, aut ejus copiâ pendeant, morbum quidem magis exitialem efficiunt, ejuſque fata immutant; at morbo ipſi diverſitatem indolis non impertiunt, niſi vires fregerint, aut earum actuoſitatem retuderint. Tales ſunt hæmorrhagia juvenum, diarrhœa adultorum, fluxus hæmorrhoïdalis præpoſterus; morborum quidem primò ſymptomata ſunt illi affectus accidentales; at complicatio mali naſcitur ab eorum effectibus, quibus omnibus morbus fit in cachexiam degener. Sic ipſa inflammatoria humorum conditio, centri ſibi nanciſcendi jam impotens, huc fertur & illuc, parteſque omnes alternè quaſſat & concutit; ſi ferox & violenta fuerit, ſuffocat, angit, & in gangrænam ſine inflammatione degener it; ſi levior fuerit, rheumatiſmi ſpeciem æmulatur, cui ferè ſemper ſe comitem addit melancholia, in quam deſinit denſum illud inflammatorium, ubi ſemel vires acciſæ erethiſmum non ſinunt & actuoſitatem naturæ

At ex Metaptoſeon effectibus oriuntur variæ morborum complicationes.

Complicationes ab inflammatoriâ Metaptoſi natæ.

enervant. Sed horum accidentium pleraque morbi potiùs ſuccedanea ſunt quàm ejus comites.

Ab eryſipelatosâ Metaptoſi.

At morbum, & quidem crudeliter, immutat eryſipelas, in phrenitidem, anginam, pleuritidem abiens. Furunculus ipſe cui ſuppurandi copia adempta eſt bellè cum corpore agit, ſi tantùm in pruritus abeat, enormes illos & acredine inſigni vigilias, anxietates, ſitim inducentes. At aliquandò moles illa, acris & irritans, glandulis ferè inſenſilibus accepta, earum actionem præpedit & in ſcirrhoſam duritiem vertit; unde ſæpè diarrhœas naſci & hydropis pericula induci ab eryſipelate repreſſò viſum eſt. Hæc porrò Metaptoſis, ſæpè à morbo acuto naſcens, quem amoviſſet ſuppuratio prompta & facilis, in chronicam vertitur ægritudinem; vix ullis ſanandam artis auxiliis. Quò enim labes illa acris ſubrepit occultiùs, eò etiam fixiùs incumbit, nec jam erethiſmi febrilis impetu vincendam ſe ſinit. Naſcitur forſan, nec rarò in prædebilitato corpore, à ſtimulo inducto erethiſmus inutilis: talis eſt ille qui partem aliquam incaſſùm adoritur, cæteris intactis, imò per atoniam præviam relaxatis. Hic, cùm vires corporis in ſui ſubſidium non acceſſat, incaſſùm furit, morbumque chronicum & parti addictum alicui facit. Dolet æger miſerrimus, &, ſi lento non conficiatur maraſmo, oritur animi & corporis ægritudo;

unde melancholia primùm, poſteà hydropes ſequuntur ; quæ quidem ſequelæ, per ſe peſſimæ, ſæpè morbo acuto malè ſanato debentur. Infortunium illud non raró iis accidit quibus, dùm inflammatorio laborarent morbo, evenit ut, vel ob ætatis in ſexu periodos, vel ob multiplicatas nimiòperè venæſectiones, per ſanguinis effluxum vires ante coactionem peragendam concidant & collabaſcant. Tædioſa, incerta, morbo ipſo triſtior remanet reconvaleſcentia periculi plena. Pedum tumor, anhelitus, ſuffocatio miſeros divexat, & complicatio debilitatis jungitur cum phlogoſi inerti & inutili. Id etiam in infantibus à lacte depulſis & dentitione laborantibus pluries viſum ; cùm univerſum glandularum meſaraïcarum ſyſtema poſt febres, imò & poſt convulſiones materie hoſtili obruitur, atque infarctum indureſcit & ſcirrhoſum adeòque inutile evadit. Brevi virideſcens diarrhœa maraſmum imminentem denuntiat; imò ſæpè complicatur in miſellis cum hydrope ſuppuratio. Verùm mutationes illæ Metaptoſim facientes, omnibus æquè in ætatibus à ſaburrâ inteſtinali aliquandò oriuntur, à quâ, ſi dicere fas eſt quod demonſtravit obſervatio, morborum per ſe ſimplicium, mox verò ſeſe vel periodicè, vel erraticè reduplicantium complicatio ita pendet, ut ſæpè alter alterum excipiat continuò paroxyſmum ; undè ad ſim-

A Metaptoſibus in infantiâ familiaribus.

A ſaburræ inteſtinalis Metaptoſibus.

plicitatem revocandam toties contulit vomitorium ex arte exhibitum.

Ab intermittentium Metaptosibus.

Verùm ipsæ intermittentes febres, quoties in hepar Metaptosim efficiunt, aut sæpiùs adhuc in lienem, toties solâ sanantur vacuatione, quæ quidem si fuerit neglecta, tollaturque febris, aut posthabitâ Metaptosi per febrifuga suspendatur, remanet longa malorum series ab obstructione pendens & ab illâ repetenda. Imò, ut materies illa per se non est pessimi ordinis, pluries accidit, & Medicos omnes testes appello, quòd dùm curare satagimus obstructionem illam visceribus metuendam, febrem revocamus, eamque pristini moris. Quid enim? Actio medicamentorum febrem aliquam concitare nata, pristinam ejusdem naturam evolvit, & certè eidem suscitandæ febri apta est quæ priorem invexerat materies.

Ab aliis humoralium vitiorum Metaptosibus.

Nec verò sæpè accidere negabimus ut, dùm in chronicis obstructionibus tollendis insudamus, sæpè facies, nasus, labra, genæque deturpentur turpi Metaptosi. Quod ter quaterque vidi in fœminâ quæ, dùm uteri laboraret doloribus, aperientibus assumptis, genas vidit herpete fœdari. Malum, si quod aliud, fœdum imprudenti medicatione sustulit: illicò uteri dolores revivifcebant. Tentamina alia eumdem effectum attulerant: mutata methodus, Medicus mutatus eidem ansam dederunt Metaptosi, donec, converso

prorſùs regimine, an arte, an tempore, cum difficultate ſummâ, poſt ingentia artis molímina convaluerit. At jam inclinante ætate priſtinorum malorum vix memori arthrítis ingruit, quæ eam ſtatis divexat adhucdùm temporibus. Similes mihi contigêre obſervandi caſus, in quibus extruſus à viſceribus humor, qui nauſeas, flatus, ventris duritiem, anxietatem præcordiorum intulerat, abibat in herpetes fluentes, pruritibus infames. Arthritidem certè magni mercarentur miſeri homines; ſed multò majori emerent pretio ii quibus arthritis illa vetula quaſi & erumpere impotens, in veſicam viaſque urinæ excernendæ dicatas deponitur, quæ tot additis effectibus huic cauſæ debitis, tandem hominem perimit, & è medio poſt enormes cruciatus tollit. Hæc quidem ſymptomata omnia potiùs Metaptoſeon titulo quàm complicationis nomine deſignanda videantur. At ut Metaptoſis cum morbo ſtare ex ſuâ naturâ & poteſt & debet, illa morbum non ſolùm complexum facit, ſed eſt frequentiſſima complicationum origo. Nec minùs verò humor arthriticus à doloribus aliquandò conquieſcens ſanitatem non adeò importat, quin intervalla illius horrendâ melancholiâ infamia ſint, anxietateſque doloribus redimant ægri, in quibus ſaltem aliqua mentis ſecuritas ineſt.

A menſtruationis Metaptoſibus.

Ingens in ſequiori ſexu acutarum & chronicarum Metaptoſeon origo eſt fluxus ille

uterinus qui, five tardet erumpere in ætate nondùm adultâ, five, jam conftitutus femel, renuat ordinem fuum fervare, five demùm ceffet ætatis neceffitate, malorum agglomerationem facit, vix defcribendam, atque numerandam, feque omnibus fuperinjicit, vires debilitans, nerveæ & fenfilis partis æquilibres tollens ofcillationes, & vitæ dimidium auferens & detrahens. Ventriculus quidem principem fcenam agit; mox caput & pulmones. Omnia plethorâ laborant, & fpafmo ab hâc causâ nafcente cruciantur. Hinc fomnolentiæ, lethargi, maniæ, melancholiæ, vomitus, fingultus, tormina ab hâc causâ nafcuntur; hinc anxietates, fuffocationes, ftrangulationes. Nullus eft in quem non vertatur morbus uteri fuppreffa vacuatio. Indè pullulant novæ excrementorum formæ, diarrhœæ, dyfenteriæ, tenefmi, urinæ etiam nigricantes & fedimento atrò terrorem infciis incutientes, uno verbo omnia nerveæ partis mala inferentes. Jure certò melancholia illa fpafmodica fub nomine affectionis hyftericæ defignata fuit & indicata. Hæc vulgò, acutis ferocientibus morbis, conticefcit: at femper metus eft ne alieno tempore, causâ & origine mali non fublatis, revivifcat. Nec fcenis illis crudelibus minùs anfam dat fluxus ille mulierum albus qui, quoties cachexiam non indicat quæ in viris hydropem efficeret, toties uteri aut erethifmum, aut obftructionem

A fluxûs albi Metaptofibus.

ſupponit. Porrò ſuppreſſum illum lotionibus imprudentioribus vidi in tormina atrociſſima faceſſere, unde naſcerentur convulſiones. Brevì imminet phlogoſis abdominalis lenta tumorque glandularum meſeraïcarum protinùs ſcirrhoſus, comitante picâ atque malaciâ, comitantibus particularibus ſingularum partium tumoribus œdematoſis, quos dùm ſibi plaudunt ſublatos atque evanidos, en illi aliâ in parte erumpunt. Urinæ quidem, nervoſæ illæ atque limpidæ, hinc novam ſibi formam adſciſcunt, lacteæque fiunt atque turbidæ: Metaſtaticas facilè crederes. At imminet brevì propinquum hydropis periculum; qui hydrops mulieribus frequens admodùm, minùs inſtans ipſis mortis periculum affert: hunc enim à ſpâſmo peculiari ita pendere vidi, ut, omnibus rebellis medicamentis actuoſitate pollentibus, per ſe & ſolo lactis uſu evanuerit prorſùs, nunquam poſteà redux. Idem eveniſſe inſaniis illis muliebribus obſervatum eſt, &, referente MEADIO, viſus eſt aliquandò hydrops maniam tollere, hydropem mania. Quid ſi cum fluore mulierum albo ſimul acris aliquis fomes vacuetur, qui ſuppreſſus ulcera, fiſtulas efficere potis eſt, aut in interiora quæcumque viſcera ſcirrhos brevi cancroſos efformare. Peſſima certè eſt quæcumque ad interiora fomitum illorum fermenti more agentium repulſio, ſcabiei, herpetum, aut pruriginoſæ cujuſvis materiæ,

A fomitibus fluori commixtis.

mala quæcumque implicans, & dissimulatam iis indolem, sæpè latentem, nec propriis deprehendendam signis, impertiens. Hinc tussses, hinc peripneumoniæ, hinc abscessus interni, hinc asthmata convulsiva, hinc colici dolores ad nullam referendi classem. Benè actum erit cum ægris si omnia, in mulieribus, ad affectionem hystericam referri possint, & in viris ad hypochondriacam melancholiam.

Quid jam loquamur de Metaptosibus puerperarum lacteis, & illâ concordiâ quæ mammas inter & uterum intercedit, ùnde etiam alternis in se invicem agunt symptomatibus, ab illis in hunc deciduis? Longum foret omnes enumerare puerperarum morbos, qui omnes Metaptosibus constant, in quos adeò strictum obtinent imperium timor, odium, mentis impotentia & quæcumque alia ex non naturalibus repetita causis, deferuntur in tenellum & alieno turgidum humore corpusculum, cui vis deest concoctrix & digestio eò difficilior, quò ubertas materiæ major, nervique labore prævio summè cruciante laxati. Tùm verò universus textus cellularis allaborat, fiuntque, in sanioribus etiam, pustulæ, abscessus lactei, jungiturque atque complicatur nerveæ illi prætermodùm auctæ sensilitati summa humorum non facilè concoquendorum intemperies; unde multiplicantur mala & periculum intenditur, nisi complica-

A lacteis puerperarum Metaptosibus.

tionibus illis aut depuratoriæ vacuationes, aut Metaſtatici abſceſſus opem ferant.

Maxima nerveorum affectûum pars oritur à fermentorum reliquiis nervos irritantibus.

Verùm ex his attentè obſervatis ſatis intelligitur maximam nerveorum adeò infamium morborum partem, pro humorum Metaptoſi cum nerveâ debilitate compoſitâ habendam eſſe. At verò ſi pars aliqua priùs allaboraverit, ſi, vel vitio conſtitutionis, vel adventitiâ quâlibet causâ, adfuerit aliquod vitii ſeminium, ſi glandulæ aliquæ jam induruerint, quantus imminet mali adaugendi metus. Multiplicantur ipsâ mole lacteâ ea imbibente fermenta quæque, naſcuntur hæmorrhagiæ, naſcuntur fluxus albi virulenti, tùm prædominante veneno metuendi, tùm debilitate viribus inductâ. Nec negare poſſumus reliquias illas morborum venereorum quæ non immeritò pro nerveis habentur, aliquâ, imò magnâ ex ſui parte à Metaptoſi materiæ alicujus jam non remediis cedentis eſſe repetendas, ſive illas morbus ipſe, ſive etiam methodi adhibitæ efficacia extruſerit. Nam complicatio certè morborum maxima fit à fermentis ante morbum ipſum in corpore jam ſævum exercentibus imperium. Nocet cicatricibus quibuſcumque inducendis fermentum venereum, & nova mala veteri juncta ad uſque intimam devehuntur viſcerum, imò & oſſium ſubſtantiam. Vix unquam ulla in hocce caſu ſperanda morbi ſolutio; id ſupereſt expectandum quòd malum

Maximè venereis.

in

in cruciatus abeat & dolores externos & quasi extra centrum vitæ positos : alioquin corrumpetur & in tophos molles atque cretaceos abibit ipsa viscerum substantia. Fermentis quibuscumque nuper adscitis, v. g., variolis, quanta ab hoc malo addatur virulentiæ viderunt omnes qui mala hæc simul complicata medicanda sibi incumbere doluerunt. At quanta & quàm sæva observatur quotidie scorbuti in marinis itineribus cum præcedentibus, aut erumpentibus novis morbis complicatio. Febres verè pestilentiales indè exurgunt, & in congestorum angusto sub navium spatio hominum turbâ fiunt contagiosæ, quæ etiam posteà in portus & urbes sæviêre. Fit scorbutus acutus, qui quos non peremit, afflictis viribus, & vitiato glandularum organismo, longâ prosternit vixque debellandâ infirmitate; totâ vitâ causarios indè factos sæpiùs vidi. Nec certè, si vera & observata profari licet, ad infantiæ terminos omninò absolvitur scrophulosum illud coagulum : etsi enim sanatum possit videri, plasticum quid atque coagulatum relinquit intrà glandulosum systema, quod, in morbis à scrophuloso viru alienis, sæpè per totum vitæ curriculum jungitur; obstruuntur facilè viscera; adeps crassior & vix resolvendus bili aliisque humoribus oleum legitimum non impertit, malisque supervenientibus insolubilem jungit inertiam; arti-

Scorbuticis.

Scrophulosis.

culos oſſaque longis, tædioſis, imò & vix ſanabilibus abſceſſibus ſæpè inficiens : adeò ingentis eſt pretii mala hæc omnia, vel in infantiâ, debellaſſe.

Complicationes à quibuſdam remediis.

Sed novus complicationum fons ab ipsâ auxiliatrici arte oritur ; agunt enim mutando medicamina. Hinc ſemper ante oculos habendum eſt à medicamentorum actione morbos neceſſariò mutari, ſive ſanentur illi, ſive ſubleventur, ſive nulli cedant efficaciæ. Porrò, in mutationibus illis efficiendis, ſi vacuantia exceperis, quorum effectus evidens eſt & ſatis ex alibi dictis intelligitur, tria ſunt medicamina quæ jure Medicorum attentionem poſtulant.

Mercurio.

Ea porrò ſunt mercurius, cortex Peruvianus & opium, quibus in adminiſtrandis opus eſt ſagacis Medici ſolertiâ. Mercurius porrò nervos convellit, & eâ donat actuoſitate quâ longo poſt tempore ad minimum exardent timorem, ad externa omnia ſubſiliunt, tremunt, convelluntur. Verùm omnia hæc ſymptomata, expulſis mercurialibus atomis, an ceſſant ? Conſtat aperturâ cadaverum poſſe aliquandò in cavitatibus & cellulis oſſeis ſervari mercurium, ibique alienam & extraneam corpori maſſam fieri, unde etiam nervi cur non vellicentur ? Præstereà ſemel inductus nervis habitus, poteſt eò diutiùs inhærere & miſeros efficere, quòd melancholia, ab hoc inducta medicamento, atrox, ſuſpicio-

nibus & timoribus plena, per medicamentorum ingentem ſupellectilem ſemper ab his credatur abigenda & expellenda; unde ignem igni addunt malumque in cruciatum vergunt: infringitur tandem tonus, & omnia cachexiæ mala immedicabili more perimunt, cùm jam regularem renuat natura actionem concipere. Quid jam dicamus de noxis ſublimati illius corroſivi adeò famoſi, qui & inteſtina & ventriculum lento malo afficit & labe peredit incertâ, deſtructo inteſtinali muco? Quid de aliis agyrtarum tentaminibus dicam, ac noxis & inſidiis quibus nummos ægrorum emungunt, & morbum falſo ſedant levamine? Sed de his alii plura dixêre. At ſi morbus aliquis exoriatur ex acutorum genere, liquatis omnibus fluidis, inductoque fibris ſpaſmo perpetuo, quid expectandum niſi acriſias & difficultates coctionis? Adde hîc periculum rupturæ quod pulmonibus, gulæ, œſophago, ſalivalique ſyſtemati imminet.

Nullum certè aliud medicamentum in rerum naturâ adeò utile exiſtit atque kinakina, qui effectus evidentes elicit & rectè, notante ALBERTINO, morbos etiam rebelles non ſanat, niſi criſi factâ quæ morbum ipſum, ſuccurrente medicamenti efficaciâ, tollit. Verùm illud ipſius ſcelus eſt quòd acrem humoribus ſtimulum invehat, quòd ordinem naturæ aliquandò mutet & intervertat, & alibi occupatam conſtrictione, imò & adſtric- Kinâ.

tione evidenti quaſi alliget. Hinc ſaburræ inteſtinali cumulandæ confert eò magis quòd ipſum alimentis miſcendum vulgus edicat. Colon quidem & inteſtina craſſiora aliquandò tono inteſtinis inducto videtur depurgaſſe, ſed infido incertoque modo, nec partes maximè tenues vincente, aut eliminante. Præterea cutim ſæpè ipſam ſtringit perſpirationique regulari illi & coctæ officit. Unde etiam obſtructionibus invehendis tuſſique excitandæ aptus cortex ille fuiſſe videtur. Hunc ergò purgantibus miſcendum in febribus intermittentibus Medicorum Gallorum edocuit induſtria, dùm intereà Metaptoſes omnes gangrænoſas potenter debellat pharmacum illud efficax, vimque fractis & nervis & vaſis indit, quod ut non univerſale prædicari debet, ſic nec ergò credendum omninò viro, alioqui de Republicâ Medicâ benè merenti TORTI, qui kinamkinam omnibus ferè aptat caſibus, omneſque febres ad intermittentes reducit, paroxyſmoſque quoſcumque tertianario exacerbantes modo ad tertianam annumerat; periodus enim illa in naturâ ſedet & ad ferè omnes morbos pertinet. Nec tamen hìc prætermiſſum ſinemus multò cautiori manu kinamkinam eſſe adhibendam in ſeptentrionalibus & frigidioribus climatibus, quàm in calidioribus & ſudori, cui obſtat cortex, maximè propenſis & obviis.

At verò licèt inſigne dolorum levamen dul-

cemque ſæpè inferat ſoporem opium, adeò- que & ægris & Medicis maximè pretioſum dici debeat, nullum aliud eſt medicamentum quod cautiori manu ſit adhibendum, abſti- nendumque ab eo potiùs in morbis acutis quàm incautè adhibendum ſuaſerim. Non enim hoc medicamentum tantùm naturæ vias immutare dicendum eſt, aut vires malè di- rigere; ſupprimit quippe illas atque inertem naturam facit: elangueſcunt ejus actione coctiones omnes, ſecretiones omnes ſuppri- muntur, exceptâ forſan illâ quæ laxationem ſupponit perſpiratione, ſeu potiùs evapora- tione crudâ atque incoctâ. Stante ejus actione natura nihil agit, nec agitur; oppletur in- tereà caput & in ipſum morbus defertur. Poſteà verò inerti delata circuitu in partes morboſa materies viſcera opprimit & gan- grænam infert, aut in morbo mitiori in- farctum efficit, à quo ſemel conſtituto brevi agglomerata materies ſcirrhoſam infert du- ritiem. Omnia hîc Metaptoſeos jure in partes maximè laxas & ſtagnationi obvias deferun- tur, morborumque medicatrix natura ſuo defraudatur jure. Quid mirum, ſi febres indè ſupprimantur, cùm febrilis actio ſit naturæ curationem molientis inſtrumentum, actio autem illa pereat. Suppurationi quidem ali- quandò favere viſum eſt opium, ſed tunc tan- tùm cùm ſperandam reſolutionem actio ejus ſuſtulit. Nam, ſi ſuppurationi celeriter fa-

Ab opio.

ciendæ aliquid ſit pretium, quæ tardat omnia vis narcotica, nocet etiam ſuppurationi. At, cùm ab actione vehementiori, aut ſpaſmo fortiter conſtringente debetur gangrænæ metus, nihil mirum ſi opium ritè & ex arte admotum eam præcidat, ut nuperis apud Anglos experimentis conſtitit & ratio indicat. Certè, ſi doloribus inſtantibus opium offerre licet, id ſine timore fiat, quoties dolores non critici ſunt, nec ad ſcopum certum admoti atque directi. Id in doloribus à Chirurgi manu allatis, id in ſpaſmis vehementibus, nec ordinatis, id demùm fieri licet, quoties dolores captum hominis & ſuperant, & in ipsâ mali vehementiâ metus eſt ne functiones omnes, præcipuè verò quæ à ſenſibus pendent, exſuperentur atque profligentur. Hinc etiam intelliguntur adverſi inter ſe opii effectus, dùm hinc auget vacuationes, illinc has ſupprimit atque moderatur; ſed de his alii. Sufficiat nobis indè deduxiſſe quantùm in Metaptoſibus & complicationibus & quidem illis lentis inducendis valeat opii vis narcotica.

A veſicantibus, &c.

Contrarios prorſùs effectus ſtringentes, irritanteſque intulerunt, quæ artificialem concitant Metaptoſim rubefacientia, veſicantia, fonticuli, imò & cucurbitulæ aliaque hujuſce generis auxilia, quæ partim malum à parte revellunt in aliam, partim etiam exundantem materiæ lædentis copiam vacuant, ingenti quidem ſucceſſu, ſi natura, inſtitutis noſtris

auſcultans, indicatas ab arte vias affectare non denegaverit; & quidem, ubi plus virium quàm morbi ſupereſt, quidni in partem quam ars conſultò debilitat non ferretur illa. At, ubi cuncta ſtringuntur erethiſmo; tormentum ſibi inutile æger deteſtatur: ubi deficiunt vires, deficit in ipſo appoſito emplaſtro efficacia. Nec minùs tamen ſalubriter potentiſſimum ſubſidium quæritur in phænigmis illis, quoties princeps aliqua pars laborat, & humoris alicujus errores devii omni ope atque operâ ad nativum, aut ſaltem minùs nocuum locum revocandi ſunt. Saltem ſecuritas indè naſcitur, dùm intereà vacuantibus, revellentibus atque corrigentibus medicamentis ars agit efficaciùs in cauſas.

Ex hiſce porrò omnibus deducitur in ſummâ morborum acutorum vehementiâ indicationem unam præ cæteris ſemper dominium obtinere, minùſque patere corpus acutè decumbens cauſis quibuſcumque alienis impellentibus. Deeſt ſcilicet vis abſorbens in horum vaſorum eâ conditione quâ ſtricta omnia atque revincta tenentur. At falſa ut plurimùm ſpes eſt eorum qui ægros ſolantur, ſpondentes indè priſtina eradicanda iri quæ priùs vexabant vitia: quippe ea, quo gradu vires redeunt rurſùs antiquum ſibi aſſumunt dominium, niſi tamen malum illud pro aliquâ ſui parte inter cauſas morbi ſuam contulerit ſymbolum. Hæc quidem in acutorum morborum furore

In ipsâ acutorum complicatione indicatio ſemper una princeps habetur præ aliis implenda.

Raró in his exiſtentes anteà fomites deſtruuntur.

vera esse & constanter observata minùs mirabimur; cùm in tanto tumultu subitâque mutatione rerum omnium, ea quæ in habitum ducta sunt mala omninò expungi actione naturæ in unicum directâ scopum difficilius sit, quàm in lentâ morborum chronicorum decertatione: quod tamen in iis non semper observari quotidie experiuntur ii qui, à lue venereâ sanati, non minùs tamen herpetibus subjiciuntur, quos sibi per mercurii efficaciam tollendos frustrà sperabant; adeò differt à se invicem natura fermentorum illorum quæ corpori insident.

Distinctæ magis sunt in chronicis quàm in acutis morbis complicationes.

Et quidem in genere fatendum est multò plura & maximè esse observanda complicationum & complexionum in morbis chronicis jura, quàm in acutis citò, aut perimentibus, aut ad salutem deducentibus. Quippe, cùm naturæ actio hostem non proterat, quidni alteri etiam adverso, aut in primarium vix agente detur locus? Nihil in chronicis plerisque, nisi tardè, peragit natura iners; non sollicitata, nullos partium intromittendarum efficaciæ ponit obices, neque enim omnia, ut in acutis affectibus erethismo vinciuntur. Hinc longâ laborantibus infirmitate & querulis sæpè accidit ut acuto corripiantur morbo, &, malè à debili naturâ defensi, succumbant. Ipsa etiam vitii alicujus chronici admissio aliis locum dat & aditum præbet. Nonne quotidie venereum virus, dùm coctio-

nes pessumdat, dùm humorum naturam vitiat & indolem eorum subvertit, scorbuticæ lui ansam præbet? Anne venereum virus simul cum herpetibus stare quotidie distinctum non videmus? unde chronicarum illarum complexionum duo genera præsertim exurgunt, quarum aliud, quasi fortuito & multiplici infortunio nascitur, aliud ex ipso principis mali fonte sumit originem, dùm concoctiones, dùm humores, dùm ipse animi tenor infirmatur, atque jam, benè cocta vix patiatur fieri excrementa. Norunt id miseræ mulieres, quæ, dùm accepta à parentibus fermenta intùs concepta & educata servant, novum ipsis superaddunt à lacteis quisquiliis venenorum fontem. Norunt id etiam populi infelices, ad quos indigetes morbi proprio jure pertinent, & endemicum malum vulgare est, & addit se comitem malis aliunde accersitis; quid si Syriacis, Ægyptiis, Arabibus dracunculo laborantibus accedat lues venerea? At certè sæpè scorbutus septentrionalibus populis endemicus sese scabiei, herpetibus, imò & elephantiasi conjunxit, ita ut duplici malo duplex medicina fuerit adhibenda.

Duplex in chronicis complexionum ordo.

Imò morbis acutis fomes ille præexistens nova induxit pericula, sed hâc tamen lege ut, vigentibus morbi, per hanc causam præexistentem duplicati, symptomatibus, cætera morbo propria & ab acuto morbo aliena conticescant. Sic, v. g., scorbutica lues

Fit tamen in acutis complicati fomitis maximus in morbum principem influxus.

peripneumoniæ acutæ maritata, resolutionem ejus difficiliorem reddet, suppurationem malè moratam & periculum gangrænæ præsentius, quæ omnia inflammationi per se competunt; sed nec gingivarum afferet tumorem, nec maculas simpliciter scorbuticas, nec ossium cariem minitabitur. Imò, cùm hæc inertiam naturæ supponant aliquam, actio virium aucta pristino malo aliquam curationem afferet. Idem etiam lui venereæ, idem herpetibus competet, idem cuicumque alii morbo chronico. Nam, cùm acuto laborans morbo raro possit extraneum concipere fomitem, chronici mali fontem, contrà chronico affectus veneno & ab ejus actione debilitatus acutos morbos omnes suscipere poterit; quæ complicatio, ut frequenter deprehenditur, ita maximè periculosa est, in morbis præsertim depuratoriis, ut sunt variolæ, morbilli, herpes miliaris, &c. quibus finitis & ferè absolutis chronica lues recens concepta nova addit infortunia.

Idem influxus maximè observatur in chronicis.

Maximè verò chronici affectus inter se complicantur: in his enim casibus quos vero & legitimo nomine Medicorum crucem vocare licet, natura viribus suis quæ languent inertes conatibusque infirmis vix agit & acceptas causas non immutat. Hinc mala se invicem excipiunt, imò quisque pro suâ parte diversum exercet imperium. An non quotidie arthritidi scorbutus jungitur? &, ut rem

ulteriùs feramus, an non ipsa senectus morbus est? An non ipsa gestatio muliebris complicati affectûs ideam nobis sufficit? Qui tamen omnibus morbis patent, imò &, eos etsi difficiliùs combibant, solutioni tamen minùs faciles ideò reddunt, quòd prædebilitatam machinam, imò recedentes à statu sano secretiones supponunt. An non intemperies ipsæ quæ plerorumque sanitatem interturbant & discriminant, propensosque reddunt ad hanc illamve infirmitatem, aliquandò complicationum nomine designari valent: ut, si BILIOSUS morbo lymphatico laboret, extinguitur certè temperies nativa, homoque alienam sibi assumpsit naturam, sæpèque ita commutatam, ut jam in reconvalescenti perstet prorsùs conversa propria illi & peculiaris anteà sanitas.

Multæ causæ morborum evolutioni favent.

Verùm in hisce scrutandis affectionibus semper ante oculos habere debemus quantùm his illisve evolvendis præbeant auxilii causæ concurrentes, à victu, ab aëre, ab animi affectibus, à commercio cum infectis repetendæ, tùm verò id annotandum iis etiam præcipuè impeti partes prædebilitatas. Nec enim, in morbis etiam qui contagium secum nullum inferre valent, indifferens tamen & indiscriminatum esse debet cum ægrotis commercium. Mutato habitu, mutatâ perspiratione exhalante, quid vetat atomos introduci in vicina corpora quæ ipsis noceant? Certè

ſudantium multa corpora aſſiſtentium nares pruritu, cutem papulis inficiunt. Præterea dolorum, cruciatûum ſemper præſens impreſſio, ut menti torquendæ, ſic corpori convellendo, & ſymptomatibus quibuſcumque affectui jam præſenti addendis apta eſt. Nec negligenda erunt quæ circà partium conſortium & ſympatheiam Authores obſervavêre : imò & diviſio illa ab Antiquis recepta corporis in duas æquas portiones mente ſervanda eſt, cùm eæ quæ è directo fiunt malorum in corpore commutationes, teſtibus HIPPOCRATE atque Antiquis quibuſcumque, & magis frequentes ſint, & minùs metuendæ.



DE PRÆCIPUIS MORBORUM

MUTATIONIBUS ET CONVERSIONIBUS.

PARS PRIMA.

De Epigeneſi.

SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS TERTIUS.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS SECUNDUS.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

PARS SECUNDA.

De Metaptosi.

CAPUT PRIMUM.

De naturâ morborum qui Metaptoſim pati poſſunt.

Hæmorrhoïdes

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

PARS TERTIA.

De Metaſtaſi.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

De variis Metaſtaſeon ſpeciebus.

CAPUT TERTIUM.

De ſignis Metaſtaſium.

CAPUT QUARTUM.

Ex Tipographiâ CLOUSIER, viâ Sorbonæ.

LIVRES qui se trouvent chez MÉQUIGNON l'aîné, rue des Cordeliers.

LORRY, Hippocratis Aphorismi, p. in-12. v. doré. 4 liv.
— De Morbis cutaneis, in-4. 14 l.
— De Melancholiâ & Morbis melancholicis, in-8. 2 vol. 10 l.
— Essais sur les alimens, in-12. 2 vol. 6 l.
— Essai sur la conformité de la Médecine ancienne & moderne. 3 l.
— Sanctorii de Medicinâ stativâ Aphorismi. in-12. 3 l.
— Mead Opera in-8. 2 vol. 14 l.
Prosp. Alpinus, de præsagiendâ vitâ & morte, in-4. 10 l. 10 f.
— Historia Naturalis Ægypti, in-4. 2 vol. fig. 24 l.
Aurelianus, de Morbis acutis, in-8. 2 vol. 8 l.
Ballonii Opera Medica, in-4. 4 vol. rel. en 2. 32 l.
Boerhaave Aphorismi cum Comment. Van Swieten, Parisiis, in-4. 5 vol. 60 liv.
Chaque vol. se vend séparément
— Methodus studii Medici, in-4. 2 vol. 30 l.
Castelli Lexicon Medicum, in-4. 15 l.
Cheyne, de Sanitate tuendâ, in-12. 3 l.
Eller, de cognoscendis & curandis Morbis, in-8. 4 l.
Freind Opera Medica, in-4. 12 l.
Halleri Artis Medicæ Principes, in-8. 11 vol. 42 l.
— Bibliotheca Chirurgica, in-4. 2 vol. 24 l.
— Disputationes Medicæ, in-4. 7 vol. fig. 70 l.
— *Idem* Chirurgicæ, in-4. 5 vol. 60 l.

— Elementa Phyſiologiæ, in-4. 8 vol. 96 l.
— Primæ Linææ Phyſiologiæ, in-12. 3 l.
Heiſter, Inſtitutiones Chirurgicæ, in-4. 2 vol. fig. 30 l.
— Les mêmes, en François, in-4. 3 vol. fig. 39 l.
— Les mêmes, en François, in-8. 5 vol. fig. 30 l.
Hoffmanni Opera omnia, in-fol. 11 vol. rel. en 7.
Home, Principia Medicinæ, in-8. 5 l.
Hippocratis Aphoriſmi Græcè & Latinè, p. Ed. L. F. D. V. in-12. v. doré 6 l.
— Aphoriſmi Græcè & Latinè, Edente Boſquillon, p. in-12. 2 vol. br. 4 l. 16 ſ.
Klein, Interpretes Clinicus, in-8. 3 l.
— Le même, en François, in-12. 2 vol. 6 l.
Morgagni, de Sedibus, & Cauſis morborum Edente Tiſſot, in-4. 3 vol. 28 l.
— Adverſaria Anatomica, in-4. 20 l.
Morton Opera Medica, in-4. 2 vol. 15 l.
C. Piſon Obſervationes de Morbis, in-4. 9 l.
Quarin, Methodus Med. inflammationum, in-12. br. 2 l.
Rouppe, de Morbis navigantium, in-8. 5 l.
Sauvages, Noſologia Methodica, in-4. 2 vol. 30 l.
Cullen, Apparat. ad Noſolog. Methodicam, in-4. br. 5 l. 5 ſ.
Senac, de reconditâ Febrium naturâ, in-8. 3 l. 10 ſ.
Sydenham Opera Medica, in-4. 2 vol. 15 l.
Tournefort, Inſtit. Rei herbariæ, in-4. 3 vol. fig. 48 l.
Tronchin, de Colicâ Pictonum, in-8. 4 l.
Bertin, Traité d'Oſtéologie, in-12. 4 vol. fig. 10 l.
Chirurgie complette ſuivant le ſyſtême des Modernes, in-12. 2 vol. 6 l.

Delaudun, Abus des bouillons de viande dans les fievres, in-12. br. 2 l.
Desmars, Epidémies d'Hippocrate, in-12. 2 l. 10 s.
Dictionnaire de Médecine, de Chirurgie & de l'Art Vétérinaire, in-8. 6 vol.
— Portatif de Santé, in-8. 3 vol. 15 l.
Dionis, Cours d'opérations, huitième Edition, in-8. fig. 8 l.
Duchanoy, Art d'imiter les Eaux Minérales, in-12. 3 l.
— Usage des Narcotiques, in-12. br. 15 s.
Goulard, Œuvres Chirurgicales, in-12. 2 vol. 5 l.
Hevin, Cours de Thérapeutique & de Pathologie, in-8. 7 l.
La Faye, Principes de Chirurgie, in-12. 3 l. 12 s.
La Motte, Traité complet de Chirurgie, in-8. 2 vol. 12 l.
Lassus, Traité des fractures & luxations, in-12. fig. br. 2 l.
— Manuel Pratique de l'amputation, in-12. br. 2 l.
— Méthode de traiter les maladies qui attaquent l'articulation du coude & du genou, in-12. br. 15 s.
Lazerne, Méthode de guérir les maladies, in-12. 2 vol. 5 l.
Le Roy, Mélanges de Médecine, in-8. 6 l.
— Du Prognostic dans les maladies aiguës, in-8. br. 3 l.
Lettres intéressantes pour les Médecins de profession, in-12. 2 vol. 5 l.
Le Vacher, de la Feutrie, Ecole de Salerne, in-12. 3 l.
Lind, Traité du scorbut, in-12. 2 vol. 6 l.
Médecine Pratique de Londres, in-8. 5 l.

Morveau, Elémens de Chimie, de Dijon, in 12. 3 vol. 9 l.
Petit, Maladies des os, in-12. 2 vol. 6 l.
— Œuvres Chirurgicales, in 8. 3 vol. fig. 21 l.
Poiſſonnier, Abrégé d'Anatomie, in-12. 2 vol. 6 l.
Poupart, Traité des dartres, nouvelle Edition, in-12. br. 2 l. 10 ſ.
Queſnay, Traité de la ſuppuration, in-12. 3 l. 10 ſ.
— *Idem*, de la gangrene, in-12. 2 l. 10 ſ.
— *Idem*, de la ſaignée, in-12. 3 l. 10 ſ.
— *Idem*, des fievres, in-12. 2 vol. 6 l.
— Economie Animale, in-12. 3 vol. fig. 10 l.
Retz, Météorologie appliquée à la Médecine & à l'Agriculture, in-8. br. 3 l. 12 ſ.
Roſen, Maladies des Enfans, in-8. 6 l.
Rouſſel, Syſtême Phyſique & Moral de la Femme, in-12. 3 l.
Baron, Formules des Hopitaux, in-12. 3 l.
Beaudeloque, l'Art des Accouchemens, in-8. 2 vol. fig. 12 l.
Beaucheſne, Influence des affections de l'ame dans les maladies nerveuſes des femmes, nouvelle Edition, in-8. br. 2 l. 8 ſ.
Senac, Traité de la ſtructure du cœur, nouvelle Edition, in-4. 2 vol. fig. 24 l.
— Maladies du cœur, in-12. 2 vol. 4 l.
Sue, Elémens de Chirurgie, Latin-François, in-8. 5 l.
— Les mêmes, François, in-8. 3 l.
Werley, Médecine Primitive, in-12. 3 l.

EXTRAIT DES REGISTRES *de la Société Royale de Médecine.*

LA Société Royale de Médecine nous a chargés d'examiner un Traité de M. Lorry notre Confrère : cet Ouvrage eſt écrit en Latin & a pour titre : *De præcipuis morborum mutationibus & converſionibus tentamen medicum.*

L'Auteur, après avoir donné la définition de l'Epigenèſe, de la Métaptoſe & de la Métaſtaſe, entre en matière & diviſe ſon Ouvrage en trois Sections.

Dans la première, il traite de l'Epigenèſe qui dépend de la maladie elle-même, & examine les vices des forces, ſoit augmentées, ſoit diminuées, & l'inégalité d'action de ces mêmes forces, comme étant la cauſe des Epigenèſes. Il traite enſuite des Epigenèſes qui dépendent du vice des humeurs, des cauſes accidentelles, telles que l'action des médicamens & les ſix choſes non naturelles.

La ſeconde Section comprend les Epigenèſes qui ne dépendent pas de la nature même de la maladie, mais d'un levain morbifique préexiſtant, ou de cauſes ſurvenues dans le tems même de la maladie, ou qui doivent leur exiſtence aux opérations chirurgicales.

La troiſième Section traite des Métaſtaſes, de leur mécaniſme, de leurs cauſes efficientes, de leurs différentes eſpèces & de leurs ſignes.

Nous n'avions juſqu'à préſent qu'un ſeul Ouvrage dans ce genre qui fût un peu étendu. Il eſt d'Etienne Rodrigues de Caſtro, Médecin célèbre, qui publia en 1627 un Traité intitulé *Quæ ex quibus, ſive de mutatione aliorum*

morborum in alios. L'Ouvrage de Caſtro a été bien accueilli & a eu quatre Editions; celui de M. Lorry mérite de l'être de même. Il nous a paru devoir faire époque en Médecine, & également utile aux Etudians & aux Médecins Praticiens. Les uns y puiſeront les principes de la vraie Médecine, de la Médecine fondée ſur l'expérience; les autres y trouveront un abrégé de toutes les connoiſſances cliniques qu'ils ont eu tant de peine à acquérir. Nous ne parlerons pas de la manière dont l'Ouvrage eſt écrit; il ſuffit d'en nommer l'Auteur pour prévenir qu'il eſt écrit avec pureté & élégance; enfin nous penſons qu'il eſt très-digne de l'Approbation de la Compagnie & d'être imprimé ſous ſon Privilége.

Signés GEOFFROY, ANDRY & CAILLE.

Vu le rapport ci-deſſus dont la lecture a été faite dans la Séance tenue au Louvre le 10 Janvier 1783, la Société Royale de Médecine a penſé que l'Ouvrage de M. Lorry étoit très-digne de ſon Approbation & d'être imprimé ſous ſon Privilége. En foi dequoi j'ai ſigné le Préſent, à Paris le 12 Avril 1784.

VICQ D'AZIR, Secrétaire Perpétuel.

